# L. ANNAEI SENECAE
# TRAGOEDIARUM

## VOLUMEN PRIMUM,

QUOD CONTINET HERCULEM FURENTEM, THYESTEM ET PHOENISSAS.

---

PENITUS EXCUSSIS MEMBRANIS FLORENTINIS, ADHIBITISQUE CODICE MS. ULTRAJ., EDITIONE PRIMA CAR. FERNANDI, ET ALIIS SPECTATAE FIDEI LIBRIS, ITEM JOANNIS FRIDERICI ET JACOBI GRONOVIORUM NOTIS INEDITIS,

RECOGNOVIT

FRID. HENR. BOTHE,

D. PHIL. ET AA. LL. M., ARCHIDUCALI, QUAE JENAE EST, SOCIETATI LATINAE, BEROLINENSIUMQUE TEUTONICAE, HON. C. ADSCRIPTUS.

---

LIPSIAE

IN LIBRARIA HAHNIANA.

MDCCCXIX.

# PRAEFATIO.

Cum Plautum atque Terentium non omnino male edidisse viderer viris quibusdam eruditissimis, faciendum mihi duxi, ut additis etiam Senecae fabulis corpus quoddam scenicorum Latii poëtarum efficerem, cum praesertim nec minus depravatum Tragicum circumferri viderem quam par Comicorum, et bonis etiam ad illum emendandum instructus accessissem subsidiis. Vir enim in paucis nobilis, *Dietzius*, olim Friderico Secundo, Borussorum regi, a consiliis intimis, ejusdemque apud Turcas legatus, cujus jam (proh dolor!) salutandi Manes sunt, cum huic nos operi intentos sciret, quâ solebat, dum in vivis fuit, liberalitate, communicavit nobiscum codicillos quosdam Jacobi Gronovii, in auctione librorum Laur. Santenii sibi coemtos, in quibus codicillis non utiles modo Jacobi plurimae, aliquot etiam patris, habebantur ad Senecam Tragicum animadversiones, sed (quod maximum) omnes ex ordine legebantur Florentinarum membranarum, merito celebratarum, a vulgatis discrepantes scripturae, quarum non paucas egregias silentio praeteriisse Joh. Fred. Gronovium, ex nostris annotationibus intelligetur. Ultrajectini quoque codicis cujusdam, a nemine adhuc, quod sciam, adhibiti, in Hercule furente, Hippolyto et

Octaviâ varias bonae frugis lectiones, olim a Nic. Bondtio descriptas, ut in usum nostrum, vel potius Tragici, converteremus, haud gravate permisit vir humanissimus.

Ad Etrusci autem exemplaris praestantiam ceterorum, qui quidem excussi essent, librorum manu exaratorum cum accedere viderem nullum, veritus, ne frustra tempus tererem, ab his investigandis destiti, remque eam quasi integram reservavi Torkillo Badenio, Dano doctissimo, qui quantum bonae notae codicum hujus poëtae MSS. in Italiâ evolverit, neminem doctorum latet. Qui tamen ipse in litteris ad me datis ingenue fatetur, hunc se praecipuum ex his libris percepisse fructum, ut Tragicum legendo et relegendo tantum non edisceret, itaque omnes ejus voces sententiasque, et singulos singularum locos, in promtu haberet; quae quidem res quantum ei profutura sit ad emendandum scriptorem depravatissimum, quicunque tale unquam aggressus opus est, facile existimabit. Quare vehementer dolendum est, cum aliis districtum negotiis, tum temporum infelicitate deterritum, adhuc incubare Badenium thesauris suis, qui thesauri utinam publice tandem pateant in usum poëtae, nec sine laude atque emolumento meritissimi editoris! Sed, ut redeat, unde deflexit, oratio, scriptis valere jussis ad excusos olim nos libros contulimus; e quibus cum Dan. Cajetani Cremonensis, Jodoci Badii Ascensii, et curatum ab Hieron. Avantio Aldinum pridem usurpassemus: editio Senecae Tragici omnium, ni fallor, prima, quam, „codice *multo* collato," Lutetiae Parisiorum, incerto anno, typis imprimi jussit

Carolus Fernandus, commodata nobis est a politissimis bibliothecae Desbillonianae, quae Manhemii servatur, custodibus; quibus pariter atque doctissimis bibliothecarum academicarum, quae Berolini et Heidelbergae sunt, praefectis de propensâ erga nos voluntate suâ, quas debeo, summas ago habeoque gratias.*) Conspirat autem fere ista Car. Fernandi editio cum Herbipolensi, quam primam censebat Delrius, et Cajetani Venetâ, nec multum a vulgo codicum abhorret, nisi quod nonnullis in locis et Florentinam ostendit scripturam, et propria quaedam tum in verbis tum interpunctione habet, quae scire interest eruditorum. Quae antiquissima editio quoniam nunc ne nomine quidem cognita est, haud gravati sumus descriptam a nobis Fernandi praefationem nostrae subjicere; singulis autem tragoediis praefigenda existimavimus ibidem excusa Hieronymi Balbi, docti adolescentis,**) argumenta metrica, quibus vulgarium minime exquisiti saporis argumentorum taedium levaretur.

Et ita quidem muniti in hoc opere fuimus externis praesidiis: nam Scriverianâ nos supellectile usos esse, nec Delriano caruisse Syntagmate Tragi-

---

*) Haec editio, Maittairio, Deburio, et Panzero non visa, et in Gottingensis atque Heidelbergensis Academiarum aliisque multis bibliothecis cum publicis tum privatis frustra quaesita, in auctione librorum Ducis De la Valliere 530 libris argenti gallicis vendita est.

**) Vid. de eo infra posita Caroli Fernandi elegia.

corum, Gronoviique et Schroederi editiones, et si quid horum simile in omnibus, paulo auctioribus, librariis exstat, ad manum habuisse, quid attinet dicere, sine quibus libris ne legi quidem recte, nedum emendari, difficillimus in rebus metrisque potest Tragicus? Ceterum an ab ingenio quoque parati volvendum hoc saxum susceperimus, et tractatione cum aliorum utriusque linguae auctorum, tum inprimis dramaticorum, ita fuerimus adjuti, ceteris ejus generis (criticum dico) editionibus potior ut habenda nostra sit, periti harum rerum, si minus in Germaniâ, certe apud exteras gentes, quibus aliquid sunt litterae, judicabunt. Dabam Vinhemii, mense Majo, 1817.

# PRAEFATIO

editionis primae, vulgo hodie incognitae, quae formâ mediâ excusa est Lutetiae Parisiorum, incerto anno.

Carolus Fernandus S. P. dicit
Petro cohardo aduocato regio.

Satis, iucundissime petre, compertum habeo per multos qui se doctissimos credi volunt: ita sacram atque diuinam aspernari poesim. quasi eiusmodi sint poete*), qui et hominibus et ciuitatibus non solum nihil utilitatem quesisse: verum etiam incommodorum partem vel maximam invexisse videantur: quos dum forte rogitari contingit quenam ipsis potissimum ratio persuadeat, ut poetas tantopere detestandos esse putent: respondent, illos lasciuis tantum carminibus, insulsissimisque de deo, deque veneratissimo celicolarum cetu fictionibus abundare. ignorant autem quantum de sanctissima dei immortalis religione, de vario siderum motu, de multiplici rerum natura, de clarissima virtutum laude, deque rebus omnibus (ut paucis agam) sub occultis poetarum velaminibus involucrisque veritatis delitescat. Nesciunt hii quantum inter comediam tragediamque intersit. quid ab epigrammate satyra distet. quantum ab

*) Corrigere nolui orthographiam atque interpunctionem Fernandi obsoletam, ut velut subjectum oculis haberent lectores vetustissimum ejus librum.

herois lirica differant: quodque detestabilius est: ipsas ignorant carminum leges: et de poetis sententiam ferre non verentur. fitque ut dum haberi peritissimi volunt ipsi sese prodant ultro, cumque bonis litteris nihil unquam habuisse commercii apertissime fateantur. Ego enim, doctissime petre (nescio an id tibi fortasse citra rationem dixisse videbor) eum inter litteratos viros numerandum minime reor: qui ne ipsa quidem poetices elementa vel primis (ut aiunt) labris degustanda putarit. quippe nisi carminibus ipsis nescio quid praestantiae singularis inesse videretur: nunquam profecto deus optimus maximus sacratissimas leges, quas ab se sine ulla controversia profectas esse constat: carmine potius (et quidem velatissimo) quam soluto sermone conscribi voluisset. Quisquis igitur poetas aspernare, diuinum mosen, dauid, salomonem, ysaiam, ceterosque dei summi vates, aut poetas fuisse prorsus ignoras: aut si forte nosti, dissimulandum putas. utcunque tamen est. nihil eximie poetarum laudi detrahis, cum dicis, nescio quem appollinem: inani quondam priscorum cultu celebratissimum: sua petentibus oracula fuisse solitum carmine respondere atque poetas inspirare: multipliciaque variorum carminum modulamina decantare. Ille namque verus appollo: clarissimus ille phebus: ille, inquam, nature conditor universe: qui mosen suum quonam ordine cuncta crearit solus plane edocuit: quique sanctissimas leges que populo suo moderarentur: eidem benignus aperuit: idem ille profecto admirabili quadam liberalitate carmen quoque. quo singula conscriberentur: ostendit. Sed non lasciuit inquis diuinus ille moses: nec prophete ceteri quicquam ridiculum videntur afferre. sed neque tragici profecto (ut de reliquis poetis interim taceam), si modo que vera sunt fateri non pudet, quoquo pacto lasciuiunt, nec inanes nugas contexere gaudent. est enim apud illos altiloquus atque expolitus sermo: sententia grauis: ea-

que creberrima: queque religiosissimum quemque non mediocriter oblectare queat. Quod ex sophocle atque euripide quorum sententiis exquisitissimis moralius nihil afferri potest: colligere facile licet. Sed quid per deos immortales exactissimarum cultissimi senece tragediarum lectione iocundissima (quodoquidem latinus alius non extat) aut salubrius aut utilius proferri posse credimus? hunc profecto magnates si perlegerint eidemque fidem putarint habendam: nec oblatis facile extumescant honoribus: nec in quenquam belluarum more seuiendum arbitrabuntur. Sic enim potentissimos quosque diuinus ille poeta hortatur:

Vos quibus rector maris atque terre
Ius dedit magnum necis atque vite:
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quicquid a vobis minor extimescit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.

Et quid bone deus admonitione hac saluberrima sanctius? quid seuerius? quid religiosius excogitari dicive potest? Nemo (mea quidem sententia) tam poterit ebes inveniri: qui non hec diuinis esse oraculis quam simillima ingenue fateatur. Que si altiori mente repetenda ducerent: qui populis multis longe lateque imperitare gaudent: et minus profecto bellorum consurgeret: et seditionum minus passim conflaretur. Atque ut liberrime quod sentio profitear, cogitanti mihi et sacratissimas canonicorum librorum hystorias: queque ex hiis monemur atque docemur memoria repetenti: denique hec ipsa cum diuis nostri senece carminibus conferenti: tantum fateor admirationis incuti solet: ut ea mihi meritis a nemine laudibus extolli posse videantur. quid enim mansuetissimus ille dauid atque ab omni arrogantia longe remotissimus paterni custos pecoris ad regiaque praeter spem euectus fastigia? quid contra regali deiectus solio saul, tandemque miserabiliter inter-

emptus ostendit? quid iob quoque, et gravissimo rei familiaris damno: et molestissimo afflictus morbo: tandemque et diuiciis et pristine restitutus sanitati demonstrat, nisi secundis prosperisque rebus non nimium esse confidendum? rursumque lapsis prorsusque afflictis meliora minime desperari debere: atque hoc ipsum gravissimus seneca noster in eo carmine cuius iam fecimus mentionem hiis versibus admonet:

Nemo confidat nimium secundis.
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hec illis prohibetque cloto
Stare fortunam. rotat omne fatum.

Que verba si quis homine christiano putabit indigna, is nimirum imperitie proprie euidentissimum praebebit argumentum. neque enim ita de fortuna prudentissimus seneca scribit: quasi per illam deam aliquam cecam, mundumque praeclarissimum dei immortalis opus temere citraque rationem summam gubernari intelligat: quin potius hoc utitur verbo: ut ea que diuine sapiencie certissima sunt atque notissima: eorundem mortalibus ignotam esse rationem ostendat. Neque fato veluti immobili aliqua necessitate constringi deum putat. sed esse stabilissimum quicquid eterna decreuerit sapientia: esseque rerum omnium vicissitudinem: nec absurde quidem, arbitratur. Quod autem neque samsoni fortissimo validissimas robusti corporis vires: nec rursum sapientissimo salomoni incredibili donatum ingenio pectus praestitisse animadvertimus: ut ultima possent deuitare fata: quid aliud obsecro monemur, nisi quod mortem ipsam quocunque in loco simus, securi nihilque trepidantes expectandam esse arbitrari debeamus: dum ad hoc ipsum praeclarissima illa iam bis allati carminis perhiodus non parum facere videtur. que in hunc modum se habet:

Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum ut posset sibi polliceri:

Res deus nostras celeri citatas
Turbine uersat.

Neque deos hoc in loco: sed deum potius verum, rerum omnium conditorem (ut illum religiosissime sensisse negare non possis), nominandum censuit. Porro diuitias non esse magnopere appetendas, nec honores quoque nec dignitates sollicita nimis ambitione querendas communis omnium salvator christus maximo nobis est argumento. quem hec omnia et contempsisse penitus et veris christianis prorsus esse contemnenda manifestissime docuisse minime dubitamus. sed neque grauissimi senece in eandem sentenciam cultissima nobis carmina desunt. Inquit enim:

Venit ad pigros cana senectus,
Humilique loco, sed certa, sedet.
Sordida parue fortuna domus.
Alte virtus animosa cadit.

Videbimur profecto non tam epistolam quam orationem conscribere voluisse, si quecunque apud tanta eloquentia tantaque fecunditate virum sacris consentanea litteris inuenimus, in medium putabimus afferenda. Vellem equidem, doctissime petre, ea nostris ludi magistris ingenia forent, quibus in interpretandis tam diuini auctoris tragediis versari locupletissime possent: suis nimirum scolasticis longe magis quam nescio quorum insipidorum voluminum expositione barbarissima profuturi. At dicet forsan tetricus ac seuerus quispiam: quid animo religioso (quali optimum quemque christianum praeditum esse decet) cum fedissimis clitemnestre adulteriis? quid cum agamemnone ab impudicissima coniuge quam miserrime trucidato? quid cum thieste qui proprios imprudens depastus filios atque eorundem recenti potus sanguine perhibetur? Ista procul dubio religiosissimus quisque nescire quam pernosse malle debet. quippe ob id ipsum lactancio non infima auctoritate viro tragicorum poemata displicere videntur.

Inquit enim: Tragice hystorie subiiciunt oculis parricidia et incesta regum malorum et cothurnata scelera demonstrant. Video o seuere morum castigator quid obiicias. at te profecto intelligere decet ea potissimum ratione adductum esse lactancium: quod numerosa carmina audientium animis soluto sermone tenatius adherescere minime dubitaret. preterea qui suapte natura nihil ab iniquis facinoribus abhorrescunt: que scelestos redolent mores, memoria quam diligentissime tenent: que autem ad virtutum hortantur studia, ea ne minimam quidem cellulam qua requiescant inveniunt. sed non ideo cuiquam ab utilissima tragicorum lectione abstinendum putauerim: simili namque ratione probatissimam canonicorum librorum lectionem nocere posse, quis inficiari timuerit? Illic namque et iniquissimum dauid homicidium et salomonis insaciata libido apertius ostenditur. alia praeterea scelestissimorum principum detestanda facinora: que sacrarum litterarum peritum latent neminem. neque enim que factu turpia sunt atque nefaria tragicis extolluntur carminibus. quinymo flagitiosissima queque probatissimi quique tragediarum auctores vehementissime detestantur. Ideo namque funestas sceleratorum principum clades spectancium oculis subiectas volunt: ut intellectu facile sit: vitam que cum flagiciis ac sceleribus agitur, infausta atque infelici morte plerumque claudi solere. Itaque grauiter ac sapienter admodum archelao euripides respondisse credendus est a quo cum rogaretur ut laudandi illius celebrandique gratia tragediam scriberet: constanter renuens: utinam o rex inquit nihil admittas unquam quod tragedia dignum videatur. verbum profecto prudentissimo optimoque viro dignissimum. Sed quid obsecro cause putamus esse ut binas de hercule tragedias noster seneca scribere voluerit: de reliquis autem satis illi visum sit si de singulis singule scriberentur? nempe quod inculcandum solertius arbitrabatur: solam esse

virtutem (quam nulli citra labores innumeros contingere certissimum est) que et teterrima seuissimi plutonis imperia minime pertimescit: et mortales ad triumphatissimas illas celestis regni sedes perducere expeditissime potest. hoc enim carminibus illis quibus ultima clauditur tragedia *) pulcherrime demonstratur. que quoniam plerisque notissima sunt, usque adeo inquam ut propter diuinam illorum sentenciam eos quoque qui cultissimi senece tragedias perlegere minime lateant: ea consulto duximus omittenda. Hoc itaque tam utile tamque magnificandum opus ex incorrectissimo penitusque mutilato et emendatissimum et integerrimum noster balbus reddidit: adeo ut iam decori pristino restitutum esse videatur. bene de quamplurimis (mea quidem sentencia) meritus: qui hac ipsa lectione (nisi me spes fallit) et policiores sunt et meliores euasuri. Quodsi hoc pacto tum emendandis, tum interpretandis maiorum nostrorum voluminibus studiosissimus perget adolescens: futurum nihil ambigo quin balbum tuum de cuius tam litteris quam ingenio optimam (ut equum est) opinionem habes: magis indies magisque probandum arbitrere. Vale felix.

---

Ad calcem ejus editionis haec adjecta:
Carolus fernandus lectorem alloquitur.
Qui legis altiloqui veneranda poemata vatis:
  Musa coturnato cui dedit ore loqui.
Hactenus antiquo nimium spoliata nitore:
  Nunc tamen ad priscum visa rediisse iubar.
Te balbi meminisse decet: qui codice multo
  Collato hec tribuit munera tanta tibi.
Multaque vuolfgango debetur gratia: cuius
  Hec nitet artifici littera pressa manu.

---

*) Hercules Oetaeus, quae tragoedia post Octaviam etiam poni solet, certe post ceteras Senecae, in antiquis libris.

Ite alacres igitur paucis ne parcite nummis:
Quando potest minimo maximus auctor emi.

**Impressum parisius in vico clauso brunelli per Iohannem higman vuilhelmum praepositi et vuolfgangum hopyl socios.**

---

## FRID. HENR. BOTHII

### Elegia ad Lectorem.

Accipito Tragici a vitiis virtute redemti
Enneadem, demens obtineatque locum
Et Nero vix meritum, lugensque Octavia fratrem,
Quam Pandatariae tradidit ora neci.
Herculeï cui non animi furor intima quasset
Ossa novercalis, magnanimusque dolor?
Hunc habuit tellus, mala dum vincenda supersunt
Monstraque; pacatis omnibus astra petit.
At comes Hippolytum quaerens per membra redire
Aegides noctem percupit ad Stygiam.
Atrea sideribus gradientem caede patratâ
Aequalem facibus tu preme, Tisiphone,
Verberibusque magas ulciscere Colchidos artes,
Quâ genitor, frater, vir, doluitque puer!
Oedipodae scelus innocui quae poena rependit?
Hostibus errorem, dî, date sanguineum!
Troadas at video! video vos, Hectoris uxor
Et genitrix, mortique Astyanacta datum!
Sperate, o miserae: properat Rhamnusia: conjux,
En, caput abscissum fert Agamemnonium!
Justitiam docuit coelestem maximus auctor
Sic fera captantem gaudia discipulum,
Nec vicit ratione nefas, caesoque magistro
Fatales poenas improbus ipse dedit.

---

## *) J. LIPSIUS FRANC. RAPHELENGIO FR. F. PLANTINIANO S. D.

Quòd seriò tandem manum et mentem admoveris Senecae Tragoediis, valdè id nobis, mi Francisce, gratum. Et nonne diu tale aliquid oportuit in hoc ingenio, in hoc otio? Illud adest, istud superest: nec culpa hîc esse potest, nisi à deside voluntate. Atqui ingenium ut ferrum esse scito. splendescet, si utare: rubiginem contrahet, si recondas. Utere igitur. et inprimis ad haec ista: quae gratiam tibi apud me, apud avum, famam gignent apud omnes. Sed auxiliumne etiam à me poscis? ego consilio defunctum me putabam. tamen et illud accipe: simul in his talibus veram vocem,

*Αὔδα ὅ, τι φρονέεις. τελέσαι δέ με θυμὸς ἀνώγει.*

Nam amicissimi Plantini mei causâ quid non velim? quid non et pro istâ Plantinianâ stirpe? quam Deus mihi sinat crescere rectam et in rectâ virtutis viâ.

*Tragoediae hae non unius viri opus.*

Tria petis. Quid de Scriptore Tragoediarum sentiam? Quid de ordine? Quid habeam ad ipsas? De primo sic respondeo, scriptorem

---

*) Dissertationes hae triumvirorum clarissimorum cum multum valeant ad acuendum, praesertim in re tragicâ, judicium, earumque passim mentio fiat apud scriptores, nec tamen vulgo obviae sint: ponendas eas hoc loco existimavimus, omissis potius, quae notissima alibi in libris minime obscuris de Nostri vitâ et scriptis eorumque editionibus leguntur, de quibus nonnihil monitum a nobis est in Indice rerum memorabiliorum.

iis dari à me non unum: nec Criticos nostros audio, qui aliter pertendunt. Stilum et elocutionem quisquis seriò paullò magis examinat, non à me sentit? sentit, aut profectò nihil sentit. Discrimen nimis clarum. Octaviam et Medeam unius mentis et manus esse quis dixerit? quis Thebaida et Troada? peritus nemo judex, et cui purgatior paullò auris. Ego tres scriptores odoror, fortasse et quartum. Audi. Plerasque ex istis Annaei Senecae esse fateor (sive Lucium ei praenomen, sive Marcum. nam liber sanè meus uno loco utrumque ambiguè congerit), sed Senecae novioris. Filiíne illius, qui Philosophus? vix arbitror: nec scripta mihi suadeant tam bonum aevum. Trajani imperio, imò infrà, si vixisse quemcumque hunc Senecam dicam, à vero non abibo. Certè à veteri illo alius est, vel Sidonio teste, cujus versus innotuëre:

*Videntur quattuor texuisse. Septem junioris Senecae sunt.*

*Qui valdè remotus à Philosopho.*

*Quorum unus colit hispidum Platona:*
*Orchestram quatit alter Euripidis.*

Etiam Terentiano:

*In Tragicis junxere choris hunc saepe diserti*
*Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.*

Nam Tragicum hunc, ecce, posteriorem facit Pomponio: quem clarum est vixisse eodem cum grandiori Senecâ, id est Claudiano aevo. Quòd autem de hisce Tragoediis sentiant, liquet ex eodem Terentiano, apud quem versus cum Senecae nomine, quos hodiéque in Hercule Furente legas:

*Exemplum et Senecae dabo:*
*„Thebis laeta dies adest,*
*„Aras tangite supplices:*
*„Pingues caedite victimas.*

Is ergo unus scriptor. Quis alter? etiam Seneca: sed ille bonus, ille meus. Nam Medeae cur non auctorem hunc audacter tribuam? Fabius impellit, qui semiversum ex eâ hunc citat:

*At una Senecae majoris, Fabii fide.*

— *quas peti terras jubes?*

et quidem Senecâ auctore. Quis ergo alius Seneca uspiam ei nominatus praeter nostrum? Et certè si non hunc voluit, notâ aliquâ aut verbulo (quae ejus accuratio est) indicasset. Addo argumentum ab aevo, quo colligo eam scriptam ex hisce versibus.

*Et ratiocinio temporis.*

> *Parcite, ô divi, veniam precamur,*
> *Vivat ut tutus, mare qui subegit:*
> *Sed furit vinci dominus profundi*
> *Regna secunda.*

Quos omnino insitos decorè et ingeniosè in laudem Claudii, qui Britanniam tunc aperiebat, planè mihi sedet. At Seneca tunc vixit. Etiam stilus et tota scriptio hoc persuadent: quae optima, et digna optimo illo scriptore. Sanè qui Medeam attentâ et substrictâ, ut sic dicam, aure leget: illustris ingenii foetum fatebitur, et plane melioris viri, melioris aevi. En, duos scriptores habes. ubi tertius? Latet: nec facile totum eum educam. Video, nec video: esse scio, sed quo colore et nomine, nondum. Hunc ego tribuo Thebaidi. quidni? ex stilo et totâ conformatione ejus Tragoediae tam mihi certum est, alium auctorem ei esse, quam me spirare. Confer, sodes, cum ceteris: quid simile? Oeconomia diversa, sine choris, sine interruptione, continua quasi ad Comicam. Scriptio tota uniformis, simplex, sine carminum ullâ varietate. sed scriptio (ita me Deus amet!) alta, docta, grandis, et quae suo jure ambulet in cothurnis. Nihil usquam juvenile, arcessitum, fucatum. phrasis et verba lecta: sententiarum mira et inopinata acumina; et acumina virilia, fortia: quae me quidem ita feriunt, ut non exciter solùm ad ea, sed subsultem. Quid tale in aliis? audebo rem dicere. Scriptionis gemmula haec est, et quam lubens retulerim vel ad Augusti aevum. Per bellum quidem

*Denique ex stilo, qui praefulget.*

*Una, etiam ignoti Poetae. A facie scriptionis totius certo argumento.*

*Quae nimis bona.*

*Digna Augustaeo aevo. Legenda et admiranda doctis.*

civile eam scriptam, et ex argumenti electione suspicor, et ex versibus, qui quasi datâ operâ huic rei inserti. Quidquid hujus est, tollenda sanè ea, nec ultra calcanda pedibus ignari vulgi. Vos, Critici, ponite et habete audacter inter prima Romana scripta.*) Quartus scriptor producendus est: sed ambiguè. Nam nec novi, nec nimis adfirmatè de eo affirmem. Sentisco tamen eum in Octaviâ. quae nimis mutare et abire videtur ab aliis Tragoediis, imò verbere eruditorum excipienda, non plausu. Considera: nec vide tantùm, sed lustra. quid non in eâ protritum, vulgare? imò et vile? quam multa rebus verbisque inepta? quae piget excerpere et objicere tibi singillatim. Puer ego sum, nisi à puero ea scripta; certè pueri modo.

*Sed una item quarti et ignoti scriptoris: nec sanè boni.*

*Octavia jacet.*

Habes de Tragoediarum scriptoribus meum sensum: addam et de ipsis. Duas duorum eximias censeo: quibus laudator ego, non censor. In aliis virtutes video, sed non sine mixturâ vitiorum. Magnus Scaliger quòd tam laudatum de his testimonium tulerit, ut etiam Graecis antepo-suerit, an ex vero? non dixeris, nisi ad primas illas adspe-

*Judicium de his Tragoediis meum:*

*Nam Scaligeri haud rigidè verum.*

*) Similiter Lipsius in epistolâ ad Josiam Mercerum: „Nostra," inquit, „ad Senecam Tragicum jam mitto. Quid censes? et annon mecum facis in Judicio illo, quod de Scriptoribus feci? Nam τυφλὸν ἔχει ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος, ait Pindarus: non etiam tu. Profectò, si consideras, Thebais illa, Thebais ἐξαιρέτως pulchra est: et quoties lego, σέβας ἔχει, vel potiùs ἄγη. Nemo Vatum visus mihi tam altè et tam feliciter volasse." Contra Augustus Buchnerus Epist. part. 2, 64: „Lipsius Troada" (imo Troadas) „trivialis Magistri foetum judicat, quae divina plane Tragoedia, et reliquarum, quas Seneca scripsit, reverà princeps. Contrà Thebaida ita attollit, ita admiratur, ut penè adoret; in quo qui assentiatur, neminem habebit, non qui vel paululum biberit de Caballino fonte. Nempe de Poësi judicare non nisi Poëtarum est idque non omnium, sed optimorum." Cf. et sequentem Dan. Heinsii diatribam.

ctu. Nam ceterae profectò nôn ascendunt culmen istud laudis. Sonus in iis et granditas quaedam Tragica, fateor: sed nónne adfectatio saepe et tumor? Verba et dictio an usquequaque electa? Jam sententiae probae, acutae, interdum ad miraculum. sed nónne saepe et sententiolae? id est fracta, minuta quaedam dicta, obscura aut vana: quae adspectu blandiantur, excussa moveant risum. Nec enim lumina, sed scintillae sunt: nec veri fortesque ictus, sed, ut in somnio, parvi et vani conatus. Quas tamen ipsas crebrò nimis et ad fastidium inculcat, nec invenit, sed arripit: non tam suâ fortasse quàm aevi culpâ, cui Scholasticum et Declamatorium hoc genus ita placuit, *ut operum omnium* (Fabii verba sunt) *solam virtutem Sententias putarent.* Haec noto, non ut notâ Poëtam illum afficiam, sed ut te formem: discasque judicio, non praejudicio, uti, nec signare statim omnia lineâ albâ.

*Junioris Senecae media sunt.*

*Saepe in vitio*

*Praesertim affectatione sententiarum.*

*Quae communis tunc culpa.*

Alterum Quaesitum de Ordine est. frustrà. Quid enim haeres? nec unus in libris est (omnes ferè variant), nec sanè refert. In Plauto ad litteram Comoediae disponuntur. tu istas, ut voles. Nam in tempora cujusque Fabulae quid inquiras? supervacuum est. Sequere, si omnino aliquid à me vis, ordinem hunc bonitatis, et praeeat vel Thebais, vel Medea.

*Ordo in his fabulis nullus.*

Tertium erat, Si quid ad ipsas? Ego verò, etsi jam antè satis emendatas (haec enim strictis versibus scripta arcent ferè et cohibent malas manus) postremùm etiam seriò et industriè correxerit V. Cl. Antonius Delrio, aeternùm nobis amicus: tamen accipe et a me ista. quorum partem ab ingenio esse scies et subitâ inventione, cum tuâ caussâ paullò intentiùs legerem: partem a libro scripto veteri sanè bono, quem habemus dono Paulli Melissi, magni

*Quae nostra hic opera.*

*Et auxilia.*

vatis etc. Habes, mi Raphelengi, quae inter legendum, ut fit, ad oras notaveram mei libri: sed notaveram mihi. Nam describere haec aut digerere in alienum usum, nec cogitavi unquam ἐν ὀνείροις etc. Vale. Scripsi Lugduni in Batavis, Nonis Octob. cIↃIↃLXXXVII.

# DAN. HEINSII

## DE TRAGOEDIARUM AUCTORIBUS DISSERTATIO. *)

De Tragoediarum ordine jam alii egerunt, et hoc literarum judices juris sibi semper vindicarunt, ut quod vellent in istis sequerentur. Proximum est de auctore. Ac Senecae quidem Medea à Fabio, Troades à Probo, Hercules Furens à Terentiano, Hippolytus à Prisciano, Thyestes à Luctatio (sive is est Lactantius) tribuitur. Nos auctores quinque hic videmus, et non dubie agnoscimus. Quarum tres istas, Troadas, Hippolytum, Medeam, Lucio Annaeo tribuimus: quem Philosophum vocant, et vixisse cum Pomponio Secundo satis constat. Fabius Instit. Orat. lib. VIII. cap. III.: *Nostri autem jungendo aut dividendo paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. Nam memini juvenis admodum, inter Pomponium et Senecam etiam Praefationibus esse tractatum, an „gradus eliminat" apud Attium in Tragoedia dici oportuisset.* Duos ecce hos Tragicos conjungit. Et hinc orta de decoro λεκτικῷ in tragoedia velitatio. Latine enim dici, post Horatium quis dubitaret? (Horat. Epist. 1, 5, 26.) Scimus et Pacuvium ea voce usum fuisse. Et quod Euripides dixerat Medea:

*) Dicendum potius erat De *harum* tragoediarum, id est de illarum, quae Senecae tribuuntur: nam de iis tantum datâ operâ agit in hoc libello vir doctissimus.

*Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς,*
*Τί πρὸς πύλαισι τήνδ' ἄγουσ' ἐρημίαν*
*Ἕστηκας;*

hoc Ennius verterat,

*Antiqua herilis fida custos corporis,*
*Quid sic extra aedes te exanimata eliminas?*

Sed hos in plerisque impolitiae censores literarii notabant. Attio plus tribuebant, imo principatum in tragoedia. Etiam Tiberii aevo nonnulli, ut Paterculus nos docet. (Hist. Rom. 1, 18.) Quare, in summo operis auctore quid decore necne fieret, praeclari isti viri quaerebant. Omnium antiquissima Hippolytus videtur. Character aequalis, tersus, pura dictio, rarissima acumina et sine ulla ambitione. Troades divina, nec Latina minus. In qua illud notes, quod in Menalippe *) Euripidis, quam Sapientem vocabant, antiqui observant, Pyrrhi et Agamemnonis colloquium ἐσχηματισμένον esse. Nam ut ibi Menalippe Euripidem, ita hic Pyrrhus repraesentat Neronem, cujus ingenium et in ista aetate ferociam occultè expressit et sub Agamemnonis persona castigat. Pyrrhus est πρόσωπον ὑποκείμενον: Nero τὸ δηλούμενον. Eo spectant illa,

*Juvenile vitium est,* regere non posse impetum.

et praeclara ista,

Quo plura possis, plura patienter feras.

et reliqua. Nam ut Graecus sub persona Menalippae opiniones suas exponebat: ita Seneca sub Agamemnonis tyrannorum mores ostendit. Quare cum partim Troadas illius, partim etiam Hecubam exprimeret, locum istum non invenit, sed dedit. sicut et personam utramque. Multum eo veteres delectabantur. Adducuntur verba à Grammaticis divina, quibus mortem Socratis in

---

*) Imo Melanippe. Vid. Muncker. ad Hygini fab. 186.

Palamede Euripides lugebat. Neque aliter ingratitudinem filii sui Iophontis traduxisse Sophoclem, fit verisimile. Ideoque διπλοῦν σχῆμα habere dicuntur: quia alius est repraesentans, alius qui repraesentatur. Hoc quoque ad Homerum referunt: quem de se nonnulla sub Demodoci persona innuisse, Platonici notarunt. Tertia est Medea: teste Fabio, et, ut quivis videt, ejusdem auctoris. Has tres miror extitisse quenquam, qui ejusdem esse cum reliquis existimaret. Quatuor, Herculem Furentem, Thyestem, Oedipum et Agamemnonem M. Senecae adscribimus. Ideoque et Senecae nomine ab antiquis laudantur. Et in libris manu exaratis modó Lucii modo Marci invenias praenomen, in quibusdam utrumque, ut in optimo, quo usus est vir summus Justus Lipsius. Caeterum accurati judicis acumine est opus, qui suas cuique adscribat. Posteriorem hunc Tragicum vocant. Paulus Diaconus Hist. Miscellan. lib. VIII: *Hujus* (Neronis) *temporibus poëtae pollebant Romae Lucanus Juvenalis et Persius, Senecaque Tragicus, Musonius, atque Plutarchus philosophi.* Sidonius (carm. 9. ad Magnum Felicem):

*Quorum unus colit hispidum Platona,*
*Incassumque suum monet Neronem;*
*Orchestram quatit alter Euripidis.*

Alterum autem etiam poëmata scripsisse, et quidem crebro, vel Tacitus, ut alios omittam, nos docet. Caeterum cum duae sint tragoediae partes; altera uniformis et ejusdem metri, quam κατὰ στίχον ideo vocant, quae excepto choro omnia complectitur et iambum non excedit; altera, quae variis utitur metris, pars nimirum chorica: hinc nonnunquam differentias Critici notabant.*) Ita Sophocles pericommatis, antistrophicis maxime delectatur Euripides. Latini cum has differentias ignorent,

*) De re metricâ Senecae vid. index hujus editionis v. versus.

versibus tamen differunt. quos aut eosdem ponunt, aut cum aliis jungunt. In tribus istis Lucii chori fere ex hendecasyllabis sapphicis, anapaesticis, choriambicis, glyconiis constant. quibus alii interdum extra ordinem inseruntur. Pomponius Secundus, qui cum Lucio vixit, aut primus aut prae caeteris dactylicos tetrametros junxit in choris. Ejus sicut aemulus et, ut Graeci dicerent magistri, *ἀντιδιδάσκαλος* fuit Lucius, ita imitator in hac parte Marcus. Terentianus (Putsch. collect. pag. 2430):

*In Tragicis junxere choris hunc saepe diserti*
*Annaeus Seneca, et Pomponius ante Secundus.*

ubi illud *ante* nota *διακριτικὴ* est, ut constet, uter utrum sit imitatus. Nam cum, ut praenomen Marci adderet, non permitteret metrum*), alium fuisse ostendit quam qui cum Pomponio vivebat. Lucius quemadmodum in aliis, ita hic Pomponii judicium neglexit. Saltem in his tribus nunquam est secutus. Plures verò nusquam ei tribuuntur. Semel verò Marcus: in Oedipode nimirum, ubi plurimi dactylici in choro, qui ex metris constat *ἀτάκτοις*, junguntur. Id ita studiose Graecorum critici notabant, ut plerisque versibus non ab inventore, sed ab eo qui frequenter iis uteretur, nomen posuerint. Ita docent, Teium Anacreontem, cum Athenis esset ac amaret Critiam, neque parum lectione Aeschyli delectaretur, Anacreonticos ejus exemplo fecisse, qui hoc nomen postea obtinuerunt. Lucius vulgares Sapphicos novo pede in secundo fregit. Itaque propter temporum aequalitatem. Atque hoc illi fere est perpetuum.

---

*) Fallitur vir optimus, siquidem nullo negotio scribere, si res tulisset, Terentianus potuit:

In Tragicis junxere choris hunc saepe diserti
*Et Marcus* Seneca et P. a. S.

Videndum de hoc loco Joh. Isacii Pontani Prolegomenon, Heinsiano subjunctum, de harum tragoediarum scriptoribus.

Troadibus,

*An sub Oechaliis latebrosa sylvis?*

sicut legitur in scriptis.

*An ferax varii lapidis Carystos?*
*Troja qua jaceat regione monstrans.*

Hippolyto,

*Quaeque ad Hesperias jacet ora metas.*

quod a correctoribus mutatum est. Ut et illud,

*Si qua Parrhasiae glacialis Ursae.*

Medea,

*Sumere innumeras solitum figuras.*

Et fortasse non pauci, qui sunt corrupti. Hoc in Marco non invenies magis quam in Flacco. Unus extat, quem corruptum esse eruditi ostenderunt. quod et ipsum libri cum ratione evincunt, ut et consuetudo poëtae. At character utriusque, ut et sermo, multum distant. Marci enim plus declamatorium habet. Quae res ita plana est, ut si nihil praeter Prologum Medeae aut Troadum et Herculis Furentis extaret, non unius esse auctoris judicaturi fuerimus. Marci saepe breves ac concisas videas periodos: idque acuminis causa. Lucii pauciores ἀναπαύσεις habent, et antiquitatem magis sapiunt. Ajunt virum nunquam satis laudatum Sophoclem, cum Antigonem suam legeret, et cum longa periodo spiritu contento paria fecisset, subito expirasse. Hoc in Thebaide ei nunquam evenisset, quia plerumque non eunt, sed cadunt*). Ideoque et numeris nocent, et tragoediae majestatem non minus enervant, quam Lucani sententiae heroicas leges et Virgilianam gravitatem. Magnae enim res pares periodos desiderant, ut recte Demetrius. In Lucio non raro tota oratio instruit: in Marco saepius gnomae tantum inseruntur. Choros excipio. Nam qualis

*) Rectius, opinor, dixisset: *quâ* (vel *cujus*) *pleraque* non eunt etc. Certe tale quid voluit.

ille in Thyeste, *Tandem regia nobilis*, et alii nonnulli? Vide Hecubae orationem in principio Troadum: et Nutricis de amore praeclaram. Iam locorum major supellex in Lucio. quae res mire antiquitatem sapit. Talis est commendatio vitae agrestis sub persona Hippolyti: quaeque pro voluptate item, et conservando genere humano propagatione Veneris, a Nutrice dicuntur. Idem in exprimendis antiquorum virtutibus, non minus felicior quam diligentior. Ut cum in Troadibus Hectorem e secundo Aeneidos desumsit, in Andromaches somnio. Et nonnulla ex Ovidio in Hippolyto. Quae sunt mirè florida. Certe quae a Phaedra dicuntur, cum amorem suum Hippolyto fatetur, nemo praeter unum Ovidium dixisset. Ita dupliciter de nobis est meritus: nam et frugi orationem dedit, et quo pacto exprimendae veterum virtutes essent, nos docuit. Neutrum a declamatoribus expectes, qui contenti suo acumine, nec solliciti ut aeque bene dicant, satis habent aliter dixisse. In narrando autem, ubi maxime τῆς ἑρμηνείας vis elucet, vel Euripidem provocat. Sicut in pulcherrima ista, quae est de Hippolyti morte. Neque enim cedit candore orationis, et sublimitate vincit, ad sermonem usque antiquorum studiosus. Quos dum Marcus propria virtute sui temporis anteire conatur, saepe tantum fit dissimilis: civilem autem vix retinuit sermonem: in quo Euripides excellit, quanquam saepe tragicus vix ultra affectus. Marcus luxuriam non semper vitavit; Lucius verò etiam in aliis castigat. De Polyxena apud Nasonem dicebat Hecuba,

*— — — — — Cinis ipse sepulti*
*In genus hoc saevit. tumulo quoque sensimus hostem.*
*Aeacidae foecunda fui.*

Id secutus est ille, sed ut castigaret:

*Adhuc Achilles vivit in poenas Phrygum?*
*Adhuc rebellat? O manum Paridis levem!*
*Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.*

Nam et variavit quod dixit, et ad vehementiam, oratio-

nis figuram addidit. Et servavit quod eminebat, et rejecit quod abundabat. Aliud est enim rebellare, aliud adhuc vivere, aliud post obitum sanguinem sitire. Duo priora etiam interrogando: quae πολιτικώτερον efficiunt sermonem, et formam immutant. In quo Marcum patrem est secutus, qui in Controversiis praeiverat. Ibi enim de hoc loco ait: *Cum Polyxena esset abducta, ut ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit,*

*— — — — — Cinis ipse sepulti*
*In genus hoc saevit.*

*Poterat hoc contentus esse: adjecit,*

*— — tumulo quoque sensimus hostem.*

*Nec hoc contentus adjecit,*

*Aeacidae foecunda fui.*

*Ajebat autem Scaurus rem veram: non minus magnam virtutem esse, bene desinere quam scite dicere.* Marci quoque sermo eo minus est moratus, quanto saepius acute multa dicit. Quod ut recte fit ab eo, ita alienum est à natura. Non enim est singulorum. Nam cum qualitatem animi omnis indicet oratio, eaque vel mores complectatur vel affectus, nemo qui acutè loquitur, talem esse se significat, sed otiosum. Poëta autem imitatur. Vide Andromaches sermonem in Troadibus. Modo furit prae dolore et rabit: modo lamentatur et commiserationem movet, ut cum filio abeunti aeternum vale dicit. Plerumque autem est talis, qualem tum fuisse est aequum. In attribuendo quoque (mores) suos singulis minor est Marcus. Nam Thyestae quare optimos dedit? aut cur non eosdem? Primo enim ἄθεον vides: *Si sunt tamen Dii.* In eadem scena Stoicum: *Mihi crede, falsis magna nominibus placent,* et quae tum praecedunt, tum sequuntur. In fine etiam pium: libat enim, cum bibit: *Paternis vina libentur diis, Tunc hauriantur.* Primum igitur dissimiles dedit: non enim talis Atreus. Deinde inaequales: nam dissimilis et sui est. Alterum ἀνόμοιον, alterum ἀνώμαλον, Aristoteles vo-

caret. Ulysses in Troadibus etiam eum, qui in Hecuba est, antecedit: vafritiem enim, quantum locus is ferebat, addidit. Graeci δριμὺ melius et δόλιον id vocant. Quod in multis illi locis dederat Euripides. Aeschylus ob innatam austeritatem minus id assequebatur. Constitutionis quoque ratio non eadem. Una Marci Oedipus est mirè artificiosa: sola enim et agnitionem et mutationem in contrarium habet. Sed ex Sophocle expressa est. Hoc perpetuum est Euripidi, ut Prologis suis nudam argumenti expositionem intexat. Qui quod uniformes sint, festive ab Aristophane vexantur. quales et nonnullos collegit *). In una, quod meminerim, Iphigenia in Aulide, ex iis quae extant, hoc non observavit. Sophocles occulte id agit: et non semper uni committit. Nonnunquam rem simpliciter ingreditur, ut Aeschylus. Marcus, more Euripidis, συνεκτικὸν τῆς ὑποθέσεως praemittit, id est fabulae subjectum prologo committit. Vide in Hercule Furente Junonem, in Thyeste Tantalum, in cognomine Oedipodem, in Agamemnone Thyesten. Lucius ab actione semper inchoavit, et simpliciter εἰςβάλλει. Hecuba et Medea, ut in medio, calamitates suas ἐμπαθῶς deplorant. Haec ex parte, illa prorsus, quid futurum sit, ignorat. Hippolytus à venatione inchoavit et suorum adhortatione; idque eodem metro, quo Rhesi auctor. Qua tragoedia post Sophoclem nulla extat consummatior. Eam nos cum studiose legeremus, neque quidquam minus quam humilitatem et rhetoricam Euripidis subtilitatem, sed nec simplicissimam Aeschyli austeritatem et translationum audaciam, neque compositionem Sophocleam et orationis difficultates, oeconomiam autem longe ab eo diversam videremus, nunquam dubitavimus, quin quartus aliquis quaerendus esset auctor. Quem ex intima antiquitate tandem eruimus, et certissimis indiciis, quis esset, in grammaticorum libris

*) Haec verba quid sibi velint, non intelligo.

invenimus. Qui error ita est antiquus, ut in priscis Criticorum catalogis Euripidi adscriberetur. *) Adeo refert, quo quis ad ista judicio accedat. Lucius libenter oculos moratur, et in scena multa repraesentat. Medea, contra Flacci praeceptum, liberos aperte, certe alterum, trucidat. In Troadibus matri coram populo eripitur Astyanax. In Hippolyto manum sibi infert Phaedra: heros autem jam divulsus exhibetur. Marcus plurimum oratione defungitur. In Thyeste, in Oedipo, in Agamemnone, id apparet. Ubi ne Cassandram quidem necesse est populo spectante jugulari. In Furente autem Hercule, cum sequi Euripidem posset, periculosam nobis ὄψιν dedit. Megarae enim et filiolo in scena cerebrum elidit Hercules. Itaque histrionem vix invenias, qui vim Alcidae experiri, et sine ullo fuco repraesentare hoc vellet: capitis enim ejus interesset. Haec est causa, cur propudium illud generis humani Nero eas fabulas deligeret, quae periculosa θεωρήματα ὑποκριτικὰ haberent, ut se sanguine histrionum oblectaret. Qualis erat iste Icarus, qui (verba sunt Tranquilli) *primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit.* Idem cum Insanum Herculem cantaret, evenisse putamus. Marcus raro Stoicorum opiniones interserit. Lucius nec Epicuri sui nec Metrodori dissimulat, qui in ejus philosophicis paginam utramque faciunt. In Troadibus vero plena manu spargit eas atque ostentat, sicut suas saepe Euripides. Quod istarum rerum judices πολυπραγμοσύνην dixerunt. Idque sine nota, ubi affectatio abest, adest modus, qui Euripidi non raro deest, Lucius autem nunquam excedit. *Nihil esse post mortem Epicuri schola est*, ait vir eruditissi-

*) Vid. Clariss. Chr. Dan. Beckii programma de Rheso, quam fabulam ab adolescentulo scriptam Euripide nobis videri, alibi significavimus. Quam mutent interdum suique dissimiles scriptores fiant, vel unius, Schilleri nostri, exemplum docet.

mus Tertullianus: et mox Lucii opinionem subjungit, qui hoc toto choro egit. In quo non tam posuit opinionem suam quam confirmavit. Eadem enim in Epistolis ad Lucilium. Et ad verbum prope in Consolatione ad Marciam. Hic,

*Quaeris, quo jaceas post obitum loco?*
*Quo non nata jacent.*

Ibi: *Mori omnium dolorum et solutio est et finis, ultra quam mala nostra non exeunt. Quae nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur jacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, et non natorum misereatur.* Hic,

*Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.*

Ibi: *Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod vero ipsum nihil est, et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit.* Hic,

— — — *Taenara et aspero*
*Regnum sub domino, limen et obsidens*
*Custos non facili Cerberus ostio,*
*Rumores vacui verbaque inania;*
*Et par sollicito fabula somnio.*

Ibi: *Illa, quae nobis Inferos faciunt terribiles, fabula. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec reos ullos in illa libertate tam laxa; nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poëtae, et vanis nos agitavere terroribus.* Tale apud Marcum nihil: nam cum ejus dramatis et argumentis hoc pugnat. In prima enim Hercules ac Theseus à defunctis redeunt. In Thyeste Tantali, in Agamemnone Thyestis umbra in scenam venit. In Oedipode defuncti evocantur, et Homeri *νεκυία* exprimitur. Ibi enim habes antiquissimum pro animae immortalitate, quod exceptis sacris extat, testimonium. Quae opinio diu ante Pherecyden in Graecia extabat, et cum disciplinis est nata. Aeschylus vero,

Euripides, ac Sophocles, pro confesso id sumunt. Quorum non sententiae modo, verum etiam oeconomiae atque argumenta, opinione ista nituntur. Neque aliter loquuntur, ne evertant, quod ponunt. Etiam in Troadibus Polyxena cui nubit? Annon Achilli, cujus ipse idolum describit? Quodsi animae post obitum sunt nihil, ne idola quidem esse possunt. quae κηνύγματα ab Aeschylo, et quo notam meruit grammaticorum, ὄψανα dicuntur. Primum ab Homero, quo jam diximus loco, fabricatum est, et ingentem postea usum habuit. Igitur vulgarem, quia dispositioni serviebat, praetermittere non voluit: suam, ubi maxima est poëtae tragico libertas, in choro proposuit. Et de his quidem hactenus. Tres restant. Quarum de duabus, Hercule in Oeta et Thebaide, suo à nobis loco dicetur. Octaviae auctor trivitali moneta percussit. Sunt in ea tamen quaedam minus putida, nec minus Latina, quam in altera earum, quae ubique tumet. Huic vero ne sermone quidem cedit, ne quid amplius adjungam: luxuriam autem istam ac redundantiam non habet; humi serpit tamen etc. (Lugd. Bat. CIƆIƆCXI.)

# JOHANNIS ISACII PONTANI

## DE AUCTORIBUS TRAGOEDIARUM

*ad V. Cl. Petrum Scriverium Prolegomenon.*

Quae jam olim, Scriveri clarissime, ad Senecam Tragicum, adjutus Cantabrigiensi MS., et nunc occasione codicis Basiniani, qui penes me MS. similiter, annotavi, tibi ea omnia in unum collecta fascem, quomodo proximè pollicitus fui, mitto, adjuncto eodem illo codice meo. Sed et sententiam meam promiseram de auctoribus Tragoediarum, quae L. Annaeo Senecae vulgo tribuuntur. De his quam diversa sint aevi nostri summorum virorum judicia, non ignoras. *) Clarissimus Justus Lipsius cùm primùm in eam sententiam discessisset, ut statueret esse plerasque Annaei Senecae, nec tamen Philosophi, eò abiit ut, unâ exceptâ Medeâ, caeteras ad imperium Trajani, aut infra etiam, rejiceret. Fundus illi hujusce opinionis Terentianus praecipuè fuit, qui, de Tragicis agens, ostendensque quinam in choris dactylicos tetrametros aut primi aut prae caeteris junxissent, ita inter caetera loquitur:

*In Tragicis junxere choris hunc saepe diserti*
*Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.*

---

*) Ne hodie quidem desunt, qui L. Annaeo Senecae, philosopho, abjudicent harum tragoediarum priores novem. Quos ad quietem dare poterit Pontanus.

Collegit enim iis ex verbis, Tragicum ibi Senecam Philosopho juniorem esse, et ideo à Terentiano posteriorem statui Pompónio, qui, ut ex Fabio constat, eodem cum Philosopho, Claudii nimirum et Neronis aevo, claruit. Et hoc, quantum censeo, suppeditaverit ei vocula illa *ante*, quasi nota *διακριτικῇ* et vim discernendi habens, posita. At contra est, et clarè id ostendit Fabius, qui utrumque, Pomponium dico et Senecam Philosophum, non tantum fuisse coaetaneos, sed de Tragoedia quoque, et quid in ea decorum esset, familiariter inter sese certasse memorat. Ait enim lib. VIII. cap. III.: *Memini juvenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an „gradus eliminat" apud Attium in Tragoedia dici oportuisset.* Et iterum libro X. cap. I., ubi censuras auctorum agit, Pomponii inter Tragicos meminit. atque inde, expensis caeteris, etiam Senecae, quem ex industria distulisse se ait, ultimo demum loco, sed in omni studiorum genere ut excellentis, ita etiam poëmatibus clari, mentionem injicit. Adeo ut palam sit, Terentianum non tam *διακριτικῶς* quam *συγκριτικῶς* eo loco vocem *ante* usurpasse: quasi nimirum diceret, utrumque et Senecam et Pomponium id ante factitasse. Itaque Tragicum habemus, qui idem et Philosophus. Cui accedit, quod versus cum Senecae nomine ex Hercule Furente citet idem Terentianus, quos et ibi hodieque reperias; et Fabius ex ejusdem Medea, ex Troadibus Probus, ex Hippolyto Priscianus, et denique ex Thyeste Luctatius.

Hic jam factam se rem habere quispiam putet. Sed iterum controversia oritur, et movet eam Paulus Diaconus, et ante eum Sidonius praecipuè Apollinaris. Nam ille Historiae miscellae lib. VIII. Senecae Tragici meminit, quasi distinguens eum a

Philosopho. Verba ejus sunt: *Hujus* (Neronis) *temporibus Poëtae pollebant Romae Lucanus, Juvenalis et Persius, Senecaque Tragicus.* Et magis, quem dixi, Sidonius:

*Quorum unus colit hispidum Platona,*
*Incassumque suum monet Neronem;*
*Orchestram quatit alter Euripidis.*

En, disertè duos tàntùm eosque diversos Senecas agnoscit; Philosophum alterum, alterum Tragicum. At, Sidoni, Rhetor et auctor Controversiarum, quem certò constat patrem fuisse Philosophi, quo loco censebitur? An verisimile, tam obscurum et terrae quasi filium fuisse, ut ejus apud veteres nulla sit habita ratio? Negant illustria ingenii ejus monumenta, Controversiae et liber Suasoriarum, quae exstant hodieque, Philosopho hactenus, sed falsò, adscripta. Indicaverat hoc omnium primus Volaterranus operis sui undevicesimo: *Marcus Annaeus Seneca Philosophi pater, Cordubensis et equestris ordinis ac eruditissimus fuit, ut cui Declamationes, quae filii dicuntur esse, nonnulli referant.* Quod undecunque acceperit Volaterranus, verissimum est, licet Erasmo, Rhenano, aliisque, qui Senecam inter primos illustrarunt, sicuti nec Gyraldo, qui de Poëtis Graecis ac Latinis Historiam contexuit, ne quidem ἐν ὀνείροις, quod dicitur, suboluerit. Admonuit tamen post eos Alciatus libro Parergorum IV., et Lipsius postremò accuratissimè Electorum primo. Alciatus praeterea hoc adjecit, Senecam, qui Philosophus dictus, etiam Tragoediarum auctorem videri.

Hinc jam superiora illa Diaconi scilicet ita accipiam, ut Tragicum intelligat, qui simul Philosophus fuit; (quae enim omittendi ejus caussa fuisset?) et Sidonium, qui disertè alterum ab altero sejungit, communi errore seductum, Rhetorem eundem

cum Philosopho existimasse. Nec id de Sidonio mirabitur quispiam, cùm iterum simili hallucinatione, quod nescio an cuiquam adhuc animadversum, Pollam Argentariam, Lucani conjugem, post caedem Lucani Statio Papinio nuptam innuat istis ad Consentium Narbonensem versibus:

*Quid quod duplicibus jugata taedis*
*Argentaria Polla dat Poëtas?*

Volunt quidem interpretes respexisse hîc Sidonium ad Genethliacon, quo Papinius Lucani diem consecrat; et praecipuè ad Praefationem, quae est in librum secundum Silvarum, ubi *Pollam Argentariam charissimam uxorum* vocat. Verùm illud, qui locum propiùs inspiciet, non sui, sed Lucani respectu dixisse Papinium inveniet: ut omittam, refragari ipsum Genethliacon, ex quo nihil tale exsculpas; tum et Carmen ejusdem Papinii, quod sequitur libro III., ad uxorem suam Claudiam, quo eam ex urbe Neapolim, vergente jam in senium aetate, invitat. Porro Sidonii iidem interpretes, quo ejus de Seneca Philosopho et Tragico, diversis quasi auctoribus, sententiam suffulciant, hos quoque Valerii Martialis tui versiculos adducunt:

*Duosque Senecas unicumque Lucanum*
*Facunda loquitur Corduba.*

*Duos* enim ibi *Senecas* Philosophum volunt esse et Tragicum. Verùm nos, rem potiùs et auctores, quos supra laudavimus, secuti, haudquaquam dubitamus Martiali hîc Senecam patrem, quem Rhetorem diximus, et filium Philosophum intellectos. Philosophum inquam, qui et Tragicus sit, auctor Tragoediarum *Medeae*, *Troadum*, *Herculis Furentis*, *Hippolyti* et *Thyestis*, et adde, si libet, *Oedipi*;

quam actam à Nerone praeter Furentem et Thyestem, auctor est Dionis Xiphilinus: et quis ambigat compositam aliquando ab ipso Seneca, *postquam*, ut Tacitus habet libro XIV. Annalium, *amor Neroni carminum venisset?* Et Fabius Quintilianus, licet, ut supra est indicatum, Senecae Medeam tribuat nec plures nominet, agnoscit nihilominus libro X., quod et supra innuimus, ubi Operum Senecae quasi catalogum texit, ejusdem similiter poëmata; Controversiarum autem et Suasoriarum, quae, ut ante ostensum, Rhetoris, id est patris, non filii, sunt, eodem in censu nusquam idem Fabius neminit. Extra tamen ordinem, libro nimirum IX., Controversiam ex iis unam citat, et Senecam sine ullo praenomine aut alio ulteriori discrimine, quasi in re notâ satis esset Controversiae nomen posuisse, auctorem celebrat. Duos itaque Senecas habemus: patrem, qui Rhetor, et filium Philosophum, qui et Tragicus, ut jam commonstravimus. At inquies, si ergo sex illae nunc enumeratae Tragoediae ad Senecam Philosophum referendae, cujusnam erunt quatuor reliquae, *Agamemnon*, *Thebais*, *Hercules Oetaeus*, et *Octavia?* Nullas harum esse Senecae, imò et aliqui *Furentem*, *Thyestem* et *Oedipum* cum *Agamemnone* eidem adimunt, et Senecae nescio cui cum Marci praenomine, *) adscribendas volunt, *Thebaidem* ve-

*) Imo apparet, Marcum Annaeum Senecam, Philosophi, qui dicitur, patrem, intelligi a Dan. Heinsio in Dissertatione supra posita, quem presso hic nomine Pontanus tangit. Nam si nescio quem alium ille diceret, procul dubio, quae ejus est solertia, id indicasset. Nunc satis habet Marcum dicere, utpote per se notum rhetorem, qui Controversias Suasoriasque scripsit. Induxisse in errorem Isacium videtur illud, quod in fine Dissertationis harum tragoediarum ordinem hunc esse ju-

rò, *Oetaeum* et *Octaviam* diversorum facientes singulas. Quarum Octaviam clarissimus Lipsius à puero, aut pueri saltem modo, perscriptam censuit. Quamvis eam amicissimus nobis, et in hoc atque omni literarum genere eminentissimus Heinsius, licet humi serpentem, Thebaide tamen et Oetaeo, quas idem Lipsius ordine dignitatis inter primas habet, minus putidam, et cultu quoque sermonis meliorem statuit. Josephus insuper Scaliger, cujus in discernentis auctorum scriptis et à veris subdititios semovendi exactum judicium docti omnes, hoc praesertim seculo, sunt admirati, stili characterem, qui in eadem est Octaviâ, cum reliquis eundem, et auctorem quoque Neronis temporibus interfuisse existimat; rationem hanc adjiciens, quòd non tantum Cometae, qui ipso Nerone et Seneca adhuc superstite effulsit, mentionem faciat, sed se etiam praeter ceteros (nisi verba dare posteritati voluerit) spectatorem ejus fuisse asserat. Sed vixerit aevo Nerónis, an et scripsit quoque? Hoc multa sunt quae negant. Et praesertim

---

bet Heinsius:

| | |
|---|---|
| *L. Annaei Senecae.* | Hippolytus.<br>Troades.<br>Medea. |
| *M. Annaei Senecae.* | Hercules furens.<br>Thyestes.<br>Oedipus.<br>Agamemnon. |
| *Diversorum singulae.* | Thebais.<br>Hercules in Oeta.<br>Octavia. |

quem ordinem *bonitatis* ille statuens, ut Lipsius, ita intellectus fuerit a Pontano, quasi *temporis* diceret, quo isti floruerint; de quo ne per somnium quidem Heinsius cogitavit.

Agrippina nonne inter alia Actu III. ea loqui introducitur, quae cùm postea facta sint, quomodo ab ipso*), nisi Apolline aliquo pleno, perscribi potuerunt? ut taceam de culpa dicere, quam Nutrix Actu IV. Senecae affingit.

Sed de hisce haec satis. Unum accedat super iis, quas Marco tribuunt. Quod ideò a se factum docent, quia alia in iis à Lucio, id est Philosopho, Philosophiae et sectae ratio. Marcus, inquiunt, raró Stoicorum opiniones interserit; Lucius nec Epicuri sui, nec Metrodori dissimulat. Respondemus, si et idem hoc faciat, quem esse Marcum cupiunt, nonne jam facta res, et unus idemque, non verò diversus, auctor erit? Nam Agamemnone, quam Marco tribuunt, unde illi vers. 605. *leves dii* nisi ab Epicuro, aut Metrodoro, aut Scirone aliquo? Et rursum Troade, quam fabulam Lucii censent, similiter varius nec unus est. Modò enim Stoicas δόξας, modo Epicurum aut Platonicos exprimit. Et praesertim Choro primo Priamum facit in Elysiorum amoenis versantem, et Hectora inter heroas piasque animas quaerentem: cùm tamen eadem fabulâ nihil esse post mortem, pluribus inculcet. Priori enim Choro legas:

*— — — Felix Priamus,*
*Dicimus omnes: secum excedens*
*Sua regna tulit; nunc Elysii*
*Nemoris tutis errat in umbris,*
*Interque pias felix animas*
*Hectora quaerit.*

at contra Actu II. Choro altero haec occurrunt:

*— Ut calidus fumus ab ignibus*
*Vanescit spatium per breve sordidis:*

---

*) *ab ipso.* Dicere volebat: ab aliquo Neroniani aevi.

**) Is locus mendo laborare mihi visus est, quem emendare studui in Commentario.

*Sic, sic, quo regimur, spiritus effluit.*
*Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.*

Nec mirum, talem in Tragicis esse Lucium, cum in Philosophicis haud alium invenias. In Epistolis ait (epist. LXXXVI.): *Animum Africani in coelum, unde erat, rediisse persuadeo mihi.* Contra ibidem (epist. XXX.), Bassum Epicuri praeceptis obsequentem inducens, docet post mortem nihil timendum. Et alibi: *Hoc erit post me, quod ante me fuit.* Et, quod magis mireris, Consolatione ad Marciam cùm illud Epicureum extulisset: *ultra mortem mala nostra finiuntur,* statim eadem Consolatione, capite ultimo, Cordum loquentem facit mortuum et inter heroas: *Nos quoque felices animae et aeterna sortitae* etc. Quae prolixùs adduxi, ut semel constaret haud aliter philosophari Tragicum quam Philosophum: et verè, quae Graecis feruntur, hic quoque dici debent, *πάντα μία κόνις* (omnia idem pulvis) etc. Vale, Cl. Scriveri, nostrarum nugarum arbiter candidissime. Hardervici XV. Kal. Januar. cIↃ. IↃ. c. xix.

# HERCULES

## FURENS.

## *DRAMATIS PERSONAE.*

JUNO.
HERCULES.
LYCUS.
MEGARA.
AMPHITRYON.
THESEUS.
CHORUS THEBANORUM.

# HERCULES FURENS.

## ARGUMENTUM.

Lycus a Creonte, Herculis socero, rege Thebano, propter scelera in exilium missus, absente jam Hercule apud Inferos, ut inde Eurysthei jussu peteret Cerberum (ubi et Theseum in vinculis detentum, qui cum Pirithoo descenderat ad rapiendam Proserpinam, liberavit) occasionem oblatam arripit, et, per seditionem Creonte cum duobus filiis caeso, regnum Thebanum occupat. Megaram Herculis uxorem ad nuptias sollicitat, abnuenti vim parat. Opportune reversus, Hercules Lycum ceterosque illius factionis interficit. Haec tam feliciter gesta Juno non ferens immittit illi furorem, quo correptus uxorem suam cum liberis interficit. Quod ubi ad se reversus intellexit, doloris impatientiâ vix Amphitryonis atque Thesei precibus detentus, ne sibi mortem inferret, cum Theseo Athenas purgandus proficiscitur.

# ALIUD ARGUMENTUM

## *HIERONYMI BALBI.*

Maximus Alcides Stygio remeabat ab orbe
Victor, Tartareumque canem sub vincla trahebat.
Sed Juno, irarum nondum veterumque dolorum
Immemor, anguiferam nigranti sede Megaeram
Excitat: illa faces Phlegethontis ab amne petitas
Corpus in Herculeum jacit, instillatque venenum.
Tum vero Alcides, furiis accensus amaris,
Saevit, inops animi, et geminos cum conjuge natos
(Proh scelus!) ante aras indignâ morte peremit.
Ast ubi Gorgoneos male sanâ mente furores
Expulit, et dirum novit mens conscia crimen:
Ingemit, invisam cupiens abrumpere vitam.

## ACTUS PRIMUS.

### JUNO sola.

Juno Jovis furta, pellices, nothos, Herculem autem maxime stomachatur, qui ab Inferis reversus objectâ insaniâ uxorem et liberos occidit.

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est), semper alienum Jovem
Ac templa summi vidua deserui aetheris,
Locumque, coelo pulsa, pellicibus dedi.
Tellus colenda est: pellices coelum tenent.
Hinc Arctos altâ parte glacialis poli
Sublime classes sidus Argolicas agit;
Hinc, quâ tepenti vere laxatur dies,
Tyriae per undas vector Europae nitet;
Illinc timendum ratibus ac ponto gregem
Passim vagantes exserunt Atlantides.
Ferro minaci hinc terret Orion deos:
Suasque Perseus aureus stellas habet.
Hinc clara gemini signa Tyndaridae micant,
Quibusque natis mobilis tellus stetit.
Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere Superos: ne qua pars probro vacet,
Mundus puellae serta Gnossiacae gerit.
Sed vetera querimur: una me dira ac fera
Thebana nuribus sparsa tellus impiis
Quoties novercam fecit? Escendat licet,
Meumque victrix teneat Alcmene locum;
Pariterque natus astra promissa occupet,
In cujus ortus mundus impendit diem,
Tardusque Eoo Phoebus effulsit mari,
Retinere mersum jussus Oceano jubar.

Non sic abibunt odia: vivaces aget
Violentus iras animus, et saevus dolor
Aeterna bella pace sublatâ geret. —
Quae bella? Quidquid horridum tellus creat
Inimica; quidquid pontus aut aër tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum;
Fractum atque domitum est; superat et crescit malis,
Irâque nostrâ fruitur; in laudes suas
Mea vertit odia. Dum nimis saeva impero:
Patrem probavi, gloriae feci locum.
Quâ Sol reducens, quâque deponens diem
Binos propinquâ tingit Aethiopas face,
Indomita virtus colitur, et toto deus
Narratur orbe. Monstra jam desunt mihi;
Minorque labor est Herculi jussa exequi,
Quam mihi jubere; laetus imperia excipit.
Quae fera tyranni jussa violento queant
Nocere juveni? Nempe pro telis gerit,
Quae timuit et quae fudit: armatus venit
Leone et hydra. Nec satis terrae patent:
Effregit ecce! limen inferni Jovis,
Et opima victi regis ad Superos refert.
Parum est reverti: foedus Umbrarum perit.
Vidi ipsa, vidi, nocte discussâ Inferûm
Et Dite domito, spolia jactantem patri
Fraterna. Cur non victum et oppressum trahit
Ipsum catenis paria sortitum Jovi,
Ereboque capto potitur et retegit Styga?
Patefacta ab imis Manibus retro via est,
Et sacra dirae Mortis in aperto jacent.
At ille, rupto carcere Umbrarum, ferox
De me triumphat, et superbificâ manu
Atrum per urbes ducit Argolicas canem.
Viso labantem Cerbero vidi diem,
Pavidumque solem; me quoque invasit tremor,
Et terna monstri colla devicti intuens,

Timui imperasse. Levia sed nimium queror:
Coelo timendum est, regna ne summa occupet,
Qui vicit ima. Sceptra praeripiet patri,
Nec in astra lentâ veniet, ut Bacchus, viâ:
Iter ruinâ quaeret, et vacuo volet
Regnare mundo. Robore experto tumet,
Et posse coelum viribus vinci suis
Didicit ferendo: subdidit mundo caput,
Nec flexit humeros molis immensae labor,
Mediusque collo sedit Herculeo polus;
Immota cervix sidera et coelum tulit,
Et me prementem. Quaerit ad Superos viam.
Perge, Ira, perge, et magna meditantem opprime!
Congredere! manibus ipsa dilacera tuis!
Quid tanta mandas odia? Discedant ferae;
Ipse imperando fessus Eurystheus vacet;
Titanas ausos rumpere imperium Jovis
Emitte; Siculi verticis laxa specum:
Tellus gigante Doris excusso tremens
Supposita monstri colla terrifici levet;
Sublimis alias Luna concipiat feras.
Sed vicit ista. Quaeris Alcidae parem?
Nemo est, nisi ipse: bella jam secum gerat.
Adsint ab imo Tartari fundo excitae
Eumenides; ignem flammeae spargant comae;
Viperea saevae verbera incutiant manus.
I nunc, superbe, coelitum sedes pete!
Humana temne! Jam Styga et Manes, ferox,
Fugisse credis? Hic tibi ostendam Inferos!
Revocabo in altâ conditam caligine
Ultra nocentum exilia discordem deam,
Quam munit ingens montis oppositi specus!
Educam et imo Ditis e regno extraham,
Quidquid relictum est! Veniat invisum Scelus,
Suumque lambens sanguinem Impietas ferox,
Errorque, et in se semper armatus Furor!

Hoc, hoc, ministro noster utatur dolor.
Incipite, famulae Ditis: ardentem citae
Concutite pinum, et agmen horrendum anguibus
Megaera ducat, atque luctificâ manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem!
Hoc agite: poenas petite violatae Stygis!
Concutite pectus! acrior mentem excoquat,
Quam qui caminis ignis Aetnaeis furit!
Ut possit animum captus Alcides agi,
Magno furore percitus: nobis prius
Insaniendum est. Juno, cur nondum furis?
Me, me, sorores, mente dejectam meâ
Versate primam, facere si quidquam adparo
Dignum novercâ. Jam odia mutentur mea:
Gnatos reversus videat incolumes, precor,
Manuque fortis redeat. Inveni diem,
Invisa quo nos Herculis virtus juvet:
Me pariter et se vincat, et cupiat mori
Ab Inferis reversus. Hic prosit mihi,
Jove esse genitum. Stabo, et, ut certo exeant
Emissa nervo tela, librabo manum,
Regam furentis arma, pugnanti Herculi
Tandem favebo. Scelere perfecto licet
Admittat illas genitor in coelum manus.
    Movenda jam sunt bella: clarescit dies,
Ortuque Titan lucidus croceo subit.

## CHORUS THEBANORUM.

Chorus e Thebanis a descriptione ortus diei, magnatum curas studiaque damnat, Herculem audaciae in laboribus subeundis taxat, vitae denique humilis laudat tranquillitatem optatque.

Jam rara micant sidera prono    a. d. et m.
Languida mundo; nox victa vagos
Contrahit ignes luce renatâ;
Cogit nitidum Phosphoros agmen;

Signum celsi glaciale poli
Septem stellis Arcades ursae
Lucem verso temone vocant;
Jam caeruleis evectus aquis
Titan summâ prospicit Oetâ;
Jam Cadmeïs inclyta Bacchis
Adspersa die dumeta rubent,
Phoebique fugit reditura soror.
Labor exoritur durus, et omnes
Agitat curas, aperitque domos.
Pastor gelidâ cana pruinâ
Grege dimisso pabula carpit;
Ludit prato liber aperto
Nondum ruptâ fronte juvencus;
Vacuae reparant ubera matres;
Errat cursu levis incerto
Molli petulans hoedus in herbâ;
Pendet summo stridula ramo,
Pennasque novo tradere soli
Gestit, querulos inter nidos
Thracia pellex; turbaque circa
Confusa sonat, murmure mixto
Testata diem; carbasa ventis
Credit dubius navita vitae,
Laxos aurâ complente sinus;
Hic, exesis pendens scopulis,
Aut deceptos instruit hamos;
Aut suspensus spectat pressâ
Praemia dextrâ: sentit tremulum
Linea piscem.
Haec, innocuae quibus est vitae
Tranquilla quies, et laeta suo
Parvoque domus, spes et in agris.
Turbine magno Spes sollicitae
Urbibus errant trepidique Metus.

V. 161. spes. Fortasse: pes.

Ille superbos aditus regum
Durasque fores, expers somni,
Colit; hic nullo fine beatas
Componit opes, gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.
Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus,
Aurâ tumidum tollit inani:
Hic, clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens, improbus iras
Et verba locat. Novit paucos
Secura quies, qui, velocis
Memores aevi, tempora numquam
Reditura tenent. Dum fata sinunt,
Vivite laeti: properat cursu
Vita citato, volucrique Die
Rota praecipitis vertitur anni.
Durae peragunt pensa Sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta suì;
Stygias ultro quaerimus undas.
Nimium, Alcide, pectore forti
Properas moestos visere Manes:
Certo veniunt ordine Parcae.
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem:
Recipit populos urna citatos.
Alium multis gloria terris
Tradat, et omnes fama per urbes
Garrula laudet, coeloque parem
Tollat et astris; alius curru
Sublimis eat: me mea tellus
Lare secreto tutoque tegat.
Venit ad pigros cana senectus;
Humilique loco, sed certa, sedet

Sordida parvae fortuna domus:
Alte virtus animosa cadit.
Sed moesta venit crine soluto
Megara, parvum comitata gregem,
Tardusque senio graditur Alcidae parens. i. s.

---

# ACTUS SECUNDUS.

## MEGARA, AMPHITRYON.

Megara absentiam Herculis deflet enumeratis ipsius aerumnis. Lyci vim et insolentiam conqueritur. Despondentem animum Megaram et desperantem consolatur Amphitryon.

MEG. O MAGNE Olympi rector et mundi arbiter, i. s.
Jam statue tandem gravibus aerumnis modum,
Finemque cladi! Nulla lux unquam mihi
Secura fulsit; finis alterius mali
Gradus est futuri. Protinus reduci novus
Paratur hostis. Antequam laetam domum
Contingat, aliud jussus ad bellum meat.
Nec ulla requies, tempus aut ullum vacat,
Nisi dum jubetur. Sequitur a primo statim
Infesta Juno: numquid immunis fuit
Infantis aetas? Monstra superavit prius,
Quam nosse posset. Gemina cristati caput
Angues ferebant ora; quos contra obvius
Reptavit infans; igneos serpentium
Oculos remisso lumine ac placido intuens,
Artos serenis vultibus nodos tulit,
Et, tumida tenerâ guttura elidens manu,
Prolusit hydrae. Maenali pernix fera,
Multo decorum praeferens auro caput,
Deprensa cursu est. Maximus Nemeae timor
Pressus lacertis gemuit Herculeis leo.

Quid stabula memorem dira Bistonii gregis,
Suisque regem pabulum armentis datum?
Solitumque densis hispidum Erymanthi jugis
Arcadia quatere nemora Maenalium suem?
Taurumque centum non levem populis metum?
Inter remotos gentis Hesperiae greges
Pastor triformis littoris Tartessii
Peremtus, acta est praeda ab occasu ultimo;
Notum Cithaeron pavit Oceano pecus.
Penetrare jussus solis aestivi plagas,
Et adusta medius regna quae torret dies,
Utrimque montes solvit: abrupto objice
Latam ruenti fecit Oceano viam.
Post haec, adortus nemoris opulenti domos,
Aurifera vigilis spolia serpentis tulit.
Quid? saeva Lernae monstra, numerosum malum,
Non igne demum vicit et docuit mori?
Solitasque pennis condere obductis diem
Petiit ab ipsis nubibus Stymphalidas?
Non vicit illum caelibis semper tori
Regina gentis vidua Thermodontiae:
Nec ad omne clarum facinus audaces manus
Stabulis fugavit turpis Augiae labor.
Quid ista prosunt? Orbe defenso caret.
Sensere terrae pacis auctorem suae
Abesse terris. Prosperum ac felix scelus
Virtus vocatur; sontibus parent boni;
Jus est in armis, opprimit leges timor.
Ante ora vidi nostra truculentâ manu
Gnatos paterni cadere regni vindices,
Ipsamque Cadmi nobilis stirpem ultimam
Occidere; vidi regium capitis decus
Cum capite raptum. Quis satis Thebas fleat?
Ferax deorum terra, quem dominum tremis,
E cujus arvis eque foecundo sinu
Stricto juventus orta cum ferro stetit;

Cujusque muros natus Amphion Jove
Struxit, canoro saxa modulatu trahens;
In cujus urbem non semel divûm parens
Coelo relicto venit? Haec, quae coelites
Recepit, et quae fecit, et (fas sit loqui)
Fortasse faciet, sordido premitur jugo!
Cadmea proles civitasque Amphionis,
Quo decidistis? tremitis ignavum exulem,
Suis carentem finibus, nostris gravem?
Qui scelera terrâ quique persequitur mari,
Ac saeva justâ sceptra confringit manu,
Nunc servit absens, fertque quae ferri vetat,
Tenetque Thebas exul Herculeas Lycus.
Sed non tenebit: aderit et poenas petet,
Subitusque ad astra emerget! Inveniet viam,
Aut faciet! Adsis sospes et remees, precor,
Tandemque venias victor ad victam domum!
Emerge, conjux, atque dispulsas manu
Abrumpe tenebras! Nulla si retro via
Iterque clausum est: orbe diducto redi,
Et quidquid atrâ nocte possessum latet,
Emitte tecum! Dirutis qualis jugis
Praeceps citato flumini quaerens iter
Quondam stetisti, scissa cum vasto impetu
Patuere Tempe (pectore impulsus tuo
Huc mons et illuc cecidit, et rupto aggere
Novâ cucurrit Thessalus torrens viâ):
Talis parentes, liberos, patriam petens,
Erumpe, rerum terminos tecum efferens;
Et quidquid avida tot per annorum gradus
Abscondit aetas, redde; et oblitos sui
Lucisque pavidos ante te populos age.
Indigna te sunt spolia, si tantum refers,
Quantum imperatum est. Magna sed nimium loquor,
Ignara nostrae sortis. Unde illum mihi,
Quo te tuamque dexteram amplectar, diem,

Reditusque lentos nec mei memores querar?
Tibi, o deorum ductor, indomiti ferent
Centena tauri colla; tibi, frugum potens,
Secreta reddam sacra; tibi mutâ fide
Longas Eleusin tacita jactabit faces.
Tum restitutas fratribus rebor meis
Animas, et ipsum regna moderantem sua
Florere patrem. Si qua te major tenet
Clausum potestas; sequimur. Aut omnes tuo
Defende reditu sospes, aut omnes trahe! —
Trahes, nec ullus eriget fractos deus.
AMPH. O socia nostri sanguinis, castâ fide
Servans torum natosque magnanimi Herculis,
Meliora mente concipe, atque animum excita!
Aderit profecto, qualis ex omni solet
Labore, major. MEG. Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt. AMPH. Imo quod metuunt nimis,
Nunquam moveri posse nec tolli putant:
Prona est timori semper in pejus fides.
MEG. Demersus ac defossus et toto insuper
Oppressus orbe, quam viam ad Superos habet?
AMPH. Quam tunc habebat, cum per arentem plagam
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas, bisque discedens fretum
Et bis recurrens; cumque desertâ rate
Deprensus haesit syrtium brevibus vadis,
Et puppe fixâ maria superavit pedes.
MEG. Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit. Nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem saepe transit casus, aliquando invenit.
Sed ecce! saevus ac minas vultu gerens,
Et qualis animo est, talis incessu venit,
Aliena dextrâ sceptra concutiens Lycus.

## LYCUS, MEGARA, AMPHITRYON.

Lycus, Thebis a Creonte in exilium missus, Herculo ad Inferos profecto, caeso Creonte cum filiis, quo regnum occupatum sibi firmet, Megarae nuptias ambit, abnuenti vim minatur.

LYC. Urbis regens opulenta Thebanae loca, i. s.
Et omne quidquid uberi cingit solo
Obliqua Phocis, quidquid Ismenos rigat,
Quidquid Cithaeron vertice excelso videt,
Et bina findens Isthmos exilis freta,
Non vetera patriae jura possideo domus
Ignavus heres: nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus. Qui genus jactat suum,
Aliena laudat. Rapta sed trepidâ manu
Sceptra obtinentur; omnis in ferro est salus.
Quod civibus tenere te invitis scias,
Strictus tuetur ensis. Alieno in loco
Haud stabile regnum est; una sed nostras potest
Fundare vires, juncta regali face
Thalamisque, Megara: ducet e genere inclyto
Novitas colorem nostra. Non equidem reor
Fore ut recuset ac meos spernat toros.
Quod si impotenti pertinax animo abnuet:
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Invidia factum ac sermo popularis premet?
Ars prima regni posse ad invidiam pati.
Tentemus igitur; fors dedit nobis locum:
Namque ipsa, tristi vestis obtentu caput
Velata, juxta praesides adstat deos,
Laterique adhaeret verus Alcidae sator.
MEG. Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues,
Novi parat? quid tentat? LYC. O clarum trahens
A stirpe nomen regiâ, facilis mea

341. Gruter.: Rapta — obtinentur? Fort.: R. nec trep.

Parumper aure verba patienti excipe.
Si aeterna semper odia mortales gerant,
Nec coeptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret:
Nihil relinquent bella; tum vastis ager
Squalebit arvis; subditâ tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle victori expedit,
Victo necesse est: particeps regno veni!
Sociemur animis! pignus hoc fidei cape:
Continge dextram! — Quid truci vultu siles?
MEG. Egone ut parentis sanguine adspersam manum
Fratrumque geminâ caede contingam? Prius
Extinguet Ortus, referet Occasus diem;
Pax ante fida nivibus et flammis erit,
Et Scylla Siculum junget Ausonio latus;
Priusque multo vicibus alternis fugax
Euripus undâ stabit Euboïcâ piger.
Patrem abstulisti, regna, germanos, larem,
Patriam: quid ultra est? Una res superest mihi,
Fratre ac parente carior, regno ac lare:
Odium tui, quod esse cum populo mihi
Commune doleo: pars quota ex illo mea est?
Dominare tumidus! spiritus altos gere!
Sequitur superbos ultor a tergo deus.
Thebana novi regna. Quid matres loquar
Passas et ausas scelera? quid geminum nefas,
Mixtumque nomen conjugis, gnati, patris?
Quid bina fratrum castra? quid totidem rogos?
Riget superba Tantalis luctu parens,
Moestusque Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipse, torvum subrigens cristâ caput,
Illyria Cadmus regna permensus fugâ,
Longas reliquit corporis tracti notas.

365. Fort.: N. r. b. tum; vastis etc.
390. Grot. ad marg.: superbo.

Haec te manent exempla. Dominare, ut lubet,
Dum solita regni fata te nostri vocent.
LYC. Agedum, efferatas, rabida, voces amove,
Et disce regum imperia ab Alcide pati.
Ego rapta quamvis sceptra victrici geram
Dextrâ, regamque cuncta sine legum metu,
Quas arma vincunt: pauca pro causâ loquar
Nostrâ. Cruento cecidit in bello pater?
Cecidere fratres? Arma non servant modum,
Nec temperari facile nec reprimi potest
Stricti ensis ira; bella delectat cruor. —
Sed ille regno pro suo, nos improbâ
Cupidine acti. — Quaeritur belli exitus,
Non causa. Sed nunc pereat omnis memoria.
Cum victor arma posuit, et victum decet
Deponere odia. Non ut inflexo genu
Regnantem adores, petimus; hoc ipsum placet,
Animo ruinas quod capis magno tuas.
Es rege conjux digna: sociemus toros.
MEG. Gelidus per artus vadit exsangues tremor.
Quod facinus aures pepulit? Haud equidem horrui,
Cum pace ruptâ bellicus muros fragor
Circumsonaret; pertuli intrepide omnia:
Thalamos tremisco; capta nunc videor mihi.
Gravent catenae corpus, et longâ fame
Mors protrahatur lenta: non vincet fidem
Vis ulla nostram; moriar, Alcide, tua!
LYC. Animosne mersus Inferis conjux facit?
MEG. Inferna tetigit, posset ut supera adsequi.
LYC. Telluris illum pondus immensae premit.
MEG. Nullo premetur onere, qui coelum tulit.
LYC. Cogére. MEG. Cogi qui potest, nescit mori.
LYC. Effare, thalamis quod novis potius parem
Regale munus? MEG. Aut tuam mortem, aut meam.
LYC. Moriére, demens? MEG. Conjugi occurram meo.
LYC. Sceptrone nostro potior est famulus tibi?

MEG. Quot iste famulus tradidit reges neci!
LYC. Cur ergo regi servit, et patitur jugum?
MEG. Imperia dura tolle, quid virtus erit?
LYC. Obici feris monstrisque virtutem putas?
MEG. Virtutis est domare, quae cuncti pavent.
LYC. Tenebrae loquentem magna Tartareae premunt.
MEG. Non est ad astra mollis e terris via.
LYC. Quo patre genitus coelitum sperat domos?
AMPH. Miseranda conjux Herculis magni sile:
Partes meae sunt reddere Alcidae patrem
Genusque verum. Post tot ingentis viri
Memoranda facta, postque pacatum manu,
Quodcunque Titan ortus et labens videt,
Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
Sparsam cruore, postque defensos deos,
Nondum liquet de patre? mentimur Jovem?
Junonis odio crede. LYC. Quid violas Jovem?
Mortale coelo non potest jungi genus.
AMPH. Communis ista pluribus causa est deis.
LYC. Famuline fuerant ante quam fierent dei?
AMPH. Pastor Pheraeos Delius pavit greges....
LYC. Sed non per omnes exul erravit plagas....
AMPH. Quem profuga terra mater errante edidit.
LYC. Non monstra saevas Phoebus aut timuit feras.
AMPH. Primus sagittas imbuit Phoebi draco.
LYC. Quam gravia parvus tulerit ignoras mala?
AMPH. E matris utero fulmine ejectus puer
Mox fulminanti proximus patri stetit.
Quid, qui gubernat astra, qui nubes quatit?
Non latuit infans rupis Idaeae specu?
Sollicita tanti pretia natales habent,
Semperque magno constitit nasci deum.
LYC. Quemcunque miserum videris, hominem scias.
AMPH. Quemcunque fortem videris, miserum neges.
LYC. Fortem vocemus, cujus ex humeris leo,
Donum puellae factus, et clava excidit,

Fulsitque pictum veste Sidoniâ latus?
Fortem vocemus, cujus horrentes comae
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit sonum,
Mitrâ ferocem barbarâ frontem premens?
AMPH. Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrare thyrsum, cum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbarico trahit:
Post multa virtus opera laxari solet.
LYC. Teuthrantis hoc fatetur eversi domus,
Pecorumque ritu virginum oppressi greges.
Hoc nulla Juno, nullus Eurystheus jubet:
Ipsius haec sunt opera. AMPH. Non nosti omnia:
Ipsius opus est caestibus fractus suis
Eryx, et Eryci junctus Antaeus Libys,
Et qui hospitali caede manantes foci
Bibere justum sanguinem Busiridis.
Ipsius opus est, vulneri et ferro obvius,
Mortem coactus integer Cycnus pati;
Nec unus unâ Geryon victus manu.
Eris inter istos, qui tamen nullo stupro
Laesere thalamos. LYC. Quod Jovi, hoc regi licet:
Jovi dedisti conjugem: regi dabis,
Et te magistro non novum hoc discet nurus,
Etiam viro probante meliorem sequi.
Sin copulari pertinax taedis negat:
Vel ex coactâ nobilem partum feram.
MEG. Umbrae Creontis et penates Labdaci,
Et nuptiales impii Oedipodae faces,
Nunc solita vestro fata conjugio date!
Nunc, nunc, cruentae regis Aegypti nurus,
Adeste, multo sanguine infectae manus!
Deest una numero Danaïs: explebo nefas.
LYC. Conjugia quoniam pervicax nostra abnuis,

498. Fort. Nunc, nunc ruenti, regis etc.

Regemque terres: sceptra quid possint, scies.
Complectere aras: nullus eripiet deus
Te mihi; nec, orbe si remolito queat
Ad supera victor numina, Alcides, vehi.
Congerite silvas! templa supplicibus suis
Injecta flagrent! conjugem et totum gregem
Consumat unus igne subjecto rogus!
AMPH. Hoc munus a te, genitor Alcidae, peto,
Rogare quod me deceat: ut primus cadam.
LYC. Qui morte cunctos luere supplicium jubet,
Nescit tyrannus esse. Diversa inroga:
Miserum veta perire, felicem jube.
Ego, dum cremandis trabibus adcrescit rogus,
Sacro regentem maria votivo colam.
AMPH. Proh numinum vis summa, proh coelestium
Rector parensque, cujus excussis tremunt
Humana telis, impiam regis feri
Compesce dextram! — Quid deos frustra precor?
Ubicunque es, audi, gnate! — Cur subito labant
Agitata motu templa? cur mugit solum?
Infernus imo tonuit e fundo fragor.
Audimur: est, est sonitus Herculei gradus!

## CHORUS THEBANORUM.

Actoris partes Chorus officiumque viriliter defendit, precibus Amphitryonis adspirans Herculis reditum vovet, idque arguit Orphei exemplo.

O FORTUNA viris invida fortibus, asclep.
Quam non aequa bonis praemia dividis!
„Eurystheus facili regnet in otio;
„Alcmenâ genitus bella per omnia
„Monstris exagitet coeliferam manum:
„Serpentis resecet colla feracia;
„Deceptis referat mala sororibus,
„Cum somno dederit pervigiles genas

„Pomis divitibus praepositus draco."
Intravit Scythiae multivagas domos,
Et gentes patriis sedibus hospitas;
Calcavitque freti terga rigentia,
Et mutis tacitum littoribus mare.
Illic dura carent aequora fluctibus;
Et quà plena rates carbasa tenderant,
Intonsis teritur semita Sarmatis.
Stat pontus vicibus mobilis annuis,
Navem nunc facilis, nunc equitem, pati.
Illic, quae viduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia balteo,
Detraxit spolium nobile corpori
Et peltam et nivei vincula pectoris,
Victorem posito suspiciens genu.
Quà spe praecipites actus ad Inferos,
Audax ire vias irremeabiles,
Vidisti Sĭculae regna Proserpinae?
Illic nulla Noto, nulla Favonio
Consurgunt tumidis fluctibus aequora;
Non illic geminum Tyndaridae genus
Succurrunt timidis sidera navibus:
Stat nigro pelagus gurgite languidum;
Et cum Mors avidis pallida dentibus
Gentes innumeras Manibus intulit,
Uno tot populi remige transeunt.
Evincas utinam jura ferae Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles!
Hic qui rex populis pluribus imperat,
Bello cum peteres Nestoream Pylon,
Tecum conseruit pestiferas manus,
Telum tergeminà cuspide praeferens;
Effugit tenui vulnere saucius,
Et mortis dominus pertimuit mori.
Fatum rumpe manu: tristibus Inferis
Prospectus pateat lucis, et invius

Limes det faciles ad Superos vias!
Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos et prece supplici
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.
Quae silvas et aves saxaque traxerat,
Ars, quae praebuerat fluminibus moras,
Ad cujus sonitum constiterant ferae:
Mulcet non solitis vocibus Inferos,
Et surdis resonat clarius in locis.
Deflent Eurydicen Threïciae nurus?
Deflent et lacrimis difficiles dei,
Et, qui fronte nimis crimina tetricâ
Quaerunt, ac veteres excutiunt reos,
Flentes Eurydicen juridici sedent.
Tandem mortis, ait „Vincimur,“ arbiter:
„Evade ad Superos; lege tamen datâ:
„Tu post terga tui perge viri comes;
„Tu non ante tuam respice conjugem,
„Quam cum clara deos obtulerit dies,
„Spartanique aderit janua Taenari.“
Odit verus amor nec patitur moras:
Munus dum properat cernere, perdidit.
Quae vinci potuit regia cantibus,
Haec vinci poterit regia viribus.

---

# ACTUS TERTIUS.

## HERCULES.

Solem ceterosque deos precatur veniam Hercules, quod jussus Cerberum Superis invisum traxerit.

O lucis almae rector et coeli decus, i. s.
Qui alterna curru spatia flammifero ambiens,
Illustre laetis exseris terris caput,

Da, Phoebe, veniam, si quid illicitùm tui
Videre vultus: jussus in lucem extuli
Arcana mundi. Tuque, coelestûm arbiter
Parensque, visus fulmine opposito tege;
Et tu, secundo maria qui sceptro regis,
Imas pete undas! Quisquis ex alto adspicit
Terrena, facie pollui metuens novâ,
Aciem reflectat, oraque in coelum erigat,
Portenta fugiens. Hoc nefas cernant duo,
Qui advexit et quae jussit. In poenas meas
Atque in labores non satis terrae patent:
Junonis odio vidi inaccessa omnibus,
Ignota Phoebo, quaeque deterior polus
Obscura diro spatia concessit Jovi;
Et, si placerent tertiae sortis loca,
Regnare potui. Noctis aeternae chaos,
Et nocte quiddam gravius, et tristes deos
Et fata, vici; morte contemtâ redî.
Quid restat aliud? Vidi et ostendi Inferos.
Da, si quid ultra est. Tam diu pateris manus
Cessare nostras, Juno? Quae vinci jubes?
Sed templa quare miles infestus tenet,
Limenque sacrum terror armorum obsidet?

## MEGARA, AMPHITRYON, HERCULES, THESEUS.

Herculem reducem gratatur Amphitryon. Illi quaerenti narrat, quo in loco res sint. Dum Hercules proficiscitur ad occidendum Lycum, Theseus rogatus ab Amphitryone exponit, quae apud Inferos gesserit Hercules.

AMPH. Utrumne visus vota decipiunt meos, i. s.
An ille domitor orbis et Grajûm decus
Tristi silentem nubilo liquit domum?
Estne ille natus? Membra laetitia stupent.
O gnate, certa, at sera, Thebarum salus,

Teneone in auras editum, an vanâ fruor
Deceptus umbrâ? tune es? — Agnosco toros
Humerosque, et alto nobilem trunco manum.
HERC. Unde iste, genitor, squalor, et lugubribus
Amicta conjux? unde tam foedo obsiti
Paedore nati? quae domum clades gravat?
AMPH. Socer est peremtus; regna possedit Lycus?
Gnatos, parentem, conjugem leto petit.
HERC. Ingrata tellus, nemo ad Herculeae domus
Auxilia venit? vidit hoc tantum nefas
Defensus orbis? Cur diem questu tero?
Mactetur hostis. THES. Hanc ferat virtus notam,
Fiatque summus hostis Alcidae Lycus?
Ad hauriendum sanguinem inimicum feror.
HERC. Theseu, resiste: ne qua vis subita ingruat,
Me bella poscunt. Differ amplexus, parens;
Conjuxque, differ: nunciet Diti Lycus,
Me jam redisse. THES. Flebilem ex oculis fuga,
Regina, vultum; tuque nato sospite
Lacrimas cadentes reprime: si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas poenas dabit.
Lentum est, dabit: dat; hoc quoque est lentum: dedit.
AMPH. Votum secundet, qui potest, nostrum deus,
Rebusque lapsis adsit! O magni comes
Magnanime nati, pande virtutum ordinem:
Quam longa moestos ducat ad Manes via;
Ut vincla tulerit dura Tartareus canis.
THES. Memorare cogis acta securae quoque
Horrenda menti. Vix adhuc certa est fides
Vitalis aurae, torpet acies luminum,
Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.
AMPH. Pervince, Theseu, quidquid alto in pectore
Remanet pavoris, neve te fructu optimo
Frauda laborum. Quae fuit durum pati,
Meminisse dulce est: fare casus horridos.
THES. Fas omne mundi, teque dominantem, precor,

Regno capaci; teque, quam totâ irrita
Quaesivit Aetnâ mater: ut jura abdita
Et operta terris liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit jugum,
Densis ubi aequor Taenarus silvis premit;
Hic ora solvit Ditis invisi domus,
Hiatque rupes alta, et immenso specu
Ingens vorago faucibus vastis patet,
Latumque pandit omnibus populis iter.
Non caeca tenebris incipit primo via:
Tenuis relictae lucis a tergo nitor
Fulgorque dubius solis afflicti cadit,
Et ludit aciem. Nocte sic mixtâ solet
Praebere lumen primus aut serus dies.
Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis,
In quae omne mersum pereat humanum genus.
Nec ire labor est: ipsa deducit via.
Ut saepe puppes aestus invitas rapit:
Sic pronus aër urget atque avidum chaos,
Gradumque retro flectere haud unquam sinunt
Umbrae tenaces. Intus immensi sinus
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitque curas; neve remeandi amplius
Pateat facultas, fletibus multis gravem
Involvit amnem; qualis incertâ vagus
Maeander undâ ludit, et cedit sibi
Instatque, dubius, littus an fontem petat.
Palus inertis foeda Cocyti jacet.
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenque triste resonat infaustae strigis;
Horrent opacâ fronde nigrantes comae,
Taxo imminente; quam tenet segnis Sopor,
Famesque moesta tabido rictu jacens;
Pudorque serus conscios vultus tegit;
Metus, Pavorque, Funus, et frendens Dolor,

659. Leg.: — totâ erutâ Q. A. m.

Aterque Luctus sequitur, et Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella; in extremo abdita
Iners Senectus adjuvat baculo gradum.
AMPH. Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?
THES. Non prata viridi laeta facie germinant;
Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges;
Non ulla ramos silva pomiferos habet:
Sterilis profundi vastitas squalet soli,
Et foeda tellus torpet aeterno situ,
Rerumque moestus finis et mundi ultima;
Immotus aër haeret, et pigro sedet
Nox atra mundo; cuncta moerore horrida,
Ipsâque Morte pejor est Mortis locus.
AMPH. Quid? ille, opaca qui regit sceptro loca,
Quâ sede positus temperat populos leves?
THES. Est in recessu Tartari obscuro locus,
Quem gravibus umbris spissa caligo adligat.
A fonte discors manat hinc uno latex:
Alter quieto similis (hunc jurant dei),
Tacente sacram devehens fluvio Styga:
At hic tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu volvit, Acheron, invius
Renavigari. Cingitur duplici vado
Adversa Ditis regia, atque ingens domus
Umbrante luco tegitur. Hic vasto specu
Pendent tyranni limina; hâc umbris iter;
Haec porta regni. Campus hanc circa jacet,
In quo superbo digerit vultu sedens
Animas recentes. Dira majestas deo,
Frons torva, fratrum quae tamen speciem gerat
Gentisque tantae: vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis. Magna pars regni trucis
Est ipse dominus, cujus adspectum timet,
Quidquid timetur. AMPH. Verane est fama, Inferis

703. Fort.: finis, et in undâ ultimâ Immotus aër haeret.

711. Flor. a manu sec. dissors.

Tam sera reddi jura, et oblitos sui
Sceleris nocentes debitas poenas dare?
Quis iste veri rector atque aequi arbiter?
THES. Non unus altâ sede quaesitor sedens
Judicia trepidis sera sortitur reis.
Aditur illo Gnossius Minos foro;
Rhadamanthus illo; Thetidis hoc audit socer.
Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebejâ manu
Scindi tyranni. Quisquis est placide potens,
Dominusque vitae servat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animaeque parcit: longa permensus diu
Felicis aevi spatia, vel coelum petit,
Vel laeta felix nemoris Elysii loca,
Judex futurus. Sanguine humano abstine,
Quicunque regnas: scelera taxantur modo
Majore vestra. AMPH. Certus inclusos tenet
Locus nocentes? utque fert fama, impios
Supplicia vinclis saeva perpetuis domant?
THES. Rapitur volucri tortus Ixion rota;
Cervice saxum grande Sisyphiâ sedet;
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas: adluit mentum latex;
Fidemque cum jàm saepe decepto dedit,
Perit unda in ore; poma destituunt famem;
Praebet volucri Tityos aeternas dapes;
Urnasque frustra Danaïdes plenas gerunt;
Errant furentes impiae Cadmeïdes;
Terretque mensas avida Phineas avis.
AMPH. Nunc ede nati nobilem pugnam mei.
Patrui volentis munus an spolium refert?
THES. Ferale tardis imminet saxum vadis,

741. Leg. imp. gerit.

Stupent ubi undae, segne torpescit fretum.
Hunc servat amnem cultu et adspectu horridus,
Pavidosque Manes squalidus gestat, senex.
Impexa pendet barba; deformem sinum
Nodus coërcet; concavae lurent genae,
Regit ipse conto portitor longo ratem.
Hic onere vacuam littori puppim adplicans
Repetebat umbras: poscit Alcides viam,
Cedente turbâ. Dirus exclamat Charon:
„Quo pergis audax? Siste properantem gradum!“
Non passus ullas gnatus Alcmenâ moras.
Proprio coactum navitam conto domat,
Scanditque puppem. Cymba populorum capax
Succubuit uni: sidit, et gravior ratis
Utrimque Lethen latere titubanti bibit.
Tum victa trepidant monstra, Centauri truces,
Lapithaeque multo in bella succensi mero.
Stygiae paludis ultimos quaerens sinus,
Foecunda mergit capita Lernaeus labos.
Post haec avari Ditis adparet domus.
Hic saevus umbras territat Stygius canis,
Qui trina vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur. Sordidum tabo caput
Lambunt colubrae; viperis horrent jubae;
Longusque tortâ sibilat caudâ draco;
Par ira formae. Sensit ut motus pedum:
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Missumqne captat aure subrectâ sonum,
Sentire et umbras solitus. Ut propior stetit
Jove natus: antro sedit incertus canis,
Et uterque timuit. Ecce! latratu gravi
Loca muta terret; sibilat totos minax
Serpens per armos; vocis horrendae fragor
Per ora missus terna felices quoque

763. Fort. St. u. undae et s. t. f.

793. Leg.: Et utique timuit.

Exterret umbras. Solvit a laevâ feros
Tunc ipse rictus, et Cleonaeum caput
Opponit, ac se tegmine ingenti clepit;
Victrice magnum dexterâ robur gerens
Huc nunc et illuc verbere adsiduo rotat,
Ingeminat ictus. Domitus infregit minas
Et cunctu lassus capita submisit canis,
Antroque toto cessit. Extimuit sedens
Uterque solio dominus, et duci jubet;
Me quoque petenti munus Alcidae dedit.
Tunc gravia monstri colla permulcens manu
Adamante texto vinxit. Oblitus sui
Custos opaci pervigil regni canis
Componit aures timidus, et patiens trahi,
Herumque fassus, ore submisso obsequens,
Utrumque caudâ pulsat anguiferâ latus.
Postquam est ad oras Taenari ventum, et nitor
Percussit oculos lucis ignotae bono,
Resumit animos vinctus, et vastas furens
Quassat catenas; pene victorem abstulit,
Pronumque retro vexit et movit gradu.
Tunc et meas respexit Alcides manus:
Geminis uterque viribus tractum canem,
Irâ furentem et bella tentantem irrita,
Intulimus orbi. Vidit ut clarum aethera,
Et pura nitidi spatia conspexit poli,
[Oborta nox est, lumina in terram dedit,]
Compressit oculos et diem invisum expulit,
Aciemque retro flexit, atque omni petît
Cervice terram; tum sub Herculeâ caput
Abscondit umbrâ.
Densa sed laeto venit
Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magnique meritas Herculis laudes canit.

807. Leg.: Tum hic gravia etc.
825. Fort.: Faciemque.

## CHORUS THEBANORUM.

**Chorus Herculis victoriam ex inferis reportatam canit, et ceteras illius laudes admiscet.**

Natus Eurystheus properante partu sapph.
Jusserat mundi penetrare fundum:
Deerat hoc solum numero laborum,
Tertiae regem spoliare sortis.
Ausus est coecos aditus inire,
Ducit ad Manes via quâ remotos
Tristis, et silvâ metuenda nigrâ,
Sed frequens magnâ comitante turbâ.
Quantus incedit populus per urbes
Ad novi ludos avidus theatri:
Quantus Elëum ruit ad Tonantem,
Quinta cum sacrum revocavit aestas;
Quanta, cum longae redit hora nocti,
Crescere et somnos cupiens quietos
Libra Phoebeos tenet aequa currus,
Turba secretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystae:
Tanta per campos agitur silentes
Turba; pars tardâ gradiens senectâ
Tristis, et longâ satiata vitâ;
Pars adhuc currit melioris aevi,
Virgines nondum thalamis jugatae,
Et comis nondum positis ephebi,
Matris et nomen modo doctus infans.
His datum solis, minus ut timerent,
Igne praelato relevare noctem.
Ceteri vadunt per opaca tristes;
Qualis est nobis animus, remotâ
Luce cum moestus sibi quisque sentit
Obrutum totâ caput esse terrâ:

850. Flor.: haut longa etc.

Stat chaos densum tenebraeque turpes,
Et color noctis malus, ac silentis
Otium mundi vacuaeque nubes.
Sera nos illo referat senectus!
Nemo ad id sero venit, unde nunquam,
Cum semel venit, poterit reverti.
Quid juvat durum properare fatum?
Omnis haec magnis vaga turba terris
Ibit ad Manes, facietque inerti
Vela Cocyto. Tibi crescit omne,
Et quod Occasus videt, et quod Ortus:
Parce venturis: tibi, Mors, paramur.
Sis licet segnis: properamus ipsi.
Prima quae vitam dedit hora, carpit.
Thebis laeta dies adest: glycon.
Aras tangite supplices!
Pingues caedite victimas!
Permixtae maribus nurus
Solemnes agitent choros!
Cessent deposito jugo
Arvi fertilis incolae!
Pax est Herculeâ manu
Auroram inter et Hesperum,
Et quâ sol medium tenens
Umbras corporibus negat.
Quodcunque adluitur solum
Longo Tethyos ambitu,
Alcidae domuit labor.
Transvectus vada Tartari,
Pacatis redit Inferis.
Jam nullus superest timor:
Nil ultra jacet Inferos.
Stantes, sacrificus, comas
Dilectâ tega populo!

# ACTUS QUARTUS.

## HERCULES, THESEUS, AMPHITRYON, MEGARA.

**Hercules a caede Lyci reversus advocatis diis sacra facturus in furorem vertitur, et suam uxorem cum liberis occidit, deinde in somnum labitur.**

HERC. ULTRICE dextrâ fusus adverso Lycus i. s.
Terram cecidit ore; tum quisquis comes
Fuerat tyranni, jacuit et poenae comes.
Nunc sacra patri victor et Superis feram,
Caesisque meritas victimis aras colam.
Te, te, laborum socia et adjutrix, precor,
Belligera Pallas, cujus in laevâ ciet
Aegis feroces ore saxifico minas!
Adsit Lycurgi domitor et rubri maris,
Tectam virenti cuspidem thyrso gerens;
Geminumque numen, Phoebus et Phoebi soror,
Soror sagittis aptior, Phoebus lyrae;
Fraterque quisquis incolit coelum meus,
Non ex novercâ frater, huc adpellite
Greges opimos! Quidquid Indorum seges,
Arabesque odoris quidquid arboribus legunt,
Conferte in aras: pinguis exundet vapor.
Populea nostras arbor exornet comas;
Te ramus oleae fronde gentili tegat,
Theseu. Tonantem nostra adorabit manus;
Tu conditores urbis, et silvestria
Trucis antra Zethi, nobilis Dircen aquae,
Laremque regis advenae Tyrium coles.
Date tura flammis! AMPH. Gnate, manantes prius
Manus cruentâ caede et hostili expia.
HERC. Utinam cruorem capitis invisi deis
Libare possem! Gratior nullus liquor
Tinxisset aras: victima haud ulla amplior

Potest magisque opima mactari Jovi,
Quam rex iniquus. AMPH. Finiat genitor tuos
Opta labores; detur aliquando otium
Quiesque fessis. HERC. Ipse concipiam preces
Jove meque dignas. Stet suo coelum loco
Tellusque et aether; astra inoffensos agant
Aeterna cursus; alta pax gentes alat;
Ferrum omne teneat ruris innocui labor,
Ensesque lateant; nulla tempestas fretum
Violenta turbet; nullus irato Jove
Exiliat ignis; nullus hibernâ nive
Nutritus agros amnis eversos trahat;
Venena cessent: nulla nocituro gravis
Succo tumescat herba; non saevi ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet; et si quod parat
Monstrum, meum sit. Sed quid hoc? Medium diem
Cinxere tenebrae; Phoebus obscuro meat
Sine nube vultu! Quis diem retro fugat,
Agitque in ortus? unde nox atrum caput
Ignota profert? unde tot stellae polum
Implent diurnae? Primus en! noster labor
Coeli refulget parte non minimâ, Leo,
Irâque totus fervet et morsus parat.
Jam rapiet aliquod sidus: ingenti minax
Stat ore, et ignes efflat, et rutilat, jubam
Cervice jactans. Quidquid autumnus gravis
Hiemsque gelido frigida spatio refert,
Uno impetu transiliet, et verni petet
Frangetque Tauri colla. AMPH. Quod subitum hoc malum est?
Quo, gnate, vultus huc et huc acres refers,
Acieque falsum turbidâ coelum vides?
HERC. Perdomita tellus, tumida cesserunt freta;
Inferna nostros regna sensere impetus:
Immune coelum est, dignus Alcidae labor.

In alta mundi spatia sublimis ferar!
Petatur aether: astra promittit pater.
Quid, si negaret? Non capit terra Herculem,
Tandemque Superis reddit. En! ultro vocat
Omnis deorum coetus, et laxat fores,
Unâ vetante. Recipis, et reseras polum,
An contumacis januam mundi traho?
Dubitatur etiam? Vincla Saturno exuam,
Contraque patris impii regnum impotens
Avum resolvam! bella Titanes parent
Me duce furentes! saxa cum silvis feram,
Rapiamque dextrâ plena Centauris juga!
Jam monte gemino limitem ad Superos agam!
Videat sub Ossâ Pelion Chiron suum;
In coelum Olympus, tertio positus gradu,
Perveniet, aut mittetur. AMPH. Infandos procul
Averte sensus; pectoris sani parum,
Magni tamen, compesce dementem impetum.
HERC. Quid hoc? Gigantes arma pestiferi movent!
Profugit umbras Tityos, ac, lacerum gerens
Et inane pectus, quam prope a coelo stetit!
Labat Cithaeron, alta Pallene tremit,
Macetumque Tempe. Rapuit hic Pindi juga;
Hic rapuit Oeten; saevit horrendum Mimas;
Flammifera Erinnys verbere excusso sonat,
Rogisque adustas propius ac propius sudes
In ora tendit; saeva Tisiphone, caput
Serpentibus vallata, post raptum canem
Portam vacantem clausit oppositâ face. —
Sed ecce! proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen! Inviso patri
Haec dextra jam vos reddet! Excutiat leves
Nervus sagittas! Tela sic mitti decet
Herculea. AMPH. Quo se coecus impegit furor?
Vastum coactis flexit arcum cornibus,

988. Fort.: Invito, secundum Gron.

Pharetramque solvit; stridet emissa impetu
Arundo: medio spiculum collo fugit
Vulnere relicto. HERC. Ceteram prolem eruam
Omnesque latebris. Quid moror? majus mihi
Bellum Mycenis restat: ut Cyclopea
Eversa manibus saxa nostris concidant.
Huc eat et illuc aula disjecto objice,
Rumpatque postes; columen impulsum labet! —
Perlucet omnis regia: hic video abditum
Natum scelesti patris! AMPH. En, blandas manus
Ad genua tendens, voce miserandâ rogat!
Scelus nefandum, triste, et adspectu horridum:
Dextrâ precantem rapuit, et circa furens
Bis ter rotatum misit; ast illi caput
Sonuit; cerebro tecta disperso madent.
At misera, parvum protegens gnatum sinu,
Megara furenti similis e latebris fugit.
HERC. Licet Tonantis profuga condaris sinu,
Petet undecunque temet haec dextra, et feret.
AMPH. Quo, misera, pergis? quam fugam aut latebram petis?
Nullus salutis Hercule infesto est locus:
Amplectere ipsum potius et blandâ prece
Lenire tenta. MEG. Parce jam, conjux, precor!
Agnosce Megaram! Gnatus hic vultus tuos
Habitusque reddit. Cernis, ut tendat manus?
HERC. Teneo novercam! Sequere! da poenas mihi,
Jugoque pressum libera turpi Jovem!
Sed ante matrem parvulum hoc monstrum occidat.
MEG. Quo tendis, amens? sanguinem fundes tuum?
AMPH. Pavefactus infans igneo vultu patris
Perit ante vulnus: spiritum eripuit timor.
In conjugem nunc clava libratur gravis.

999. Fort.: H. e. et i. valva d. o.
1005. Gron. secundum. Flor.: precante.
1015. Nic. Heinsius: N. saluti est H. i. locus.

Perfregit ossa; corpori trunco caput
Abest, nec usquam est. Cernere hoc audes, nimis
Vivax senectus? Si piget luctus, habes
Mortem paratam. Pectus in tela indue;
Vel stipitem istum, caede monstrorum illitum,
Converte: falsum ac nomini turpem tuo
Remove parentem, ne tuae laudi obstrepat.
THES. Quo te ipse, senior, obvium morti ingeris?
Quo pergis amens? Profuge et obtectus late,
Unumque manibus aufer Herculeïs scelus.
HERC. Bene habet: pudendi regis excisa est domus.
Tibi hunc dicatum, maximi conjux Jovis,
Gregem cecidi. Vota persolvi libens
Te digna; et Argos victimas alias dabit.
AMPH. Nondum litasti, gnate: consumma sacrum.
Stat, ecce, ad aras hostia; expectat manum
Cervice pronâ; praebeo, occurro, insequor:
Macta! Quid hoc est? errat acies luminum,
Visusque moeror hebetat. An video Herculis
Manus trementes? Vultus in somnum cadit,
Et fessa cervix capite submisso labat;
Flexo genu jam totus ad terram ruit,
Ut caesa silvis ornus, aut portus mari
Datura moles. Vivis, an leto dedit
Idem, tuos qui misit ad mortem, furor?
Sopor est: reciprocos spiritus motus agit.
Detur quieti tempus: ut somno gravi
Vis victa morbi pectus oppressum levet.
Removete, famuli, tela, ne repetat furens!

## CHORUS THEBANORUM.

**Deos, sidera et elementa, quae lymphatis, lunaticis et mente captis dominantur, in luctum, commiserationem et auxilium Herculis Chorus advocat; somnum, qui furorem sedare solet, precatur, ut gravi sopore pressum Herculem menti restituat; pueros denique caesos deflet.**

LUGEAT aether, magnusque parens a. d. et m.
Aetheris alti, tellusque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda;
Tuque ante omnes, qui per terras
Tractusque maris fundis radios,
Noctemque fugas ore decoro,
Fervide Titan! Obitus pariter
Tecum Alcides vidit et ortus,
Novitque tuas utrasque domos.
Solvite tantis animum monstris,
Solvite, Superi! rectam in melius
Flectite mentem! tuque, o domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanae melior vitae,
Volucer, matris genus Astraeae,
Frater durae languide Mortis,
Veris miscens falsa, futuri
Certus et idem pessimus auctor,
Pater o rerum, portus vitae,
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi famuloque venis:
Placidus fessum lenisque fove!
Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem:
Preme devictum torpore gravi!
Sopor indomitos adliget artus;
Nec torva prius pectora linquat,

1062. Fort.: — domos; Solve a tantis a. m., Solvito! Superi, rectam etc.

1077. mortem. Fort.: noctem.

Quam mens repetat pristina cursum.
En, fusus humi saeva feroci
Corde volutat somnia (nondum est
Tanti pestis superata mali),
Clavaeque gravi lassum solitus
Mandare caput, quaerit vacuâ
Pondera dextrâ, motu jactans
Brachia vano, nec adhuc omnes
Expulit aestus; sed ut ingenti
Vexata Noto servat longos
Unda tumultus, et jam vento
Cessante tumet. Pelle insanos
Fluctus animi: redeat pietas
Virtusque viro. Vel sit potius
Mens vesano concita motu;
Error coecus, quâ coepit, eat:
Solus te jam praestare potest
Furor insontem. Proxima puris
Sors est manibus nescire nefas.
Nunc Herculeïs percussa sonent
Pectora palmis; mundum solitos
Ferre lacertos verbera pulsent
Victrice manu; gemitus vastos
Audiat aether, audiat atri
Regina poli, vastisque ferox
Qui colla gerit vincta catenis,
Imo latitans Cerberus antro;
Resonet moesto clamore chaos,
Lateque patens unda profundi,
Et, qui melius tua tela tamen
Senserat, aër.
Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda levi:
Uno planctu tria regna sonent.
Et tu, collo, decus ac telum,

1089. Fort.: E. aestus, velut ing.

Suspensa diu, fortis arundo,
Pharetraeque graves, date saeva fero
Verbera tergo; caedant humeros
Robora fortes, stipesque potens
Duris oneret pectora nodis;
Plangant tantos arma dolores.
Non, vos, patriae laudis comites,
Ulti saevos vulnere reges;
Non Argivâ membra palaestrâ
Flectere docti, fortes caestu
Fortesque manu; jam tamen ausi
Telum Scythicis leve corytis
Missum certâ librare manu,
Tutosque fugâ figere cervos,
Nondumque ferae terga jubatae,
Ite ad Stygios, umbrae, portus,
Ite, innocuae, quas in primo
Limine vitae scelus oppressit
Patriusque furor!
Ite, infaustum genus, o pueri,
Noti per iter triste laboris!
Ite, iratos visite reges!

# ACTUS QUINTUS.

## HERCULES, AMPHITRYON, THESEUS.

Hercules experrectus et menti restitutus, postquam suos a se interfectos comperit, manus sibi inferre parat; patris precibus victus sibi parcit, Athenasque Thesei consilio purgandus proficiscitur.

Quis hic locus, quae regio, quae mundi plaga? i. s.
Ubi sum? sub ortu solis, an sub cardine
Glacialis Ursae? numquid Hesperii maris

1117. Fort.: sera.

1138. Fort. secundum MS. Ultraj. Quis locus hic est, quae regio etc.

Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quas trahimus auras? quod solum fesso subest?
Certe rediimus. Unde prostrata a domo
Video cruenta corpora? an nondum exuit
Simulacra mens inferna? Post reditus quoque
Oberrat oculos turba feralis meos.
Pudet fateri: paveo nescio quid; mihi
Nescio quod animus grande praesagit malum.
Ubi est parens? ubi illa natorum grege
Animosa conjux? cur latus laevum vacat
Spolio leonis? quonam abît tegimen meum,
Idemque somno mollis Herculeo torus?
Ubi tela? ubi arcus? arma quis vivo mihi
Detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit?
Ipsumque quis non Herculis somnum horruit?
Libet meum videre victorem, libet!
Exsurge, Virtus, quem novum coelo pater
Genuit relicto; cujus in foetu stetit
Nox longior, quam nostra! — Quod cerno nefas?
Gnati cruentâ caede confecti jacent;
Peremta conjux. Quis Lycus regnum obtinet,
Quis tanta Thebis scelera moliri ausus est
Hercule reverso? Quisquis Ismeni loca,
Actaea quisquis arva, qui gemino mari
Pulsata Pelopis regna Dardanii colis,
Succurre! saevae cladis auctorem indica!
Ruat ira in omnes: hostis est, quisquis mihi
Non monstrat hostem. Victor Alcidae, lates?
Procede, seu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti, sive Geryonae pecus,
Libyaeve dominos! nulla pugnandi mora est.
En, nudus adsto! vel meis armis licet
Petas inermem. Cur meos Theseus fugit
Paterque vultus? ora cur condunt sua?
Differte fletus! Quis meos dederit neci
Omnes simul, profare! — Quid, genitor, siles?

At tu ede, Theseu; sed tuâ, Theseu, fide. —
Uterque tacitus ora pudibunda obtegit,
Furtimque lacrimas fundit. In tantis malis
Quid est pudendum? numquid Argivae impotens
Dominator urbis, numquid infestum Lyci
Pereuntis agmen clade nos tantâ obruit?
Per te meorum facinorum laudem precor,
Genitor, tuique nominis semper mihi
Numen secundum: fare, quis fudit domum?
Cui praeda jacui? AMPH. Tacita sic abeant mala.
HERC. Ut inultus ego sim? AMPH. Saepe vindicta obfuit.
HERC. Quisquamne segnis tanta toleravit mala?
AMPH. Majora quisquis timuit. HERC. His etiam, pater,
Quidquam timeri majus aut gravius potest?
AMPH. Cladis tuae pars ista, quam nosti, quota est?
HERC. Miserere, genitor! supplices tendo manus.
Quid hoc? manus refugit. Hic errat scelus.
Unde hic cruor? Quid? illa puerili madens
Arundo leto? — Tincta Lernaeâ nece
Jam tela video nostra: non quaero manum:
Quis potuit arcum flectere, aut quae dextera
Sinuare nervum justa cedentem mihi?
Ad vos revertor, genitor. Hoc nostrum est scelus?
Tacuere: nostrum est. AMPH. Luctus est istic tuus,
Crimen novercae; casus hic culpâ caret.
HERC. Nunc parte ab omni, genitor, iratus tona,
Oblite nostri; vindica serâ manu
Saltem nepotes; stelliger mundus sonet,
Flammasque et hic et ille jaculetur polus;
Rupes ligatum Caspiae corpus trahant
Atque ales avida! cur Prometheï vacant
Scopuli? Paretur vertice immenso feras
Volucresque pascens Caucasi abruptum latus,
Nudumque silvis! illa, quae pontum Scythen,
Symplegas, arctat, hinc et hinc vinctas manus
Distendat alto; cumque revocatâ vice

In se coïbunt, saxaque in coelum exprimant
Actis utrinque rupibus medium mare,
Ego inquieta montium jaceam mora.
Quin, structum acervans nemore congesto aggerem,
Cruore corpus impio sparsum cremo?
Sic, sic agendum est: Inferis reddam Herculem.
AMPH. Nondum tumultu pectus attonito caret:
Mutavit iras, quodque habet proprium furor,
In se ipse saevit. HERC. Dira Furiarum loca
Et Inferorum carcer et sonti plaga
Decreta turbae, et si quod exilium latet
Ulterius Erebo, Cerbero ignotum et mihi:
Huc me abde tellus! Tartari ad finem ultimum
Mansurus ibo. Pectus o nimium ferum!
Quis vos per omnem, liberi, sparsos domum
Deflere digne poterit? hic durus malis
Lacrimare vultus nescit. Huc ensem date,
Date huc sagittas, stipitem huc vastum date:
Tibi tela frangam nostra; tibi nostros, puer,
Rumpemus arcus, ac tuis stipes gravis
Ardebit umbris; ipsa Lernaeis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma poenas! vos quoque infaustas meis
Cremabo taedis, o novercales manus!
THES. Quis nomen unquam sceleris errori addidit.
HERC. Saepe error ingens sceleris obtinuit locum.
THES. Nunc Hercule opus est: perfer hanc molem mali.
HERC. Non sic furore cessit extinctus pudor,
Populos ut omnes impio adspectu fugem.
Arma, arma, Theseu, flagito propere mihi
Subtracta reddi. Sana si mens est mihi:
Referte manibus tela; si remanet furor:
Pater, recede; mortis inveniam viam.
AMPH. Per sancta generis sacra, per jus nominis
Utrumque nostri, sive me altorem vocas
Seu tu parentem, perque venerandos piis

Canos: senectae parce desertae, precor,
Annisque fessis! unicum lapsae domus
Firmamen, unum lumen adflicto malis
Temet reserva! Nullus ex te contigit
Fructus laborum: semper aut dubium mare,
Aut monstra timui; quisquis in toto furit
Rex saevus orbe, manibus aut aris nocens,
A me timetur; semper absentis pater
Fructum tui tactumque et adspectum peto.
HERC. Cur animam in istâ luce detineam amplius
Morerque, nihil est: cuncta jam amisi bona,
Mentem, arma, famam, conjugem, gnatos, manus;
Etiam furorem: nemo polluto queat
Animo mederi: morte sanandum est scelus.
AMPH. Perimes parentem? HERC. Facere ne possim, occidam.
AMPH. Genitore coram? HERC. Cernere hunc docui nefas.
AMPH. Memoranda potius omnibus facta intuens
Unius a te criminis veniam pete.
HERC. Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?
Laudanda feci jussus; hoc unum meum est.
Succurre, genitor, sive te pietas movet,
Seu triste fatum, sive violatae decus
Virtutis: effer arma! vincatur meâ
Fortuna dextrâ. THES. Sunt quidem patriae preces
Satis efficaces; sed tamen nostro quoque
Moveare fletu. Surge, et adversa impetu
Perfringe solito! nunc tuum nulli imparem
Animum malo resume! nunc magnâ tibi
Virtute agendum est: Herculem irasci veta.
HERC. Si vivo: feci scelera; si morior: tuli.
Purgare terras propero: jamdudum mihi
Monstrum impium saevumque et immite ac ferum
Oberrat. Agedum, dextra, conare adgredi

1254. Fort.: Terramve timui.

Ingens opus, labore bisseno amplius! —
Ignava, cessas, fortis in pueros modo
Pavidasque matres? Arma nisi dantur mihi,
Aut omne Pindi Thracis exscindam nemus,
Bacchique lucos, et Cithaeronis juga
Mecum cremabo; aut tota cum domibus suis
Dominisque tecta, cum deis templa omnibus
Thebana, supra corpus excipiam meum,
Atque urbe versâ condar; et, si fortibus
Leve pondus humeris moenia immissa incident,
Septemque opertus non satis portis premar:
Onus omne, mediâ parte quod mundi sedet,
Dirimitque Superos, in meum vertam caput!
AMPH. Reddo arma. HERC. Vox est digna genitore Herculis.
Hoc, en, peremtus spiculo cecidit puer . . . .
AMPH. Hoc Juno telum manibus emisit tuis.
HERC. Hoc nunc ego utar. AMPH. Ecce, quam miserum metu
Cor palpitat, corpusque sollicitum ferit!
HERC. Aptata arundo est. AMPH. Ecce, jam facies scelus
Volens sciensque! HERC. Pande: quid fieri jubes?
AMPH. Nihil rogamus: noster in tuto est dolor.
Gnatum potes servare tu solus mihi,
Eripere nec tu. Maximum evasi metum.
Miserum haud potes me facere, felicem potes.
Sic statue, quidquid statuis, ut causam tuam
Famamque in arto stare et ancipiti scias.
Aut vivis, aut occidis: hanc animam levem,
Fessamque senio, nec minus quassam malis,
In ore primo teneo. — Tam tarde patri
Vitam dat aliquis? Non feram ulterius moram:
Letale ferro pectus impresso induam!
Hic, hic jacebit Herculis sani scelus.
HERC. Jam parce, genitor, parce! Jam revoca manum!

Succumbe, virtus! perfer imperium patris!
Eat ad labores hic quoque Herculeos labor:
Vivamus. Artus adleva adflictos solo,
Theseu, parentis: dextra contactus pios
Scelerata refugit. AMPH. Hanc manum amplector libens;
Hac nixus ibo; pectori hanc aegro admovens
Pellam dolores. HERC. Quem locum profugus petam?
Ubi me recondam, quâve tellure obruar?
Quis Tanaïs, aut quis Nilus, aut quis Persicâ
Violentus undâ Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusve Iberâ turbidus gazâ fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Maeotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus:
Haerebit altum facinus. In quas impius
Terras recedes? ortum an occasum petes?
Ubique notus perdidi exilio locum.
Me refugit orbis; astra transversos agunt
Obliqua cursus; ipse Titan Cerberum
Meliore vultu vidit. O fidum caput,
Theseu, latebram quaere longinquam, abditam;
Quoniamque semper sceleris alieni arbiter
Amas nocentes: gratiam meritis refer
Vicemque nostris: redde me infernis, precor,
Umbris reductum, meque subjectum tuis
Restitue vinclis! Ille me abscondet locus.
Sed et ille novit. THES. Nostra te tellus manet:
Illic solutam caede Gradivus manum
Restituit armis. Illa te, Alcida, vocat,
Facere innocentes terra quae Superos solet.

# THYESTES.

## *DRAMATIS PERSONAE.*

THYESTES.

ATREUS.

TANTALUS.

MEGAERA.

PLISTHENES THYESTIS F.

CHORUS SENUM MYCENAEORUM.

TANTALUS THYESTIS F. } Mutae personae.

ALIUS THYESTIS F. } Mutae personae.

SATELLES, NUNCIUS.

# THYESTES.

## ARGUMENTUM.

Alternis annis regnandi vices pacti Atreus et Thyestes, Pelopis ex Hippodamiâ filii, Argis imperabant. Thyestes, adjuvante Aërope, fratris uxore, quam in adulterium pellexerat, aureum arietem, in cujus possessione erat fatum regni, amovet, et male conscius in exilium abit. Atreus, evasisse dolens, missis suis filiis, velle se in gratiam redire simulat, oblatâ regni parte reditum illi persuadet. Tres Thyestis liberos, quos obsides acceperat, ad aras immolatos, partim assos, partim elixos patri nescienti epulandos apponit, mixtumque vino cruorem illi praebet. Sub finem nefandi convivii (quod Sol, ne videret, refugit) capita illi et manus filiorum ostendit, quasque dapes absumserit, narrat, insultans fratris luctui, dolori et imprecationibus.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Sedibus expulsus patriis regnoque Thyestes
Dignas infando pendebat crimine poenas:
Namque olim, furiis foedoque incensus amore,
Fraternum invasit thalamum et vetitos hymenaeos.
Necdum Atrei mens dira odiis expleta quierat:
Saevit, et ingentes acuit dolor improbus iras;
Accinctusque dolis fratrem remeare Mycenas
Iussit, et in regno simulatâ pace locavit.
Proh scelus indignum! parvos mactare nepotes
Sustinet, et patriis epulandos ponere mensis.
Ille amens mandit natorum dentibus artus,
Immixtumque haurit cognato sanguine Bacchum.
Haec ne monstra pio spectaret lumine Phoebus,
Adversos Graio deflexit ab orbe jugales.

## ACTUS PRIMUS.

### UMBRA TANTALI, MEGAERA.

*Elicitur ab Inferis Tantalus a Furiâ, cogiturque miscere nefaria odia inter suos ex Pelope nepotes Atreum et Thyestem.*

TANT. Quis me Inferorum sede ab infaustâ extrahit, l. s.
Avido fugaces ore captantem cibos?
Quis male deorum Tantalo visas domos
Ostendit iterum? Pejus inventum est siti
Arente in undis aliquid, et pejus fame
Hiante semper? Sisyphi numquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit?
Aut membra celeri differens cursu rotâ?
Aut poena Tityi, qui specu vasto patens
Visceribus atras pascit effossis aves,
Et nocte reparans, quidquid amisit die,
Plenum recenti pabulum monstro jacet?
In quod malum transcribor? O quisquis nova
Supplicia functis durus umbrarum arbiter
Disponis, addi si quid ad poenas potest,
Quod ipse custos carceris diri horreat,
Quod moestus Acheron paveat, ad cujus metum
Nos quoque tremamus, quaere: jam nostrâ subit
E stirpe turba, quae suum vincat genus,
Ac me innocentem faciat, et inausa audeat.
Regione quidquid impiâ cessat loci,
Complebo; nunquam stante Pelopeâ domo
Minos vacabit. MEG. Perge, detestabilis
Umbra, et penates impios furiis age!
Certetur omni scelere, et alternâ vice
Stringantur enses. Ne sit irarum modus

Pudorve; mentes caecus instiget furor;
Rabies parentum duret, et longum nefas
Eat in nepotes; nec vacet cuiquam vetus
Odisse crimen: semper oriatur novum,
Nec unum in uno; dumque punitur scelus,
Crescat. Superbis fratribus regna excidant,
Repetantque profugos; dubia violentae domus
Fortuna reges inter incertos labet;
Miser ex potente fiat, ex misero potens;
Fluctuque regnum casus adsiduo ferat.
Ob scelera pulsi, cum dabit patriam deus,
In scelera redeant; sintque tam invisi omnibus,
Quam sibi. Nihil sit, ira quod vetitum putet:
Fratrem expavescat frater, et gnatum parens,
Gnatusque patrem; liberi pereant male,
Pejus tamen nascantur; immineat viro
Infesta conjux; bella trans pontum vehant;
Effusus omnes irriget terras cruor,
Supraque magnos gentium exultet duces
Libido victrix; impia stuprum in domo
Levissimum sit fratris; et fas et fides
Jusque omne pereat. Non sit a vestris malis
Immune coelum. Cur micant stellae polo,
Flammaeque servant debitum mundo decus?
Nox atra fiat! Excidat coelo dies!
Misce penates; odia, caedes, funera
Arcesse, et imple Tantalo totam domum!
Ornetur altum columen, et lauro fores
Laetae virescant; dignus adventu tuo
Splendescat ignis. Thracium fiat nefas
Majore numero. Dextra cur patrui vacat?
Nondum Thyestes liberos deflet suos:
Ecquando tollet? Ignibus jam subditis
Spument ahena; membra per partes eant
Discerpta; patruos polluat sanguis focos;
Epulae instruantur. Non novi sceleris tibi

Conviva venies. Liberum dedimus diem,
Tuamque ad istas solvimus mensas famem:
Jejunia exple; mixtus in Bacchum cruor
Spectante te potetur. Inveni dapes,
Quas ipse fugeres. Siste! quo praeceps ruis?
TANT. Ad stagna et amnes et recedentes aquas,
Labrisque ab ipsis arboris plenae fugas.
Abire in atrum carceris liceat mihi
Cubile; liceat, si parum videor miser,
Mutare ripas: alveo medius tuo,
Phlegethon, relinquar, igneo cinctus freto.
Quicunque poenas lege fatorum datas
Pati juberis; quisquis exeso jaces
Pavidus sub antro, jamque venturi times
Montis ruinam; quisquis avidorum feros
Rictus leonum et dira Furiarum agmina
Implicitus horres; quisquis immissas faces
Semiustus abigis: Tantali vocem excipe
Properantis ad vos! credite experto mihi:
Amate poenas! Quando continget mihi
Effugere Superos? MEG. Ante perturba domum,
Inferque tecum proelia et ferri malum
Regibus amorem; concute insano ferum
Pectus tumultu. TANT. Me pati poenas decet,
Non esse poenam. Mittor, ut dirus vapor
Tellure ruptâ, vel gravem populis luem
Sparsura pestis. Ducam in horrendum nefas
Avus nepotes? Magne divorum parens
Nosterque, quamvis pudeat, ingenti licet
Taxata poena lingua crucietur loquax:
Nec hoc tacebo: moneo, ne sacrâ manus
Violate caede, neve furiali malo
Adspergite aras! Stabo et arcebo scelus.
Quid ora terres verbere, et tortos ferox
Minaris angues? quid famem fixam intimis
Agitas medullis? Flagrat incensum siti

Cor, et perustis flamma visceribus micat.
Sequor.
MEG. Hunc, o, furorem divide in totam domum!
Sic, sic ferantur, et suum infensi invicem
Sitiant cruorem! Sensit introitus tuos
Domus, et nefando tota contactu horruit.
Actum est abunde. Gradere ad infernos specus
Amnemque notum: jam tuum moestae pedem
Terrae gravantur. Cernis, ut fontes liquor
Introrsus actus linquat, ut ripae vacent,
Ventusque raras igneus nubes ferat?
Pallescit omnis arbor, ac nudus stetit
Fugiente pomo ramus; et qui fluctibus
Illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit,
Vicina gracili dividens terrâ vada,
Longe remotos latus exaudit sonos.
Jam Lerna retro cessit, et Phoronides
Latuere venae; nec suas profert sacer
Alphéos undas, et Cithaeronis juga
Stant parte nullâ cana, depositâ nive,
Timentque veterem nobiles Argi sitim.
En! ipse Titan dubitat, an jubeat sequi
Cogatque habenis ire periturum diem.

## CHORUS.

Chorus ex senibus Mycenaeis vel Argivis constans (Argos enim cum Mycenis confundunt poetae) deos urbium in Peloponneso praesides, ut mala et scelera in domo Pelopis concepta et imminentia prohibeant avertantque, precatur, et Tantali impium facinus ac poenam canit.

Argos de Superis si quis Achaïcum asclep.
Pisaeisque domos curribus inclitas,
Isthmi si quis amat regna Corinthii
Et portus geminos et mare dissidens;
Si quis Taÿgeti conspicuas nives,

Quas, cum Sarmaticus tempore frigido
In summis Boreas composuit jugis,
Aestas veliferis solvit Etesiis
(Quem tangit gelido flumine lucidus
Alphéos, stadio notus Olympico):
Advertat placidum numen, et arceat,
Alternae scelerum ne redeant vices,
Neu succedat avo deterior nepos,
Et major placeat culpa minoribus.
Tandem lassa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali.
Peccatum satis est. Fas valuit nihil
Ad commune nefas. Proditus occidit
Deceptor domini Myrtilus, et fide
Vectus, quâ tulerat, nobile reddidit
Mutato pelagus nomine. Notior
Nulla est Ioniis fabula navibus.
Exceptus gladio parvulus impio
Dum currit patrium gnatus ad osculum,
Immatura focis victima concidit,
Divisusque tua est, Tantale, dexterâ:
Mensas ut strueres hospitibus deis.
Hos aeterna fames prosequitur cibos,
Hos aeterna sitis; nec dapibus feris
Decerni potuit poena decentior.
Stat lusus vacuo gutture Tantalus:
Impendet capiti plurima noxio
Phinéïs avibus praeda fugacior;
Hinc illinc gravidis frondibus incubat
Et curvata suis foetibus, ac tremens
Adludit patulis arbor hiatibus.
Haec, quamvis avidus nec patiens morae,
Deceptus toties tangere negligit,
Obliquatque oculos, oraque comprimit,
Inclusisque famem dentibus adligat;

V. 149. Fort. persequitur.

Sed tunc divitias omne nemus suas
Demittit propius, pomaque desuper
Insultant foliis mitia languidis,
Accenduntque famem, quae jubet irritas
Exercere manus. Has ubi protulit,
Et falli libuit: totus in arduum
Autumnus rapitur silvaque mobilis.
Instat deinde sitis non levior fame;
Quâ cum percaluit sanguis et igneïs
Exarsit facibus: stat miser obvios
Fluctus ore vocans, quos profugus latex
Avertit, sterili deficiens vado,
Conantemque sequi, deserit; hic bibit
Altum de rapido gurgite pulverem.

---

# ACTUS SECUNDUS.

## ATREUS, SATELLES.

**Atreus, ulciscendi fratrem certus, de vindictae ratione cum satellite deliberat, quem honesta consulentem non audit; impiam tandem et infandam ultionis rationem excogitat.**

ATR. Ignave, iners, enervis, et (quod maximum i. s.
Probrum tyranno rebus in summis reor)
Inulte, post tot scelera, post fratris dolos
Fasque omne ruptum, questibus vanis agis
Iratus, Atreus? Fremere jam totus tuis
Debebat armis orbis, et geminum mare
Utrimque classes agere; jam flammis agros
Lucere et urbes decuit, ac strictum undique
Micare ferrum. Tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite; non silvae tegant
Hostem, nec altis montium structae jugis
Arces; relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis; quisquis invisum caput

Tegit ac tuetur, clade funestâ occidat.
Haec ipsa pollens incliti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age, anime, fac, quod nulla posteritas probet,
Sed nulla taceat! aliquod audendum est nefas
Atrox, cruentum; tale, quod frater meus
Suum esse malit. Scelera non ulcisceris,
Nisi vincis. — Ecquid esse tam saevum potest,
Quod superet illum? numquid abjectus jacet?
Numquid secundis patitur in rebus modum,
Fessis quietem? Novi ego ingenium viri
Indocile: flecti non potest, frangi potest.
Proin, antequam se firmet aut vires paret,
Petatur ultro: ne quiescentem petat.
Aut perdet, aut peribit; in medio est scelus
Positum occupanti. SAT. Fama te populi nihil
Adversa terret? ATR. Maximum hoc regni bonum est,
Quod facta domini cogitur populus sui
Tam ferre, quam laudare. SAT. Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
At qui favoris gloriam veri petit,
Animo magis quam voce laudari volet.
ATR. Laus vera et humili saepe contingit viro;
Non nisi potenti falsa. Quod nolunt, velint.
SAT. Rex velit honesta: nemo non eadem volet.
ATR. Ubicunque tantum honesta dominanti licent,
Precario regnatur. SAT. Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides:
Instabile regnum est. ATR. Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona sunt; quâ juvat, reges eant.
SAT. Nefas nocere vel malo fratri puta.
ATR. Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas:
Quid enim reliquit crimine intactum, aut ubi
Sceleri pepercit? Conjugem stupro abstulit,
Regnumque furto. Specimen antiquum imperi
Fraude est adeptus; fraude turbavit domum.

Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis,
Cujus per omne corpus effuso coma
Dependet auro, cujus e tergo novi
Aurata reges sceptra Tantalici gerunt.
Possessor hujus regnat; hunc cunctae domus
Fortuna sequitur. Tuta sepositâ sacer
In parte carpit prata, quae claudit lapis,
Fatale saxeo pascuum muro tegens.
Hunc, facinus ingens ausus, adsumtâ in scelus
Consorte nostri perfidus thalami avehit.
Hinc omne cladis mutuae fluxit malum.
Per regna trepidus exul erravit; mea
Pars nulla generis tuta ab insidiis vacat;
Corrupta conjux, imperî quassa est fides;
Domus aegra, dubius sanguis est; certi nihil
Nisi frater hostis. Quid stupes? Tandem incipe,
Animoque sume Tantalum, et Pelopem adspice:
Ad haec manus exempla poscuntur meae.
Profare, dirum quâ caput mactem viâ!
SAT. Ferro peremtus spiritum inimicum expuat.
ATR. De fine poenae loqueris; ego poenam volo.
Perimat tyrannus lenis; in regno meo
Mors impetratur. SAT. Nulla te pietas movet?
ATR. Excede, Pietas, si modo in nostrâ domo
Unquam fuisti! Dira Furiarum cohors
Discorsque Erinnys veniat et geminas faces
Megaera quatiens: non satis magno meum
Ardet furore pectus; impleri juvat
Majore monstro. SAT. Quid novi rabidus struis?
ATR. Nil quod doloris capiat adsueti modum.
Nullum relinquam facinus, et nullum est satis.
SAT. Ferrum? ATR. Parum est. SAT. Quid ignis? ATR.
Etiamnum parum est.
SAT. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?

228. Fort.: D. auro. Tergore ex hujus novi etc.

ATR. Ipso Thyeste. SAT. Majus hoc ira est malum.
ATR. Fateor. Tumultus pectora attonitus quatit,
Penitusque volvit; rapior, et quo nescio;
Sed rapior. Imo mugit e fundo solum,
Tonat dies serenus, ac totis domus
Ut fracta tectis crepuit, et moti lares
Vertere vultum: fiat hoc, fiat nefas,
Quod, dî, timetis. SAT. Facere quid tandem paras?
ATR. Nescio quid animus majus et solito amplius
Supraque fines moris humani tumet,
Instatque pigris manibus. Haud quid sit scio;
Sed grande quiddam est. Ita sit! hoc, anime, occupa!
Dignum est Thyeste facinus, et dignum Atreo:
Uterque faciat. — Vidit infandas domus
Odrysia mensas. — Fateor, immane est scelus;
Sed occupatum: majus hoc aliquid dolor
Inveniat. Animum Daulis inspira parens,
Sororque! Causa est similis: adsiste, et manum
Impelle nostram! — Liberos avidus pater
Gaudensque laceret, et suos artus edat.
Bene est! abunde est! hic placet poenae modus
Tantisper. Ubinam est? tam diu cur innocens
Versatur Atreus? Tota jam ante oculos meos
Imago caedis errat, ingesta orbitas
In ora patris. Anime, quid rursus times,
Et ante rem subsidis? Audendum est, age!
Quod est in isto scelere praecipuum nefas,
Hoc ipse faciet. SAT. Sed quibus captus dolis
Nostros dabit, perductus, in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. ATR. Non poterat capi,
Nisi capere vellet. Regna nunc sperat mea.
Hac spe minanti fulmen occurret Jovi;
Hac spe subibit gurgitis tumidi minas,
Dubiumque Libycae Syrtis intrabit fretum;
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem videbit. SAT. Quis fidem pacis dabit?

Cui tanta credet? ATR. Credula est spes improba.
Gnatis tamen mandata, quae patruo ferant,
Dabimus: relictis exul hospitiis vagus
Regno ut miserias mutet, atque Argos regat,
Ex parte dominus. Si nimis durus preces
Spernet Thyestes: liberos ejus rudes
Malisque fessos gravibus et faciles capi
Praecommovebunt. Hinc vetus regni furor,
Illinc egestas tristis ac durus labor,
Quamvis rigentem tot malis subigent virum.
SAT. Jam tempus illi fecit aerumnas leves.
ATR. Erras: malorum sensus adcrescit die.
Leve est miserias ferre, perferre est grave.
SAT. Alios ministros consili tristis lege:
Pejora juvenes facile praecepta audiunt;
In patre facient, quidquid in patruo doces.
Saepe in magistrum scelera redierunt sua.
ATR. Ut nemo doceat fraudis et sceleris vias:
Regnum docebit. Ne mali fiant, times?
Nascuntur istud. Quod vocas saevum, asperum,
Agique dire credis et nimium impie,
Fortasse et illic agitur. SAT. Hanc fraudem scient
Gnati parari? Tacita tam rudibus fides
Non est in annis; detegent forsan dolos:
Tacere multis discitur vitae malis.
Ipsosne, per quos fallere alium cogitas,
Falles, ut ipsi crimine et culpâ vacent?
ATR. Quid enim necesse est liberos sceleri meo
Inserere? Per nos odia se nostra explicent. —
Male agis, recedis, anime! Si parcis tuis,
Parces et illi: consili Agamemnon mei
Sciens minister fiat, et patri sciens
Menelaus adsit. Prolis incertae fides
Ex hoc petatur scelere. Si bella abnuunt
Et gerere nolunt odia, si patruum vocant:
Pater est. Eatur. — Multa sed trepidus solet

Detegere vultus; magna nolentem quoque
Consilia produnt: nesciant, quantae rei
Fiant ministri. Nostra tu coepta occules.
SAT. Haud sum monendus: ista nostro in pectore
Fides timorque, sed magis claudet fides.

## CHORUS.

A dissidiis fratrum, qui ad tempus minas componunt, sumtâ occasione, Chorus regum ambitionem taxat, quis vere rex sit docet, vitam denique latentem collaudat.

Tandem regia nobilis, glycon.
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.
Quis vos exagitat furor,
Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere adgredi?
Nescitis, cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriae color,
Non frontis nota regiae,
Non auro nitidae fores:
Rex est, qui posuit metus
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens
Et nunquam stabilis favor
Vulgi praecipitis movet,
Non quiquid fodit Occidens,
Aut undâ Tagus aureâ
Claro devehit alveo;
Non quidquid Libycis terit
Fervens area messibus;
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis,
Non Eurus rapiens mare,

Aut saevo rabidus freto
Ventosi tumor Adriae;
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs;
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.
Reges conveniant licet,
Qui sparsos agitant Dahas,
Qui rubri vada litoris,
Et gemmis mare lucidum
Late sanguineum tenent,
Aut qui Caspia fortibus
Recludunt juga Sarmatis;
Certet, Danubii vadum
Audet qui pedes ingredi,
Et (quocunque loco jacent)
Seres vellere nobiles:
Mens regnum bona possidet.
Nil ullis opus est equis;
Nil armis et inertibus
Telis, quae procul ingerit
Parthus, cum simulat fugas;
Admotis nihil est opus
Urbes sternere machinis,
Longe saxa rotantibus:
Rex est, qui metuit nihil;
Rex est, qui cupiet nihil.
Hoc regnum sibi quisque dat.
Stet, quicunque volet, potens
Aulae culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies;
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio;

388. Fort.: metuet.

Nullis nota Quiritibus
Aetas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebejus moriar senex.
Illi mors gravis incubat,
Qui, notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

---

# ACTUS TERTIUS.

THYESTES, PLISTHENES,
TANTALUS junior et } Mutae personae.
FRATER tertius. }

Thyesti a fratre Atreo per hujus filios revocato, redeuntique in patriam, non sine diffidentiâ ac mente malum praesagiente, revertendi fiduciam addunt ipsius filii.

THY. Optata patriae tecta et Argolicas opes, i. s.
Miserisque summum ac maximum exulibus bonum,
Tractum soli natalis et patrios deos
(Si sunt tamen dî) cerno, Cyclopum sacras
Turres, labore majus humano decus,
Celebrata juveni stadia, per quae nobilis
Palmam paternò non semel curru tuli.
Occurret Argos, populus occurret frequens;
Sed nempe et Atreus. Repete silvestres fugas
Saltusque densos potius et mixtam feris
Similemque vitam! Clarus hic regni nitor
Fulgore non est quod oculos falso auferat.
Cum quod datur spectabis, et dantem adspice!
Modo inter illa, quae putant cuncti aspera,
Fortis fui laetusque; nunc contra in metus
Revolvor, animus haeret ac retro cupit

Corpus referre, moveo nolentem gradum.
PLISTH. Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet,
Vultumque versat, seque in incerto tenet.
THY. Quid, anime, pendes, quidve consilium diu
Tam facile torques? Rebus incertissimis,
Fratri atque regno, credis, ac metuis mala
Jam victa, jam mansueta, et aerumnas fugis
Bene collocatas? Esse jam miserum juvat.
Reflecte gressum, dum licet, teque eripe!
PLISTH. Quae causa cogit, genitor, a patriâ gradum
Referre visâ? cur bonis tantis sinum
Subducis? Irâ frater abjectâ redit;
Partemque regni reddit, et lacerae domus
Componit artus, teque restituit tibi.
THY. Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis.
Nihil timendum video; sed timeo tamen.
Placet ire; pigris membra sed genubus labant,
Alioque quam quo nitor abductus feror.
Sic concitatam remige et velo ratem
Aestus, resistens remigi et velo, refert.
PLISTH. Evince, quidquid obstat et mentem impedit,
Reducemque quanta praemia expectent vide.
Pater, potes regnare. THY. Cum possim mori.
PLISTH. Summa est potestas... THY. Nulla, si cupias nihil.
PLISTH. Gnatis relinques. THY. Non capit regnum duos.
PLISTH. Miser esse mavult, esse qui felix potest?
THY. Mihi crede, falsis magna nominibus placent,
Frustra timentur dura. Dum excelsus steti,
Nunquam pavere destiti atque ipsum mei
Ferrum timere lateris. O quantum bonum est
Obstare nulli, capere securas dapes
Humi jacentem! Scelera non intrant casas,
Tutusque mensâ capitur angustâ cibus;

449. Fort.: o quanti b. e. O. B.

Venenum in auro bibitur. Expertus loquor:
Malam bonae praeferre fortunam licet.
Non vertice alti montis impositam domum
Et eminentem civitas humilis tremit,
Nec fulget altis splendidum tectis ebur,
Somnosque non defendit excubitor meos;
Non classibus piscamur et retro mare
Jactâ fugamus mole; non ventrem improbum
Alimus tributo gentium: nullus mihi
Ultra Getas metatur et Parthos ager;
Non ture colimur, nec meae, excluso Jove,
Ornantur arae; nulla culminibus meis
Imposita nutat silva, nec fumant manu
Succensa multâ stagna, nec somno dies,
Bacchoque nox jungenda pervigili datur:
Sed non timemur; tuta sine telo est domus,
Rebusque parvis alta praestatur quies.
Immane regnum est posse sine regno pati.
PLIST. Nec abnuendum est, si dat imperium deus.
THY. Nec adpetendum. PLIST. Frater, ut regnes, rogat.
THY. Rogat? Timendum est. Errat hic aliquis dolus.
PLIST. Redire pietas, unda submota est, solet,
Reparatque vires justus amissas amor.
THY. Amat Thyesten frater? Aethereas prius
Perfundet Arctos pontus, et Siculi rapax
Consistet aestus unda, et Ionio seges
Matura pelago surget, et lucem dabit
Nox atra terris; ante cum flammis aquae,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Foedusque jungent. PLIST. Quam tamen fraudem times?
THY. Omnem: timori quem meo statuam modum?
Tantum potest, quantum odit. PLIST. In te quid potest?
THY. Pro me nihil jam metuo; vos facitis mihi

Atrea timendum. PLIST. Decipi captus times?
Serum est cavendi tempus in mediis malis.
THY. Eatur. Unum genitor hoc testor tamen:
Ego vos sequor, non duco. PLIST. Respiciet deus
Bene cogitata. I! — Perge non dubio gradu!

ATREUS, THYESTES,
TANTALUS F. et TERTIUS frater. } Mutae personae.

Tacite sibi applaudit Atreus, irretitum fratrem, cui obviam procedit, et simulata in gratiam reditione eum circumvenit.

ATR. PLAGIS tenetur clusa dispositis fera: i. s.
Et ipsum, et una generis invisi indolem
Junctam parenti cerno. Jam tuto in loco
Versantur odia: venit in nostras manus
Tandem Thyestes; venit, et totus quidem.
Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
Sic, cum feras vestigat et longo sagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scrutatur ore, dum procul lento suem
Odore sentit: paret, et tacito locum
Rostro pererrat; praeda cum propior fuit:
Cervice totâ pugnat, et gemitu vocat
Dominum morantem, seque retinenti eripit.
Cum spirat ira sanguinem, nescit tegi;
Tamen tegatur. THY. Adspice, ut multo gravis
Squalore vultus obruat moestos coma,
Quam foeda jaceat barba. Praestetur fides.
ATR. Fratrem juvat videre. Complexus mihi
Redde expetitos! Quidquid irarum fuit,
Transierit. Ex hoc sanguis ac pietas die
Colantur; animis odia damnata excidant.
THY. Diluere possem cuncta, nisi talis fores.
Sed fateor, Atreu, fateor, admisi omnia,

Quae credidisti. Pessimam causam meam
Hodierna pietas fecit. Est prorsus nocens,
Quicunque visus tam bono fratri est nocens.
Lacrimis agendum est: supplicem primus vides;
Hae te precantur pedibus intactae manus:
Ponatur omnis ira, et ex animo tumor
Erasus abeat. Obsides fidei accipe
Hos innocentes! ATR. Frater, a genubus manus
Aufer, meosque potius amplexus pete!
Vos quoque, senum praesidia, tot juvenes, meo
Pendete collo! Squalidam vestem exue,
Oculisque nostris parce, et ornatus cape
Pares meis, laetusque fraterni imperi
Capesse partem! Major haec laus est mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
Habere regnum casus est; virtus dare.
THY. Dî paria, frater, pretia pro tantis tibi
Meritis rependant. Regiam capitis notam
Squalor recusat noster, et sceptrum manus
Infausta refugit. Liceat in mediâ mihi
Latere turbâ. ATR. Recipit hoc regnum duos.
THY. Meum esse credo, quidquid est, frater, tuum.
ATR. Quis influentis dona fortunae abnuit?
THY. Expertus est quicunque, quam facile effluant.
ATR. Fratrem potiri gloriâ ingenti vetas?
THY. Tua jam peracta gloria est; restat mea:
Respuere certum est regna consilium mihi.
ATR. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.
THY. Accipio. Regni nomen impositi feram;
Sed jura et arma servient mecum tibi.
ATR. Imposita capiti vincla venerando gere;
Ego destinatas victimas Superis dabo.

## CHORUS.

Inserviens actui praecedenti Chorus Atrei collaudat pietatem, quâ simultates et dissidia fratrum composuit, non secus ac serenitas tempestatem secuta.

Credat hoc quisquam? ferus ille et acer, sapph.
Nec potens mentis, truculentus Atreus
Fratris adspectu stupefactus haesit.
Nulla vis major pietate verâ est.
Jurgia externis inimica durant;
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cum magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitque bellum;
Cum leves frenis sonuere turmae,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis,
Quem movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem:
Opprimit ferrum, manibusque junctis
Ducit ad pacem Pietas negantes.
Otium tanto subitum e tumultu
Quis deus fecit? Modo per Mycenas
Arma civilis crepuere belli;
Pallidae natos tenuere matres;
Uxor armato timuit marito,
Cum manum invitus sequeretur ensis,
Sordidus pacis vitio quietae.
Ille labentes renovare muros,
Hic situ quassas stabilire turres,
Ferreïs portas cohibere claustris
Ille certabat; pavidusque pinnis
Anxiae noctis vigil incubabat.
Pejor est bello timor ipse belli.
Jam minae saevi cecidere ferri,
Jam silet murmur grave classicorum,
Jam tacet stridor litui strepentis:
Alta pax urbi revocata laetae est.

Sic, ubi ex alto tumuere fluctus,
Bruttium Coro feriente pontum,
Scylla pulsatis resonat cavernis,
Ac mare in portu timuere nautae,
Quod rapax haustum revomit Charybdis;
Et ferus Cyclops metuit parentem
Rupe ferventis residens in Aetnae,
Ne superfusis violetur undis
Ignis aeternis resonans caminis;
Et putat mergi sua posse pauper
Regna Laërtes Ithacâ tremente.
Si suae ventis cecidere vires,
Mitius stagno pelagus recumbit:
Alta, quae navis timuit secare,
Hinc et hinc fusis spatiosa velis,
Strata ludenti patuere cymbae;
Et vacat mersos numerare pisces
Hic, ubi ingenti modo sub procella
Cyclades pontum timuere motae.
Nulla sors longa est; dolor ac voluptas
Invicem cedunt; brevior voluptas.
Ima permutat levis hora summis.
Ille, qui donat diadema fronti,
Quem genu nixae tremuere gentes,
Cujus ad nutum posuere bella
Medus et Phoebi propioris Indus
Et Dahae Parthis equitem minati,
Anxius sceptrum tenet, et moventes
Cuncta divinat, metuitque casus
Mobiles rerum dubiumque tempus.
Vos, quibus rector maris atque terrae
Jus dedit magnum necis atque vitae,
Ponite inflatos tumidosque vultus:
Quidquid a vobis minor extimescit,
Major hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est;

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis:
Miscet haec illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam; rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri.
Res deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

---

# ACTUS QUARTUS.

## NUNTIUS, CHORUS.

Crudele Atrei facinus et epulas nefandas, in quibus apponebantur Thyestae sui liberi, digna, quae ex oculis spectatorum sublata intus gererentur, narrat nuntii facundia praesens.

NUNT. Quis me per auras turbo praecipitem vehet i. s.
Atrâque nube involvet, ut tantum nefas
Eripiat oculis? O domus Pelopi quoque
Et Tantalo pudenda! CHOR. Quid portas novi?
NUNT. Quaenam ista regio est, Argos et Sparte, pios
Sortita fratres, et maris gemini premens
Fauces Corinthos, an feris Ister fugam
Praebens Alanis, an sub aeternâ nive
Hyrcana tellus, an vagi passim Scythae?
Quis hic nefandi est conscius monstri locus?
CHOR. Effare et istud pande, quodcunque est, malum.
NUNT. Si steterit animus, si metu corpus rigens
Remittet artus. Haeret in vultu trucis
Imago facti. Ferte me insanae procul
Illo procellae, ferte, quo fertur dies
Hinc raptus! CHOR. Animos gravius incertos tenes.
Quid sit, quod horres, ede, et auctorem indica.

Non quaero, quis sit, sed uter. Effare ocius.
NUNT. In arce summâ Pelopiae pars est domus,
Conversa ad Austros, cujus extremum latus
Aequale monti crescit, atque urbem premit,
Et contumacem regibus populum suis
Habet sub ictu; fulget hic turbae capax
Immane tectum, cujus auratas trabes
Variis columnae nobiles maculis ferunt.
Post ista vulgo nota, quae populi colunt,
In multa dives spatia discedit domus.
Arcana in imo regia secessu patet,
Altâ vetustum valle compescens nemus,
Penetrale regni, nulla quâ laetos solet
Praebere ramos arbor, aut ferro coli;
Sed taxus et cupressus et nigrâ ilice
Obscura nutat silva, quam supra eminens
Despectat alte quercus, et vincit nemus.
Hinc auspicari regna Tantalidae solent,
Hinc petere lapsis rebus et dubiis opem.
Adfixa inhaerent dona, vocales tubae,
Fractique currus, spolia Myrtoi maris,
Victaeque falsis axibus pendent rotae,
Et omne gentis facinus; hoc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis, hic praeda hostium,
Et de triumpho picta barbarica chlamys.
Fons stat sub umbrâ tristis, et nigrâ piger
Haeret palude. Talis est dirae Stygis
Deformis unda, quae facit coelo fidem.
Hic nocte coecâ gemere ferales deos
Fama est; catenis lucus excussis sonat,
Ululantque Manes. Quidquid audire est metus,
Illic videtur: errat antiquis vetus
Emissa bustis turba, et insultant loco
Majora notis monstra; quin totâ solet
Micare flamma silvâ, et excelsae trabes

674. Malim, meliore quidem numero: Micare silvâ flamma.

Ardent sine igni. Saepe latratu nemus
Trino remugit; saepe simulacris domus
Attonita magnis. Nec dies sedat metum:
Nox propria luco est, et superstitio Inferûm
In luce mediâ regnat. Hinc orantibus
Responsa dantur certa, cum ingenti sono
Laxantur adyto fata, et immugit specus
Vocem deo solvente. Quo postquam furens
Intravit Atreus, liberos fratris trahens:
Ornantur arae. Quis queat digne eloqui?
Post terga juvenum nobiles revocat manus,
Et moesta vittâ capita purpureâ ligat;
Non tura desunt, non sacer Bacchi liquor,
Tangensve fusâ victimam culter molâ.
Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. CHOR. Quis manum ferro admovet?
NUNT. Ipse est sacerdos; ipse funestâ prece
Letale carmen ore violento canit;
Stat ipse ad aras; ipse devotos neci
Contrectat, et componit, et ferro admovet;
Attendit ipse: nulla pars sacri perit.
Lucus tremiscit; tota succusso solo
Nutavit aula, dubia, quo pondus daret,
Ac fluctuanti similis; e laevo aethere
Atrum cucurrit limitem sidus trahens;
Libata in ignes vina mutato fluunt
Cruenta Baccho; regium capiti decus
Bis terque lapsum est; flevit in templis ebur.
Movere cunctos monstra; sed solus sibi
Immotus Atreus constat, atque ultro deos
Terret minantes. Jamque dimissâ morâ
Adsiluit aris, torvum et obliquum intuens.
Jejuna silvis qualis in Gangeticis
Inter juvencos tigris erravit duos,
Utriusque praedae cupida (quo primos ferat
Incerta morsus, flectit huc rictus suos,

Illo reflectit, et famem dubiam tenet),
Sic dirus Atreus capita devota impiae
Speculatur irae. Quem prius mactet sibi,
Dubitat; secundâ deinde quem caede immolet.
Nec interest; sed dubitat, et saevum scelus
Juvat ordinare. CHOR. Quem tamen ferro occupat?
NUNT. Primus locus (ne deesse pietatem putes)
Avo dicatur: Tantalus prima hostia est.
CHOR. Quo juvenis animo, quo tulit vultu necem?
NUNT. Stetit sui securus, et non est preces
Perire frustra passus. Ast illi ferus
In vulnere ensem abscondit, et penitus premens
Jugulo manum commisit. Educto stetit
Ferro cadaver; cumque dubitasset diu,
Hac parte, an illâ caderet, in patruum cadit.
Tunc ille ad aras Plisthenem saevus trahit,
Adicitque fratri; colla percussa amputat;
Cervice caesâ truncus in pronum ruit,
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
CHOR. Quid deinde geminâ caede perfunctus facit?
Puerone parcit? an scelus sceleri ingerit?
NUNT. Silvâ jubatus qualis Armeniâ leo
In caede multâ victor armento incubat
(Cruore rictus madidus, et pulsâ fame
Non ponit iras: hinc et hinc tauros premens
Vitulis minatur, dente jam lasso piger):
Non aliter Atreus saevit atque irâ tumet;
Ferrumque geminâ caede perfusum tenens,
Oblitus in quem rueret, infestâ manu
Exegit ultra corpus. At pueri statim
Pectore receptus ensis in tergo extitit.
Cadit ille, et aras sanguine extinguens suo,
Per utrumque vulnus moritur. CHOR. O saevum scelus!
NUNT. Exhorruistis? Hactenus sistat nefas:
Pius est. CHOR. An ultra majus aut atrocius
Natura recipit? NUNT. Sceleris hunc finem putas?

Gradus est. CHOR. Quid ultra potuit? Abjecit feris
Lanianda forsan corpora, atque igne arcuit.
NUNT. Utinam arcuisset! Ne tegat functos humus,
Ne solvat ignis; avibus epulandos licet
Ferisque triste pabulum saevis trahat.
Votum est sub hoc, quod esse supplicium solet:
Pater insepultos spectet. O nullo scelus
Credibile in aevo, quodque posteritas neget!
Erepta vivis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venae, corque adhuc pavidum salit.
At ille fibras tractat, ac fata inspicit,
Et adhuc calentes viscerum venas notat.
Postquam hostiae placuere: securus vacat
Jam fratris epulis. Ipse divisum secat
In membra corpus: amputat trunco tenus
Humeros patentes et lacertorum moras,
Denudat artus dirus atque ossa amputat;
Tantum ora servat et datas fidei manus.
Haec verubus haerent viscera, et lentis data
Stillant caminis; illa flammatus latex
Candente aheno jactat. Impositas dapes
Transiluit ignis, inque trepidantes focos
Bis ter regestus et pati jussus moram,
Invitus ardet. Stridit in verubus jecur;
Nec facile dicam, corpora an flammae gemant.
Gemuere. Piceos ignis in fumos abit;
Et ipse fumus, tristis ac nebula gravis,
Non rectus exit, seque in excelsum levans
Ipsos penates nube deformi obsidet.
O Phoebe patiens, fugeris retro licet,
Medioque ruptum merseris coelo diem,
Sero occidisti. Lancinat gnatos pater,
Artusque mandit ore funesto suos.
Nitet fluente madidus unguento comam,
Gravisque vino. Saepe praeclusae cibum

774. Vett. edd.: levat.

Tenuere fauces. In malis unum hoc tuis
Bonum est, Thyesta, quod mala ignoras tua;
Sed et hoc peribit. Verterit currus licet,
Sibi ipse Titan obvium ducens iter,
Tenebrisque facinus obruat taetrum novis
Nox missa ab ortu tempore alieno gravis:
Tamen videndum est; tota patefient mala.

## CHORUS.

Videns Chorus solem retrocedere obstupescit; veritus, ne dissolutâ mundi machinâ omnia in antiquum chaos recidant.

Quo terrarum Superûmque parens,
Cujus ad ortus noctis opacae
Decus omne fugit, quo vertis iter,
Medioque diem perdis Olympo?
Cur, Phoebe, tuos rapis adspectus?
Nondum serae nuntius horae
Nocturna vocat lumina Vesper;
Nondum Hesperiae flexura rotae
Jubet emeritos solvere currus;
Nondum in noctem vergente die
Tertia misit buccina signum;
Stupet ad subitae tempora coenae
Nondum fessis bubus arator.
Quid te aetherio pepulit cursu?
Quae causa tuos limite certo
Dejecit equos? numquid aperto
Carcere Ditis victi tentant
Bella gigantes? numquid Tityos
Pectore fesso renovat veteres
Saucius iras? num rejecto
Latus explicuit monte Typhoeus?
Numquid struitur via Phlegraeos
Alta per hostes, et Thessalicum
Thressâ premitur Pelion Ossâ?
Solitae mundi periere vices:

Nihil Occasus, nihil Ortus erit.
Stupet, Eoos adsueta deo
Tradere frenos, genitrix primae
Roscida lucis, perversa sui
Limina regni; nescit fessos
Tingere currus, nec fumantes
Sudore jubas mergere ponto.
Ipse insueto novus hospitio
Sol auroram videt occiduus,
Tenebrasque jubet surgere nondum
Nocte paratâ. Non succedunt
Astra, nec ullo micat igne polus,
Nec Luna graves digerit umbras:
Sed quidquid id est, utinam nox sit!
Trepidant, trepidant pectora magno
Percussa metu, ne fatali
Cuncta ruinâ quassata labent,
Iterumque deos hominesque premat
Deforme chaos,
Iterum terras et mare et ignes
Et vaga picti sidera mundi
Natura tegat.
Non aeternae facis exortu
Dux astrorum secula ducens
Dabit aestatis brumaeque notas.
Non Phoebeïs obvia flammis
Demet Nocti Luna timores,
Vincetque sui fratris habenas,
Curvo brevius limite currens.
Ibit in unum congesta sinum
Turba deorum.
Hic, qui sacris pervius astris
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens longos Signifer annos,
Lapsa videbit sidera labens.
Hic, qui nondum vere benigno

Reddit Zephyro vela tepenti;
Aries praeceps ibit in undas,
Per quas pavidam vexerat Hellen.
Hic, qui nitido Taurus cornu
Praefert Hyadas, secum Geminos
Trahet et curvi brachia Cancri.
Leo flammiferis aestibus ardens
Iterum e coelo cadet Herculeus,
Cadet in terras Virgo relictas,
Justaeque cadent pondera Librae,
Secumque trahent Scorpion acrem;
Et, qui nervo tenet Haemonio
Pennata senex spicula Chiron,
Rupto perdet spicula nervo.
Pigram referens hiemem gelidus
Cadet Aegoceros, frangetque tuam,
Quisquis es, Urnam. Tecum excedent
Ultima coeli sidera Pisces;
Monstraque nunquam perfusa mari
Merget condens omnia gurges;
Et qui medias dividit Ursas,
Fluminis instar, lubricus Anguis,
Magnoque minor juncta Draconi
Frigida duro Cynosura gelu,
Custosque sui tardus plaustri
Jam non stabilis ruet Arctophylax.
Nos e tanto visi populo
Digni, premeret quos everso
Cardine mundus;
In nos aetas ultima venit.
O nos durâ sorte creatos,
Seu perdidimus solem miseri,
Sive expulimus!
Abeant questus; discede, Timor!
Vitae est avidus, quisquis non vult
Mundo secum moriente mori.

# ACTUS QUINTUS.

## ATREUS.

Exultans impius Atreus nefariam de fratre vindictam sibi gratulatur, dirisque appositis dapibus de natorum sanguine praebendo deliberat.

Aequalis astris gradior, et cunctos super i. 5.
Altum superbo vertice attingens polum!
Nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
Dimitto Superos: summa votorum attigi.
Bene est; abunde est; jam sat est etiam mihi.
Sed cur satis sit? pergam, et implebo patrem
Funere suorum. Ne quid obstaret pudor,
Dies recessit: perge, dum coelum vacat.
Utinam quidem tenere fugientes deos
Possem, et coactos trahere, ut ultricem dapem
Omnes viderent! Quod sat est, videat pater.
Etiam die nolente discutiam tibi
Tenebras, miseriae sub quibus latitant tuae.
Nimis diu conviva securo jaces
Hilarique vultu; jam satis mensis datum est,
Satisque Baccho; sobrio tanta ad mala
Opus est Thyeste. Turba famularis fores
Templi relaxa; festa patefiat domus.
Libet videre, capita natorum intuens
Quos det colores, verba quae primus dolor
Effundat, aut ut spiritu expulso stupens
Corpus rigescat. Fructus hic operis mei est.
Miserum videre nolo; sed, dum fit miser. —
Aperta multâ tecta collucent face.
Resupinus ipse purpurae atque auro incubat,
Vino gravatum fulciens laevâ caput.
Eructat. O me coelitum excelsissimum,
Regumque regem! vota transcendi mea!
Satur est, capaci ducit argento merum.

Ne parce potu: restat etiamnum cruor
Tot hostiarum. Veteris hunc Bacchi color
Abscondet. Hoc haec mensa claudatur scypho.
Mixtum suorum sanguinem genitor bibat;
Meum bibisset. Ecce, jam cantus ciet
Festasque voces, nec satis menti imperat.

## THYESTES.

**Thyestis epulantis cantus: quo invitat se ad laetitiam, quam tamen mens ejus praesaga mali non admittit.**

PECTORA longis hebetata malis, a. d. et m.
Jam sollicitas ponite curas!
Fugiat moeror, fugiatque pavor.
Fugiat trepidi comes exilii
Tristis egestas, rebusque gravis
Pudor adflictis. Magis unde cadas,
Quam quo, refert. Magnum, ex alto
Culmine lapsum stabilem in plano
Figere gressum; magnum, ingenti
Strage malorum pressum fracti
Pondera regni non inflexâ
Cervice pati, nec degenerem
Victumque malis rectum impositas
Ferre ruinas. Sed jam saevi
Nubila fati pelle, ac miseri
Tempore in omni dimitte notas;
Redeant vultus ad laeta boni;
Veterem ex animo mitte Thyesten! —
Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Nunquam rebus credere laetis.
Redeat felix Fortuna licet,
Tamen adflictos gaudere piget.
Quid me revocas, festumque vetas
Celebrare diem? quid flere jubes,

936. Ita Flor. Vulgo: Temporis omnes. d. n.

Nullâ surgens dolor ex causâ?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? Prohibet, prohibet!
Vernae capiti fluxere rosae;
Pingui madidus crinis amomo
Inter subitos stetit horrores;
Imber vultu nolente cadit;
Venit in medias voces gemitus.
Moeror lacrimas amat adsuetas;
Flendi miseris dira cupido est.
Libet infaustos mittere questus;
Libet et Tyrio saturas ostro
Rumpere vestes; ululare libet!
Mittit luctus signa futuri
Mens, ante sui praesaga mali.
Instat nautis fera tempestas,
Cum sine vento tranquilla tument. —
Quos tibi luctus quosve tumultus
Fingis, demens?
Credula praesta pectora fratri!
Jam, quidquid id est, vel sine causâ,
Vel sero times. — Nolo infelix;
Sed vagus intra terror oberrat,
Subitos fundunt oculi fletus,
Nec causa subest. Dolor, an metus est?
An habet lacrimas magna voluptas? —

## ATREUS, THYESTES.

**Atreus, festivitatem simulans, fratrem ad poculum invitat. Cupienti illi videre liberos, quo plenius gauderet, ostendit capita et palmas, et quid actum sit aperit; hinc dolor, ira, convicia, execrationes ortae.**

ATR. Festum diem, germane, consensu pari i. s.
Celebremus: hic est, sceptra qui firmet mea,
Solidamque pacis adliget certae fidem.

956. Fort.: Libet hei! Tyrio etc.

THY. Satias dapis me, nec minus Bacchi tenet.
Augere cumulus hic voluptatem potest,
Si cum meis gaudere felici datur.
ATR. Hic esse natos crede in amplexu patris.
Hic sunt, eruntque; nulla pars prolis tuae
Tibi subtrahetur. Ora, quae exoptas, dabo,
Totumque turbâ jam suâ implebo patrem.
Satiaberis, ne metue! Nunc mixti meis
Jucunda mensae sacra juvenilis colunt;
Sed accientur. Poculum infuso cape
Gentile Baccho! THY. Capio fraternae dapis
Donum. Paternis vina libentur deis,
Tunc hauriantur. Sed quid hoc? Nolunt manus
Parere; crescit pondus, et dextram gravat;
Admotus ipsis Bacchus a labris fugit,
Circaque rictus ore decepto effluit.
En, ipsa trepido mensa subsiluit solo!
Vix lucet ignis. Ipse quin aether gravis
Inter diem noctemque desertus stupet.
Quid hoc? magis magisque concussi labant
Convexa coeli; spissior densis coït
Caligo tenebris, noxque se in noctem addidit;
Fugit omne sidus. Quidquid est, fratri, precor,
Gnatisque parcat; omnis in vile hoc caput
Abeat procella! Redde jam gnatos mihi!
ATR. Reddam, et tibi illos nullus eripiet dies.
THY. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?
Quid tremuit intus? Sentio impatiens onus,
Meumque gemitu non meo pectus gemit.
Adeste, nati! genitor infelix vocat;
Adeste! visis fugiet hic vobis dolor. —
Unde obloquuntur? ATR. Expedi amplexus, pater:
Venere. Natos ecquid agnoscis tuos?
THY. Agnosco fratrem. Sustines tantum nefas
Gestare, tellus? non ad infernam Styga
Te nosque mergis, ruptâ et ingenti viâ

Ad chaos inane regna cum rege abripis?
Non tota ab imo tecta convellens solo
Vertis Mycenas? Stare circa Tantalum
Uterque jam debuimus: hinc compagibus
Et hinc revulsis, si quid infra Tartara est
Avosque nostros, huc tuam immani sinu
Demitte vallem, nosque defossos tege
Acheronte toto! noxiae supra caput
Animae vagentur nostrum, et ardenti freto
Phlegethon arenas igneus totas agens
Exitia supra nostra violentus fluat.
Immota, tellus, pondus ignavum, jaces?
Fugere Superi. ATR. At accipe hos potius libens
Diu expetitos! Nulla per fratrem est mora:
Fruere, osculare, divide amplexus tribus!
THY. Hoc foedus? haec est gratia? haec fratris fides?
Sic odia ponis? Non peto, incolumes pater
Gnatos ut habeam; scelere quod salvo dari
Odioque possit, frater hoc fratrem rogo:
Sepelire liceat. Redde, quod cernas statim
Uri. Nihil te genitor habiturus rogo,
Sed perditurus. ATR. Quidquid e gnatis tuis
Superest, habebis; quodque non superest, habes.
THY. Utrumne saevis pabulum alitibus jacent,
An belluis servantur? an pascunt feras?
ATR. Epulatus ipse es impiâ gnatos dape.
THY. Hoc est, deos quod puduit! hoc egit diem
Aversum in ortus! Quas miser voces dabo,
Questusque quos? quae verba sufficient mihi?
Abscissa cerno capita et avulsas manus,
Et rupta fractis cruribus vestigia.
Hoc est, quod avidus capere non potui pater.
Volvuntur intus viscera, et clausum nefas
Sine exitu luctatur, et quaerit fugam.

1020. Fort. Exilia.

Da, frater, ensem (sanguinis multum mei
Habet ille): ferro liberis detur via. —
Negatur ensis? Pectora illiso sonent
Contusa planctu! ATR. Sustine, infelix, manum:
Parcamus umbris. THY. Tale quis vidit nefas?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans? quisve Cecropiis metus
Terris Procrustes? Genitor, en, natos premo,
Premorque natis! Sceleris est aliquis modus.
ATR. Sceleri modus debetur, ubi facias scelus;
Non, ubi reponas. Hoc quoque exiguum est mihi.
Et vulnere ipso sanguinem calidum in tua
Diffundere ora debui: ut viventium
Biberes cruorem. Verba sunt irae data,
Dum propero: ferro vulnera impresso dedi;
Cecidi ad aras; caede votivâ focos
Placavi, et artus corpore exanimo amputans
In parva carpsi frusta; et haec ferventibus
Demersi ahenis; illa lentis ignibus
Stillare jussi; membra nervosque abscidi
Viventibus, gracilique trajectas veru
Mugire fibras vidi, et adgessi manu
Meâ ipse flammas. Omnia haec melius pater
Fecisse potuit; cecidit incassum dolor:
Scidit ore natos impio, sed nesciens,
Sed nescientes. THY. Clusa littoribus vagis
Audite maria! vos quoque audite hoc scelus,
Quocunque, dî, fugistis! audite, Inferi!
Audite, Terrae! Noxque Tartareâ gravis
Et atra nube, vocibus nostris vaca!
Tibi sum relictus; sola tu miserum vides,
Tu quoque sine astris. Vota non faciam improba:
Pro me nihil precabor: (ecquid jam potest
Pro me esse?) vobis vota prospicient mea.
Tu, summe coeli rector, aetheriae potens
Dominator aulae, nubibus totum horridis

Convolve mundum; bella ventorum undique
Committe, et omni parte violentum intona;
Manuque, non quâ tecta et immeritas domos
Telo petis minore, sed quâ montium
Tergemina moles cecidit, et qui montibus
Stabant pares gigantes, hâc arma expedi,
Ignesque torque! vindica amissum diem!
Jaculare flammas: lumen ereptum polo
Fulminibus exple. Causa, ne dubites diu,
Utriusque mala sit; si minus, mala sit mea:
Me pete! trisulco flammeam telo facem
Per pectus hoc transmitte! si gnatos pater
Humare, et igni tradere extremo volo,
Ego sum cremandus. Si nihil Superos movet,
Nullumque telis impios numen petit:
Aeterna nox permaneat, et tenebris tegat
Immensa longis scelera! Nil, Titan, queror,
Si perseveras. ATR. Nunc meas laudo manus,
Nunc parta vera est palma. Perdideram scelus,
Nisi sic doleres. Liberos nasci mihi
Nunc credo, castis nunc fidem reddi toris.
THY. Quid liberi meruere? ATR. Quod fuerant tui.
THY. Gnatos parenti! ATR. Fateor, et, quod me juvat,
Certos. THY. Piorum praesides testor deos.
ATR. Quid? conjugales? THY. Scelere quis pensat scelus?
ATR. Scio, quid queraris: scelere praerepto doles,
Nec, quod nefandas hauseris, angit, dapes;
Quod non parâris: fuerat hic animus tibi
Instruere similes inscio fratri cibos,
Et adjuvante liberos matre adgredi,
Similique leto sternere. Hoc unum obstitit,
Tuos putasti. THY. Vindices aderunt dei;
His puniendum vota te tradunt mea.
ATR. Te puniendum liberis trado tuis.

# PHOENISSAE.

## *DRAMATIS PERSONAE.*

OEDIPUS.
ANTIGONE.
NUNCIUS.
JOCASTA.
POLYNICES.

# PHOENISSAE.

## ARGUMENTUM.

Oedipus, sibi oculis, ubi scelus suum (de quo vide argumentum Oedipi) agnovisset, erutis, in exilium spontaneum profectus, amolitur a se filiam Antigonen, quae patri vitales auras pertaeso ducem se viae offert, utque mortis cupidinem deponat, multis precibus tandem exorat. Cujus interea filios Eteoclem et Polynicem, violato regnandi per vices foedere, impia moventes arma, incassum laborat mater Jocasta in gratiam reducere. Desunt mutilae huic Tragoediae cetera.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Hauserat obscuras damnata luce tenebras
Oedipodes, tristemque animam sub nocte premebat.
Natorum interea dominandi dira cupido
Occupat haec mentes: Thebanaque regna tueri
Alternis statuunt vicibus. Jamque annua jura
Ille dabat populo; hic patriis semotus ab oris
Argolicas urbes externaque tecta petebat.
Jam vagus exactum sol circumvolverat annum:
Sceptra exul repetit; negat ille excedere regno
Perfidus: arma parant: tristi concurrere bello
Praeceps ira jubet. Cruor undique et undique caedes
Cernitur, hostilique exundant sanguine rupes.
Tandem Grajugenum post funera longa necesque
Mutua Thebani senserunt vulnera fratres.

# ACTUS PRIMUS.

## OEDIPUS, ANTIGONE.

**Oedipum ab institutâ morte revocat, persuadetque filia Antigone, dux patris coeci.**

OEDIP. Coeci parentis regimen, ac fessi unicum
Patris levamen, gnata, quam tanti est mihi
Genuisse vel sic, desere infaustum patrem!
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi! Melius inveniam viam,
Quam quaero, solus, quae me ab hâc vita extrahat,
Et hoc nefandi capitis adspectu levet
Coelum atque terras. Quantulum hâc egi manu?
Non video noxae conscium nostrae diem;
Sed videor. Hinc jam solve inhaerentem manum,
Et patere coecum, quâ volet, ferri pedem!
Ibo, ibo, quâ praerupta protendit juga
Meus Cithaeron; quâ peragrati celer
Per saxa montis jacuit Actaeon, suis
Nova praeda canibus; quâ per obscurum nemus
Silvamque opacae vallis instinctas deo
Egit sorores mater, et gaudens malo
Vibrante fixum praetulit thyrso caput;
Vel quâ cucurrit corpus invisum trahens
Zethi juvencus, quâ per horrentes rubos
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas;
Vel quâ alta maria vertice immenso premit
Minora rupes, quâ scelus fugiens ferum,
Novumque faciens, mater insiluit freto,
Mersura natum seque! Felices, quibus

V. 2. Fort.: Fratris levamen.
3. Fort.: infaustum parum.

Fortuna melior tam bonas matres dedit!
Est alius istis noster in silvis locus,
Qui me reposcit; hunc petam cursu incito.
Non haesitabit gressus; huc omni duce
Spoliatus ibo. Quid moror? Sedes meas
Montem, Cithaeron, redde, et hospitium mihi
Illud meum restitue: ut expirem senex,
Ubi debui infans! recipe supplicium vetus,
Semper cruente, saeve, crudelis, ferox,
Cum occidis, et cum parcis! Olim jam tuum
Est hoc cadaver: perage mandatum patris,
Jam et matris. Animus gestit antiqua exequi
Supplicia. Quid me, gnata, pestifero tenes
Amore vinctum? quid tenes? Genitor vocat.
Sequor, sequor! jam parce! Sanguineum gerens
Insigne regni Laïus rapti furit,
Et, ecce, inanes manibus infestis petit
Foditque vultus! Gnata, genitorem vides?
Ego video. Tandem spiritum inimicum exspue,
Desertor animi, fortis in partem tui!
Omitte poenae languidas longae moras,
Mortemque totam admitte! Quid segnis traho,
Quod vivo? Nullum facere jam possum scelus.
Possum miser: praedico, discede a patre,
Discede, virgo: timeo post matrem omnia.
ANT. Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum
Corpore resolvet; nemo me comitem tibi
Eripiet unquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant;
Pars summa magni patris e regno mea est
Pater ipse. Non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui regno tenet;
Non hunc catervas alter Argolicas agens!
Non si revulso Jupiter mundo tonet,
Mediumque nostros fulmen in nexus cadat,

39. Fort.: quid times?

Manum hanc remittam! Prohibeas, genitor, licet:
Regam abnuentem, diligam invitum patrem.
In plana tendis? vado. Praerupta adpetis?
Non obsto, sed praecedo. Quovis utere
Duce me! Duobus omnis eligitur via.
Perire sine me non potes, mecum potes.
Hic alta rupes arduo surgit jugo,
Spectatque longe spatia subjecti maris;
Vis hanc petamus? Nudus hic pendet silex.
Hic scissa tellus faucibus ruptis hiat;
Vis hanc petamus? Hic rapax torrens cadit,
Partesque lapsi montis exesas rotat;
In hunc ruamus. Dum prior, quo vis, eo;
Non deprecor, non hortor. Extingui cupis,
Votumque, genitor, maximum mors est tibi?
Si moreris, antecedo; si vivis, sequor.
Sed flecte mentem, pectus antiquum advoca,
Victasque magno robore aerumnas doma!
Resiste: tantis in malis vinci mori est.
OEDIP. Unde in nefandâ specimen egregium domo?
Unde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis? aliquis est ex me pius.
Non esset unquam (fata bene novi mea),
Nisi ut noceret. Ipsa se in leges novas
Natura vertet, regeret in fontem citas
Revolutus undas amnis, et noctem adferet
Phoebéa lampas, Hesperus faciet diem.
Ut ad miserias aliquid accedat meas,
Pii quoque erimus. Unica Oedipodae est salus,
Non esse salvum. Liceat ulcisci patrem
Adhuc inultum. Dextra, quid cessas iners
Exigere poenas? Quidquid exactum est adhuc,
Matri dedisti. Mitte genitoris manum,
Animosa virgo: funus extendis meum,
Longasque vivi ducis exequias patris.

78. Fort. Junctasque.

Aliquando terrâ corpus invisum tege!
Peccas honestâ mente; pietatem vocas,
Patrem insepultum trahere. Qui cogit mori
Nolentem, in aequo est, quique properantem impedit.
Occidere est vetare cupientem mori.
Nec tamen in aequo est: alterum gravius reor:
Malo imperari, quam eripi mortem mihi.
Desiste coepto, virgo: jus vitae ac necis
Meae penes me est. Regna deserui libens;
Regnum mei retineo. Si fida es comes:
Ensem parenti trade; sed notum nece
Ensem paternâ. Tradis, an nati tenent
Cum regno et illum? Faciet, ubicunque est, opus.
Ibi sit; relinquo; natus hunc habeat meus,
Sed uterque. Flammas potius et vastum aggerem
Compone; in altos ipse me immittam rogos.
Haerebo ad ignes, funebrem escendens struem,
Pectusque solvam durum; et in cineres dabo
Hoc, quidquid in me vivit. — Ubi saevum est mare?
Duc, ubi sit altis prorutum saxis jugum,
Ubi curva rapidus ducat Ismenos vada!
Duc, ubi ferae sint, ubi fretum, ubi praeceps locus,
Si dux es! Illuc ire morituro placet,
Ubi sedit altâ rupe semifero dolos
Sphinx ore nectens. Dirige huc gressus pedum;
Hic siste patrem! Dira ne sedes vacet,
Monstrum repone majus! Hoc saxum insidens
Obscura nostrae verba fortunae loquar,
Quae nemo solvat. Quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, et Cadmi nemus
Serpente notum, sacra quo Dirce scatet,
Supplex adoras; quisquis Eurotan bibis,
Spartenque fratre nobilem gemino colis;
Quique Elin et Parnason et Boeotios
Colonus agros uberis tondes soli;
Adverte mentem: saeva Thebarum lues

Luctifica coecis verba committens modis,
Quid simile posuit? quid tam inextricabile?
Avi gener, patrisque rivalis sui,
Frater suorum liberûm, et fratrum parens.
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac sibi nepotes. Monstra quis tanta explicet?
Ego ipse, victae spolia qui Sphingis tuli,
Haerebo, fati tardus interpres mei. —
Quid perdis ultra verba? quid pectus ferum
Mollire tentas precibus? Hoc animo sedet,
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, et tenebras petere: nam sceleri haec meo
Parum alta nox est; Tartaro condi juvat,
Et si quid ultra Tartarum est. Tandem libet,
Quod olim oportet. Morte prohiberi haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapso vias
Cludes, et arctis colla laqueis inseri
Prohibebis? herbas, quae ferunt letum, auferes?
Quid ista tandem cura proficiet tua?
Ubique mors est. Optime hoc cavit deus.
Eripere vitam nemo non homini potest;
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.
Nil quaero: dextrâ noster et nudâ solet
Bene animus uti. Dextra, nunc toto impetu,
Toto dolore, viribus totis veni!
Non destino unum vulneri nostro locum:
Totus nocens sum: quâ voles, mortem exige!
Effringe corpus, corque tot scelerum capax
Evelle; totos viscerum nuda sinus!
Fractum incitatis ictibus guttur sonet,
Laceraeve fixis unguibus venae fluant.
Aut dirige iras, quo soles; haec vulnera
Rescissa multo sanguine ac tabo irriga;
Hâc extrahe animam, duram, inexpugnabilem!
Et tu, parens, ubicunque poenarum arbiter
Adstás mearum (non ego hoc tantum scelus

Ullâ expiari credidi poenâ satis
Unquam, nec istâ morte contentus fui,
Nec me redemi parte; membratim tibi
Volui perire), debitum tandem exige!
Nunc solvo poenas; tunc tibi inferias dedi.
Ades, atque inertem dexteram introrsus preme,
Magisque merge! timida tum parvo caput
Libavit haustu, vixque cupientes sequi
Eduxit oculos. Haeret etiam nunc mihi
Ille animus, haeret, cum recusantem manum
Pressere vultus. Audies verum, Oedipe:
Minus eruisti lumina audacter tua,
Quam praestitisti. Nunc manum cerebro indue;
Hâc parte mortem perage, quâ coepi mori!
ANT. Pauca, o parens magnanime, miserandae precor
Ut verba natae mente placatâ audias.
Non te ut reducam veteris ad speciem domûs,
Habitumque regni flore pollentem inclito,
Peto; ast ut iras, tempore aut ipsâ morâ
Fractas, remisso pectore ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga. Non est, ut putas, virtus, pater,
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere ac retro dare.
Qui fata proculcavit, ac vitae bona
Projecit atque abscidit, et casus suos
Oneravit ipse, cui deo nullo est opus,
Quare ille mortem cupiat, aut quare petat?
Utrumque timidi est. Nemo contemsit mori,
Qui concupivit; cujus haud ultra mala
Exire possunt, in loco tuto est situs.
Quis jam deorum (velle fac) quidquam potest
Malis tuis adjicere? Jam nec tu potes,

186. Fort.: tempore atque ipsâ morâ. Vel potius: temporum haud ipsâ morâ.

Nisi hoc, ut esse te putes dignum nece.
Non es, nec ulla pectus hoc culpa attigit.
Et hôc magis te, genitor, insontem voca,
Quod innocens es dîs quoque invitis. Quid est,
Quod te efferârit, quod novos subfixerit
Stimulos dolori? quid te in infernas agit
Sedes? quid ex his pellit? Ut careas die? —
Cares. — Ut altis nobilem muris domum
Patriamque fugias? — Patria tibi vivo perit. —
Gnatos fugis, matremque? — Ab aspectu omnium
Fortuna te submovit; et quidquid potest
Auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abstulit;
Regni tumultus, turba fortunae prior
Abscessit a te jussa. Quem, genitor, fugis?
OEDIP. Me fugio; fugio conscium scelerum omnium
Pectus; manumque hanc fugio et hoc coelum et deos;
Et dira fugio scelera, quae feci innocens.
Ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres,
Premo? has ego auras ore pestifero traho?
Ego laticis haustu satior, aut ullo fruor
Almae parentis munere? ego castam manum,
Nefandus, incestificus, exsecrabilis,
Attrecto? ego ullos aure concipio sonos,
Per quos parentis nomen aut nati audiam?
Utinam quidem rescindere has quirem vias,
Manibusque adactis omne, quâ voces meant,
Aditusque verbis tramite angusto patet,
Eruere possem, gnata! jam sensum tui,
Quae pars meorum es criminum, infelix pater
Fugissem. Inhaeret ac recrudescit nefas
Subinde; et aures ingerunt, quidquid mihi
Donastis oculi. Cur caput tenebris grave
Non mitto ad umbras Ditis aeternas? quid hic
Manes meos detineo? quid terram gravo?
Mixtusque Superis erro? quid restat mali?

229. Fort.: jam sensum ah! tui, etc.

Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingenî sollertis eximium decus
Periere: cuncta sors mihi infesta abstulit.
Lacrimae supererant; has quoque eripuit mihi. —
Absiste! nullas animus admittit preces,
Novamque poenam sceleribus quaerit parem.
Et esse par quae poterit? Infanti quoque
Decreta mors est. Fata quis tam tristia
Sortitus unquam? Videram nondum diem,
Uterique nondum solveram clusi moras:
Et jam timebar. Protinus quosdam editos
Nox occupavit, et novae luci abstulit;
Mors me antecessit. Aliquis intra viscera
Materna letum praecoquis fati tulit;
Sed numquid et peccavit? Abstrusum, abditum,
Dubiumque an essem, sceleris infandi reum
Deus egit. Illo teste damnavit parens,
Calidoque teneros transuit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum misit feris
Avibusque saevis, quas Cithaeron noxius
Cruore saepe regio tinctas alit.
Sed quem deus damnavit, abjecit pater,
Mors quoque refugit. Praestiti Delphis fidem:
Genitorem adortus impiâ stravi nece.
Hoc aliqua pietas redimet? — Occidi patrem;
Sed matrem amavi. Proloqui hymenaeum pudet
Taedasque nostras; has quoque invitum pati
Te coge poenas. Facinus ignotum, efferum,
Inusitatum effare, quod populi horreant,
Quod esse factum nulla non aetas neget,
Quod patricidam pudeat. In patrios toros
Tuli paterno sanguine adspersas manus,
Scelerisque pretium majus accepi scelus.
Leve est paternum facinus; in thalamos meos
Deducta mater, ne parum sceleris foret,

245. Fort.: At esse etc.

Foecunda. Nullum crimen hôc majus potest
Natura ferre. Si quod etiamnum est tamen:
Qui facere possint, dedimus. Abjeci necis
Pretium paternae sceptrum, et hoc iterum manus
Armavit aliis. Optime regni mei
Fatum ipse novi: nemo sine sacro feret
Illud cruore. Magna praesagit mala
Paternus animus. Jacta jam sunt semina
Cladis futurae: spernitur pacti fides;
Hic occupato cedere imperio negat;
Jus ille et icti foederis testes deos
Invocat, et Argos exul atque urbes movet
Grajas in arma. Non levis fessis venit
Ruina Thebis: tela, flammae, vulnera
Instant, et istis si quod est majus malum:
Ut esse genitos nemo non ex me sciat.
ANT. Si nulla, genitor, causa vivendi tibi est,
Haec una abunde est, ut pater gnatos regas
Graviter furentes. Tu impii belli minas
Avertere unus, tuque vecordes potes
Inhibere juvenes, civibus pacem dare,
Patriae quietem, foederi laeso fidem.
Vitam tibi ipse si negas, multis negas.
OEDIP. Illis parentis ullus aut aequi est amor,
Avidis cruoris, imperi, armorum, doli,
Diris, scelestis, breviter ut dicam: meis?
Certant in omne facinus, et pensi nihil
Ducunt, ubi illos ira praecipites agat;
Nefasque nullum, per nefas nati, putant.
Non patris illos tangit adflicti pudor,
Non patria; regno pectus attonitum furit.
Scio, quo ferantur, quanta moliri parent;
Ideoque leti quaero maturam viam,
Morique propero, dum in domo nemo est meâ
Nocentior me. Gnata, quid genubus meis
Fles advoluta? quid prece indomitum domas?

Unum hoc habet Fortuna, quo possim capi,
Invictus aliis: sola tu adfectus potes
Mollire duros, sola pietatem in domo
Docere nostrâ. Nil grave aut miserum est mihi,
Quod te sciam voluisse. Tu tantum impera:
Hic Oedipus Aegaea tranabit freta
Jubente te; flammasque, quas Siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos,
Excipiet ore; seque serpenti offeret,
Quae saeva furto nemoris Herculeo furit;
Jubente te praebebit alitibus jecur;
Jubente te vel vivet. . . . .

---

# ACTUS SECUNDUS.

## NUNTIUS, OEDIPUS, ANTIGONE.

Nuntius, a Thebanis missus, Oedipum obsecrat, ut rediens componat filios. Abnuit Oedipus, et in silvas se recipiens filiis diras imprecatur.

NUNT. Exemplum in ingens regiâ stirpe edite, i. s.
Thebae, paventes arma fraterna, invocant,
Rogantque tectis arceas patriis faces.
Non sunt minae; jam propius accessit malum:
Nam regna repetens frater et pactas vices
In bella cunctos Graeciae populos agit;
Septena muros castra Thebanos premunt.
Succurre; prohibe pariter et bellum et nefas!
OEDIP. Ego ille sum, qui scelera committi vetem,
Et abstinere sanguine a caro manus
Doceam? magister juris et amoris pii
Ego sum? Meorum facinorum exempla adpetunt;
Me nunc sequuntur. Laudo, et agnosco libens.
Exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
Agite, o propago cara, generosam indolem

Probate factis; gloriam ac laudes meas
Superate, et aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc juvet vixisse! Facietis, scio:
Sic estis orti. Scelere defungi haud levi
Aut usitato tanta nobilitas potest.
Ferte arma! facibus petite penetrales deos,
Frugemque flammâ metite natalis soli!
Miscete cuncta, rapite in exitium omnia!
Disjicite passim moenia, in planum date!
Templis deos obruite; maculatos lares
Conflate! ab imo tota considat domus!
Urbs concremetur! primus a thalamis meis
Incipiat ignis! ANT. Mitte violentum impetum
Doloris, ac te publica exorent mala,
Auctorque placidae liberis pacis veni.
OEDIP. Vides modestae deditum menti senem,
Placidaeque amantem pacis ad partes vocas?
Tumet animus irâ, fervet immensum dolor,
Majusque, quam quod casus et juvenum furor
Conatur, aliquid cupio. Non satis est adhuc
Civile bellum: frater in fratrem ruat;
Nec hoc sat est: quod debet, ut fiat nefas
De more nostro, quod meos deceat toros:
Date arma patri! — Nemo me ex his eruat
Silvis: latebo rupis exesae cavo,
Aut sepe densâ corpus abstrusum tegam.
Hinc aucupabor verba rumoris vagi,
Et saeva fratrum bella, quod possum, audiam.

* * *

342. Fort.: Miscete junctim, rap. in exitium, omnia!

347. Fort.: I. ignis! NUNT. Mitte viol. imp. Doloris! ANT. At te etc.

358. Fort.: Dante arma patre.

# ACTUS TERTIUS.

## Ἀκέφαλος.

### JOCASTA, ANTIGONE, NUNTIUS.

*Jocasta, audito in procinctu stare utramque aciem, propere fertur, filios (si fieri possit) in gratiam reductura.*

JOC. Felix Agaue: facinus horrendum manu i. s.
Quâ fecerat, gestavit et spolium tulit
Cruenta nati Maenas in partes dati.
Fecit scelus, sed misera non ultra suum
Scelus hoc cucurrit. Hoc leve est, quod sum nocens;
Feci nocentes. Hoc quoque etiamnum leve est;
Peperi nocentes. Deerat aerumnis meis,
Ut et hostem amarem. Bruma ter posuit nives,
Et tertiâ jam falce decubuit Ceres,
Ut exul errat gnatus et patriâ caret,
Profugusque regum auxilia Grajorum rogat.
Gener est Adrasti, cujus imperio mare,
Quod cingit Isthmos, regitur; hic gentes suas
Septemque secum regna ad auxilium trahit
Genero. Quid optem, quidve decernam, haud scio.
Regnum reposcit. Causa repetentis bona est;
Mala sic petentis. Vota quae faciam parens?
Utrimque natum video: nil possum pie
Pietate salvâ facere; quodcunque alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed utrumque quamvis diligam adfectu pari:
Quo causa melior sorsque deterior trahit,
Inclinat animus, semper infirmo favens.
Miseros magis fortuna conciliat suis.
NUNT. Regina, dum tu flebiles questus cies,
Terisque tempus salva, nudatis adest

363. Fort.: F. A.: f. h. manus Quum fecerat, cessavit, et spol. etc.

Acies in armis; aera jam bellum cient,
Aquilâque pugnam signifer motâ vocat.
Septena reges bella dispositi parant;
Animo pari Cadméa progenies subit;
Cursu citato miles hinc illinc ruit.
Vide, ut atra nubes pulvere abscondat diem,
Fumoque similes campus in coelum erigat
Nebulas, equestri fracta quas tellus pede
Submittit; et, si vera metuentes vident,
Infesta fulgent signa; subrectis adest
Frons prima telis; aureâ clarum notâ
Nomen ducum vexilla praescriptum ferunt.
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus,
Et impia arma matris opposítu impedi!
ANT. Perge, o parens, et concitá celerem gradum!
Compesce tela; fratribus ferrum excute;
Nudum inter enses pectus infestos tene;
Aut solve bellum, mater, aut prima excipe!
JOC. Ibo, ibo, et armis obvium opponam caput;
Stabo inter arma. Petere qui fratrem volet,
Petat ante matrem. Tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre; qui non est pius,
Incipiat a me. Fervidos juvenes anus
Tenebo. Nullum teste me fiet nefas;
Aut si aliquod et me teste committi potest,
Non fiet unum. ANT. Signa collatis micant
Vicina signis; clamor hostilis fremit.
Scelus in propinquo est: occupa, mater, preces.
Et ecce! motos fletibus credas meis:
Sic agmen armis segne compositis venit.
NUNT. Procedit acies tarda, sed properant duces.
JOC. Quis me procellae turbine insano vehens
Volucer per auras ventus aetherias aget?
Quae Sphinx, vel atrâ nube subtexens diem

396. equestri. Leg.: equino.

397. Fort.: Submittit! en (si vera m. v.) Infesta etc.

Stymphalis, avidis praepetem pennis feret?
Aut quae per altas aëris rapiet vias
Harpyia, saevi regis observans famem,
Et inter acies proiciet raptam duas?
NUNT. Vadit furenti similis, aut etiam furit!
Sagitta qualis Parthica velox manu
Excussa fertur; qualis insano ratis
Premente vento rapitur; aut qualis cadit
Delapsa coelo stella, cum stringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam:
Attonita cursu fugit, et binas statim
Diduxit acies. Victa maternâ prece
Haesere bella, jamque in alternam necem
Illinc et hinc miscere cupientes manum,
Vibrata dextrâ tela suspensâ tenent.
Paci favetur; omnium ferrum jacet
Cessatve tectum, vibrat in fratrum manu.
Laniata canas mater ostendit comas;
Rogat abnuentes; irrigat fletu genas.
Negare matri, qui diu dubitat, potest.

# ACTUS QUARTUS.

## JOCASTA, POLYNICES, ETEOCLES.

Jocasta utrumque filium serio precatur, ut simultate positâ in gratiam et amorem redire velint. Eteocles impie respondet.

JOC. In me arma et ignes vertite! in me omnis ruat i. s.
Unam juventus, quaeque ab Inachio venit
Animosa muro, quaeque Thebanâ ferox
Descendit arce! civis atque hostis simul
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro!
Haec membra passim spargite ac divellite:
Ego utrumque peperi. Ponitis ferrum ocius?

An dico, et ex quo? Dexteras matri date!
Date, dum piae sunt! Error invitos adhuc
Fecit nocentes; omne Fortunae fuit
Peccantis in nos crimen: hoc primum nefas
Inter scientes geritur. In vestrâ manu est,
Utrum velitis. Sancta si pietas placet:
Donate matrem pace; si placuit scelus:
Majus paratum est: media se opponit parens.
Proïnde bellum tollite, aut belli moram.
Sollicita nunc cui mater alternâ prece
Verba admovebo? misera quem amplectar prius?
In utramque partem ducor adfectu pari.
Hic abfuit; sed pacta si fratrum valent,
Nunc alter aberit. Ergo jam nunquam duos,
Nisi sic, videbo? Junge complexus prior
Tu, qui, labores totque perpessus mala,
Longo parentem fessus exilio vides!
Accede propius; clude vaginâ impium
Ensem, et trementem jamque cupientem excuti
Hastam solo defige! Maternum tuo
Coïre pectus pectori clypeus vetat:
Hunc quoque repone. Vinculo frontem exue,
Tegimenque capitis triste belligeri leva,
Et ora matri redde! Quo vultus refers,
Acieque pavidâ fratris observas manum?
Adfusa totum corpus amplexu tegam;
Tuo cruori per meum fiet via.
Quid dubius haeres? an times matris fidem?
POL. Timeo: nihil jam jura naturae valent.
Post ista fratrum exempla ne matri quidem
Fides habenda est. JOC. Redde jam capulo manum,
Adstringe galeam, laeva se clypeo ingerat;
Dum frater exarmatur, armatus mane.
Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior.
Si pacis odium est, furere si bello placet:

450. Fort.: — ocius, Ac (dico, ut aequum est) d. m. datis?

Inducias te mater exiguas rogat,
Ferat ut reverso post fugam gnato oscula
Vel prima, vel suprema. Dum pacem peto,
Audite inermes: ille te, tu illum times;
Ego utrumque, sed pro utroque. Quid strictum abnuis
Recondere ensem? Quâlibet gaude morâ:
Id gerere bellum cupitis, in quo est optimum
Vinci. Vereris fratris infesti dolos?
Quoties necesse est fallere aut falli a suis,
Patiare potius ipse, quam facias, scelus.
Sed ne verere: mater insidias et hinc
Et rursus illinc abiget. Exoro, an patri
Invideo vestro? veni, ut arcerem nefas,
An ut viderem propius? — Hic ferrum abdidit,
Reclinis hastam, et arma defixa incubans.
Ad te preces nunc, gnate, maternas feram;
Sed ante lacrimas. Teneo longo tempore
Petita votis ora. Te profugum solo
Patrio penates regis externi tegunt:
Te maria tot diversa, tot casus vagum
Egere: non te duxit in thalamos parens
Comitata primos, nec suâ festas manu
Ornavit aedes, nec suâ laetas faces
Vittâ revinxit; dona non auro graves
Gazas soces, non arva, non urbes dedit:
Dotale bellum est. Hostium es factus gener,
Patriâ remotus, hospes alieni laris,
Externa consecutus, expulsus tuis,
Sine crimine exul. Ne quid e fatis tibi
Deesset paternis, hoc quoque ex illis habes,
Errasse thalamis. Gnate, post multos mihi
Remisse soles; gnate suspensae metus
Et spes parentis, cujus adspectum deos
Semper rogavi; cum tuus reditus mihi
Tantum esset erepturus adventu tuo,

504. Leg.: Te amara tot diversa.

Quantum daturus: „Quando pro te desinam,"
Dixi, „timere?" Dixit irridens deus:
Ipsum timebis. Nempe nisi bellum foret,
Ego te carerem; nempe si tu non fores,
Bello carerem. Triste conspectûs datur
Pretium tui durumque; sed matri placet.
Hinc modo recedant arma, dum nullum nefas
Mars saevus audet. Hoc quoque est magnum nefas,
Tam prope fuisse. Stupeo et exsanguis tremo,
Cum stare fratres hinc et hinc video duos
Sceleris sub ictu; membra quassantur metu.
Quam paene mater majus adspexi nefas,
Quam quod miser videre non potuit pater!
Licet timore facinoris tanti vacem,
Videamque jam nil tale, sum infelix tamen,
Quod paene vidi. Per decem mensûm graves
Uteri labores, perque pietatem inclitae
Precor sororis, et per irati sibi
Genas parentis, scelere quas nullo nocens,
Erroris a se dira supplicia exigens,
Hausit: nefandas moenibus patriis faces
Averte; signa bellici retro agminis
Flecte! ut recedas, magna pars sceleris tamen
Vestri peracta est: vidit hostili grege
Campos repleri patria; fulgentes procul
Armis catervas vidit. Equitatu levi
Cadmea frangi prata, et excelsos rotis
Volitare proceres; igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quae petunt nostras domos;
Fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit)
In se ruentes — totus hoc exercitus,
Hoc utrinque populus omnis, hoc vidit soror,
Genitrixque vidi: nam pater debet sibi,
Quod ista non spectavit. Occurrat tibi
Nunc Oedipus, quo judice erroris quoque
Poenae petuntur. Ne, precor, ferro erue

Patriam ac penates; neve, quas regere expetis,
Everte Thebas! Quis tenet mentem furor?
Patriam petendo perdis? ut fiat tua,
Vis esse nullam? Quin tuae causae nocet
Ipsum hoc, quod armis uris infestis solum,
Segetesque adultas sternis, et totos fugam
Edis per agros: nemo sic vastat sua.
Quae corripi igne, quae meti gladio jubes,
Aliena credis? Rex sit e vobis uter,
Manente regno quaerite. Haec telis petes
Flammisque tecta? poteris has Amphionis
Quassare moles, nulla quas struxit manus,
Stridente tardum machinâ ducens onus;
Sed convocatus vocis et citharae sono
Per se ipse turres venit in summas lapis?
Haec saxa franges victor? hinc spolia auferes,
Vinctosque duces patris aequales tui?
Matres ab ipso conjugum raptas sinu
Saevus catenâ miles impositâ trahet?
Ut adulta virgo mixta captivo gregi
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
An et ipsa palmas vincta post tergum datas
Mater triumphi praeda fraterni vehar?
Potesne cives laetus exitio datos
Videre passim? moenibus caris potes
Hostem admovere? sanguine et flammâ potes
Implere Thebas? Tam ferum et durum geris
Saevumque in iras pectus, et nondum imperas:
Quid sceptra facient? Pone vesanos, precor,
Animi tumores, teque pietati refer!
POL. Ut profugus errem semper? ut patriâ arcear,
Opemque gentis hospes externae sequar?
Quid paterer aliud, si fefellissem fidem,
Si pejerassem? Fraudis alienae dabo
Poenas, at ille praemium scelerum feret?
Jubes abire: matris imperio obsequor.

Da, quo revertar. Regiâ frater meâ
Habitet superbus; parva me abscondat casa.
Hanc date repulso! Liceat exiguo lare
Pensare regnum! Conjugi donum datus,
Arbitria thalami dura felicis feram,
Humilisque socerum lixa dominantem sequar?
In servitutem cadere de regno grave est.
Joc. Si regna quaeris, nec potest sceptro manus
Vacare saevo: multa, quae possunt peti
In orbe toto, quaelibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolos attollit juga,
Quâ lata terris spatia frugiferis jacent,
Et quâ trahens opulenta Pactolus vada
Inundat auro rura. Nec laetis minus
Maeandros arvis flectit errantes aquas;
Rapidusque campos fertiles Hebrus secat.
Hinc grata Cereri Gargara et dives solum,
Quod Xanthus ambit nivibus Idaeis tumens;
Hinc, quâ relinquit nomen, Ionii maris
Fauces Abydo Sestos oppositâ premit.
Aut, quâ latus jam propius Orienti dedit,
Tutamque crebris portubus Lyciam videt:
Hâc regna ferro quaere; in hos populos ferat
Socer arma fortis; has paret sceptro tuo
Tradatque gentes. Hoc adhuc regimen puta
Tenere patrem. Melius exilium est tibi,
Quam reditus iste: crimine alieno exulas,
Tuo redibis. Melius istis viribus
Nova regna nullo scelere maculata adpetes.
Quin ipse frater, arma comitatus tua,
Tibi militabit. Vade et id bellum gere,
In quo pater materque pugnanti tibi
Favere possint! regna cum scelere omnibus
Sunt exiliis graviora. Nunc belli mala

594. Fort.: repulsis.
607. Hebrus. Fort.: Hermus.

Propone, dubias Martis incerti vices:
Licet omne tecum Graeciae robur trahas;
Licet arma longe miles ac late explicet;
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.
Quodcunque Mars decrevit: exaequat duos,
Licet impares sint, gladius, et spes et metus
Sors coeca versat. Praemium incertum petis,
Certum scelus. Favisse fac votis deos
Omnes tuis: cessere et aversi fugam
Petiere cives; clade funestâ jacent;
Obtexit agros miles. Exsultes licet,
Victorque fratris spolia dejecti geras:
Frangenda palma est. Quale tu hoc bellum putas,
In quo execrandum victor admittit nefas,
Si gaudet? Hunc, quem vincere infelix cupis,
Cum viceris, lugebis. Infaustas, age,
Dimitte pugnas; libera patriam metu,
Luctu parentes. POL. Sceleris et fraudis suae
Poenas nefandus frater ut nullas ferat?
JOC. Ne metue: poenas, et quidem solvet graves:
Regnabit. POL. Haecne est poena? JOC. Si dubitas, avo
Patrique crede: Cadmus hoc dicet tibi,
Cadmique proles. Sceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere; nec quisquam fide
Ruptâ tenebat illa. Jam numeres licet
Fratrem inter istos. POL. Numero. ETE. At est tanti mihi
Cum regibus jacere. Te turbae exulum
Adscribo. POL. Regna, dummodo invisus tuis!
ETE. Regnare non vult, esse qui invisus timet.
Simul ista mundi conditor posuit deus,
Odium atque regnum. Regis hoc magni reor,
Odia ista premere. Multa dominantem vetat
Amor suorum; plus in iratos licet.
POL. Qui vult amari, languidâ regnet manu.
Invisa nunquam imperia retinentur diu.

ETE. Praecepta melius imperî reges dabunt;
Exilia tu dispone. Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare.
Imperia pretio quolibet constant bene.

* * *

*Deest, et magna pars hujus Tragoediae intercidit.*

# F. H. BOTHII,

D. PHIL. ET AA. LL. M., ARCHIDUCALI, QUAE JENAE EST,
SOCIETATI LAT., ITEM TEUTONICAE BEROLINENSIUM,
HON. C. ADSCRIPTI,

# ANNOTATIONUM
IN
# L. ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAS

## VOLUMEN PRIMUM,
SIVE ANNOTATIONES
IN HERCULEM FURENTEM, THYESTEM ET PHOENISSAS.

# ANNOTATIONES

## IN L. ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAS.

## ANNOTATIONES

### IN HERCULEM FURENTEM.

Vers. 12. Etiam editio princeps illa, quam, hodie vulgo incognitam, Parisiis, incerto anno, imprimendam curavit Carolus Fernandus formâ non maximâ, itemque ceterae antiquae: *Fera coma hinc exterret*, quemadmodum codd. Lipsii, Palatini, et in rasura ipse Florentinus. *Διττογραφίαν* puto aevi longinquitate depravatam, quae initio haec fortasse fuit: *Fero acinace h. e.* etc.: nam de coma Orionis deos terrente nugae; id quod sensit Gronovius. Scatent autem *διττογραφίαις* hae tragoediae.

21. Urbinas liber apud Torkillium Baden., editorem hujus fabulae doctissimum, *Escendat*, sicut Florent.

30. Fernandi item editio et Cajetani: *Quae bella?* Posteriorem certe novisse Raphelengium, non est quod dubitemus. Fernandi etiam: *horrendum*. An poëta reliquerat, oratione variatâ?

— Tellus quidquid horrendum creat
Inimica, quidquid pontus aut aër tulit
Terribile etc.

49. Vulgo: *perit*. Sententiâ loci requirente excudi jussi *perît*, id est periit, sicut itidem Phoen. 210. Herc. Oet. 1681, 1865, *abît* 1151 et Herc. Oet. 1616, *petî* Herc. Oet. 1843, Med. 248, *redît* infra 612, Herc. Oet. 48, 795 (ubi edit. Ascens. *redi*), *ingenî* et *imperî* Phoen. 238, 296, *exiliîs* Phoen. 625, *suppliciîs* Oedip. 944, quibus locis quae vulgo leguntur, abiit, petii, redii, ingenii, imperii, exiliis, suppliciis, metro refragantur. cf. Stat. Theb. VIII, 107, ubi *inî* pro ini, sive inii; ad quam faciem et ibidem 332 *coit* pro coiit accipiendum putem. Quomodo etiam Lucan. 8, 320 sqq. non invitus legerim *abît* et *redît* pro vulgatis *abit* et *redit*. Vide de hujusmodi contractionibus notata nobis ad Plauti Amph. prol. 74, et cl. Statii Theb. 1, 62, 69.

58. *superbificâ*. Similia infra *monstri terrifici* 83., *luctificâ manu* 102., *ore saxifico* 902.

62. Ed. Fernandi, item Ascensiana, *tetra.* Primus, ni fallor, Aldus: *terna.* Cf. Delr.

68. *Expenso* etiam edd. Fern. et Cajet. Sed assentior Gronovio.

83. Dignus qui adscribatur Delrio laudatus et Schrödero, locus Angeli Politiani Miscellaneorum capite 17., Gruteri Lamp. vol. 1. p. 30. Sic igitur Italus doctissimus: „In tragoedia Senecae, quae Hercules furens inscribitur, hic senariolus legitur:

Sublimis alias luna concipiat feras.

*Alias* enim codex habet vetustus ex publicâ Mediceae familiae bibliothecâ, non *altas*, ut in vulgatis exemplaribus (*etiam ed. Fern.*). Cujus intellectum loci, non temere aliunde quam ex Achille (*Statio*) desumseris, quem auctorem Julius quoque Firmicus in Matheseon libris et citat et laudat. Is igitur in commentariis Arateïs, cum de luna verba facit, ita scribit ad verbum: εἶναι δὲ ἐπ' αὐτῆς οἴκησιν ἄλλην ποταμούς τε καὶ ὅσα ἐπὶ γῆς, καὶ τὸν λέοντα Νεμεαῖον ἐκεῖθεν πεσεῖν μυθολογοῦσι."

100. *citae.* Ita Flor., non *incitae,* ut vulgo. Vid. Gron.

107. *animum.* Sic plerique codd. Palatt., a Commelino olim versati, item Moguntiacus apud Delrium, Ultrajectinus, cujus varias lectiones in hac fabulâ, Hippolyto et Octaviâ, a Nicol. Bondtio descriptas, nobiscum, quâ solet, liberalitate communicavit nobilissimus Dietzius, denique septem Torkillii Badenii; ex impressis autem Fernandi a me inspectus. *Animo* quidam alii Palatt., Florent. et vulgus editionum. Gronovius: „Subscriberem," inquit, „libris, qui offerunt *animum*, si pateretur Florentinus. Sic alibi *moesta vultus, membra remissae, mota caput*, Megara *parvum comitata gregem.* Sic Silio *excussus mentem, mutata mentem*, et similia." Potuitne superstitiosius? Et elegantiâ et auctoritatibus vincit *animum.*

117. Ald.: *hoc* prosit.

127. Fernandi quoque editio *novata.*

Jacob. Gronovius in MS. Dietziano: „*Nox victa vagos contrahit ignes: luce renata Cogit nitidum Phosphoros agmen.*] Quid melius? utrum ad lucem renatam cogi a Phosphoro agmen, an noctem luce renata contrahere ignes suos? Utique posterius, et ideo distinguendum: N. v. v. c. ignes luce renata; cogit etc."

132. *caeruleis evectus equis Titan.* Quid Solis equis cum colore caeruleo? Caerula vada, caeruleus amnis, caerula pro mari, haec usitata, quia vera. Recte igitur duo MSS. Gronovii et Grotius: *aquis*, idque recipiendum in ordinem esse existimavi.

133. *summa.* Cod. Mogunt. praestat *summo,* Nic. Heinsio, cujus emendationes s. conjecturas ex Adversariis notisque ejus ad auctores bonas excerpere animus est, et eas paucas, nam plerasque omittendas duxi, ad Claudiani Gigantom. 66 teste. Utrumque bonum est.

161. *spes et in agris.* Ferri haec non possunt propterea, quod Spes et Metus per urbes tantum errare dicuntur in sequentibus. Haud scio an legendum potius sit *pes* et in agris, id est *ἐπίπεδον*, et, cum Horatio ut loquar, modus agri non ita magnus. Noster de Tranquillitate animi cap. 10.: „quamvis angustum *pedem* dispositio fecit habitabilem." Adhaesisse huic vocabulo videtur τὸ s in *domus*. Lenior certe haec medicina aliis, quas loco adhibuere viri docti. Nam Melisseï lectio codicis, quamvis melioris duorum a Lipsio usurpatorum, haec *spes jam magnis*, omisso sequente versu, correctorem sapit.

166. Edd. quoque Fernandi et Ascens. *beatas.* Vid. Gron.

171. Ed. Fernandi: volvit. Vidd. interpp.

173. Concinniora haec erunt, si ita digerantur:

Jurgia vendens,
Improbus iras et verba locat.
Novit paucos secura quies,
Qui, velocis memores aevi,
Tempora nunquam reditura tenent.
Dum fata sinunt, vivite laeti:
Properat cursu vita citato,
Volucrique die
Rota praecipitis vertitur anni.

Similiter 194. et proxime sequentes versus ita dividam:

Garrula laudet,
Coeloque parem tollat et astris;
Alius curru sublimis eat:
Me mea tellus
Lare secreto tutoque tegat.

Cf. infra 1135, Thyest. 832, Agam. 314, Octav. 27, 200 seqq. Et sic passim sententiae metris accommodabuntur in anapaesticis harum fabularum, sed in Notis plerumque potius quam in ipso ordine carminum, ne alias quis forte editiones conferens versuum mutato numero turbetur.

179. *Die* scripsi pro vulgato *die*, id est Diei, τῇ Ἡμέρᾳ, ad quam faciem est illud apud Horatium *Prodiderit commissa fide.* Rotam anni vertere fingitur alata dea; quem imaginem non capiens doctissimus Markland. ad Stat. Silv. 5, 1, 17. frustra legendum conjicit *vol. pede* vel *v. vice.*

211. *meat* etiam Aldina; quod propterea moneo, ne quis vel Gruterum audiat, omnes MSS. et vett. codd. habere *exeat* affirmantem, vel Florentino libro, in quo est *meat*, plus justo tribuat.

212. Ineleganter composita in vulgatis *datur*, jube*tur*, sequi*tur*. Quare accivi Florentini lectionem *vacat*, quam N. Heinsius ad Ovid. Trist. 4, 4, 77. probaverat et illustraverat.

225. Sic Flor. Vulgo:

Gemuit lacertis pressus Herculeis leo,

verbis tribus continuis s littera finitis, quod invenustum.

232. *Tartessii.* Verbo monere juvat, cum in Mediceo cod. reperisset *Cartesii* Nic. Heinsius, inde eum fecisse *Carpesii*, ad Ovid. Metam. 14, 16. et ad Claudian. Epith. Honor. 161, ubi codd. *Carchesia*, *cartesia*, *Carpesia*: confusione sollenni.

233. Jacob. Gronov. in schedis Dietz.: „*Peremtus*, *acta est praeda ab Occasu ultimo.*] Non aliter potest explicari, quam esse epexegesin. Unde sequitur, Geryonem ab Hercule traductum; quod dixit nemo. Immo leg. Peremptus, acta et p.“

238. *Latam.* Vulgo:

Utrimque montes solvit abrupto objice,
Et jam ruenti fecit Oceano viam.

Commelini omnes: Etiam ruenti. Sed neque *Et jam* vel *Etiam* hujus loci, et ipsi nimirum montes obex, quo mare claudebatur. Cf. infra 287. Ergo legendum *Latam* cum Lips. et Flor., locusque ita interpungendus, ut in hac editione et Torkillii Badenii factum est. Quod conjunctionem desiderari posse arbitratus Gronovius haud nolit scribi *ac rupto*, fallitur: nam asyndeto gaudet Noster.

248. *Stabulis.* Ita MS. Cruserianus apud Is. Pontanum. Octav. 1.

Jam vaga coelo sidera fulgens
Aurora fugat.

Qui sunt in vulgatâ lectione hac

Nec ad omne clarum facinus audaces manus
*Stabuli* fugavit turpis *Augiae* labor,

duplices genitivi ab elegantiâ Senecae abhorrent; neque opus commento Gronoviano *Stabuli* f. t. *Elei* l., quamvis Fernandi quoque et Cajetani edd. praeferant, quod in MSS. omnibus legitur, *Augei*.

257. *Decidere* Varsoviensis liber apud Torkill. Bad., verbo relato ad sequentia.

268. Nescio, in quibus aliis codd. vel scriptis vel impressis *ciuis atque Amphionis* legi dicat Dan. Heinsius; sed ita certe editio Ascensiana. Grnterus infra ad 664.: „Notum,“ inquit, „quam sint figurâ similes literae s et t utique scripturâ Longobardicâ.“ Vel igitur haec similitudo ansam corruptionis praebuerit; vel exaratum fuerit scripturâ continuâ *ciuisatque* pro *ciuitasque*, t et s litteris forte inter se commutatis, quomodo *tandem* pro *dantem* Thy. 416 in vett. edd., *telum* pro *letum* Herc. Oet. 976, et apud Nasonem Met.

13, 241. *mibilus* pro *millibus*, 14, 95. *remissas* pro *resimas*: vidd. Vindiciae Ovidd. nostrae ad Met. 15, 364, collatis infra dictis ad 571, 741. Ceterum Fernandi et Cajet. edd.: *proles atque ophionius civis;* Ald.: *ciuis atque Ophionius.* Cf., si tanti est, Raphel. Commel. Delr.

269. Fern.: recidistis. Caj.: reced.

299. Abruptiora haec, ut fraudem librariorum suspicatus legendum putem: Tum tibi, deorum etc. *Tum* particulae compendio a sequente simili syllabâ forte intercepto, nescio quis versui opitulaturus fecerit Tibi, o deorum etc. Vel sic interpungendum: — faces Tum. Restitutas e. q. s., et similiter infra 365. bella tum; vastis etc. Duri aliquid, fateor, atque insoliti haec ratio habet; sed ab utroque minime Hic abhorret, quemadmodum fere serioris aevi scriptores, quamvis ingeniosi, solent, dum quaerunt, quibus obtusae hominum aures capiantur

306. *tuo.* Sic Flor., probante Gron., itemque Traject. apud Schröderum. Recte Jacob. Gronovius in schedis Dietz.: „Non modo tuos" [quae est vulgata lectio], „sed Thebanos omnes. Praestat Manuscriptorum *tuo*." Infra 995.: Ceteram prolem eruam *Omnes*que latebris: (nam sic legendum procul dubio est); et 1167.: Ruat ira in *omnes*.

315. Jacobus Gron. in schedis Dietz.: „Flor.: *moveri.* Plane *amoveri* idem est quod *tolli*. At alterum est molliri." Legitur autem vulgo *amoveri*, et in edit. Fern. *admoveri*, errore tralaticio.

341. Gruterus per interrogationem: *Rapta sed trepidâ manu sceptra obtinentur?* ut ad haec respondeatur verbis *Omnis in ferro est salus* et sequentibus. Neque improbo eam rationem utique sustentandae vulgatae lectionis, nisi quod adhuc non poenitet conjecturae, quae olim Senecâ non indigna videbatur, hujus meae: *Rapta sed rapidâ manu sceptra obtinentur.* Continue scriptum Raptasetrapida (nam *set* fere pro *sed* librarii antiqui) degenerare facile potuit. Vel legendum: R. *nec* trepida etc., cum persimiles sint n r s, itemque c et t, litterae in MSS., nec semel istae voculae sibi invicem offecerint; qua de re vidd. Constantius Fanensis et interpp. ad Ovidii Met. 13, 507.

353. Commelinus: „MSS.," inquit, „vetustiores: *posse ad invidiam pati.* ita etiam Interpres vetus." Item Delriani MSS. Burdigal. atque Eguian. et Alb. Eibius in Margaritâ poëticâ. Id est: posse contra invidiam se sustinere, καρτερεῖν. Vid. Gron. ad Thyest. 470. et Herc. Oet. 1524., ubi monet, verbum *pati* hac significatione valde amatum Annaeis esse. Sordet prae hac lectione recentiorum librorum *posse te invidiam pati;* cumque in MSS. Mogunt. apud Delr., item edd. Fernandi, Cajetani et Ascensii, sit *Ars prima regni est posse invi-*

*diam pati* exeluso *te:* rariore potestate usurpatam *ad* praepositionem expunctam a sciolo esse et hiantem versum ita sartum puto.

354. Fernand. et Cajet. *sors.*

362. *gerant.* Sic Flor. cum Lipsiano, et ex impressis vetustioribus Ascens. et Ald.: nam Fernandi et Herbip. et tres Venetae edd. et Eibius: agent. Quidni in hoc quoque, sicut in aliis passim, meliorum potius quam plurimorum librorum sequamur auctoritatem?

370. *Sociemur animis.* Sic Flor. Longe hoc elegantius vulgato *Sociemus animos.*

383. *illo.* Sic item Flor., non *isto,* ut vulgati libri, quo recepto s litterae paulo frequentioris hoc loco minus est.

385. Fernandi quoque ed. et Aldi: *victor.* Vid. Delrius.

390. Eleganter Grotius ad marginem: *superbo,* id est nobili seu magnifico, quo verbo simul celeberrima artis monumenta Nioben exhibentia indicasse tragoedum puto. Profecto verum Senecam spirat *superbus luctus.* Addo, etiam versum jam esse τραγικώτερον, cum vulgo primo et tertio simul loco immissis iambis, quibus locis spondei regnant in hoc carminum genere, levior propemodum sit quam pro cothurno. Gronovius cum, verba *Tantalis parens* quam vim habeant, nisi adjungas *superba,* parum se videre ait, fugit eum ratio.

393. Illyrica. Recte Gronovius: „Scribe *Illyria,* vel propter κακέμφατον. Frequens librorum menda."

434. Obici. Vid. ad Phoen. 426.

452. MS. Ultraject., cujus varias lectiones beneficio nobilissimi Dietsii adhibere Nostro licuit: *Ast non per omnes* etc.

453. Codd. quidam Raphelengii, item Flor. et Ultraject.: *Num* monstra etc. probat Broukhus. ad Prop. II, 23, 90.; sed in Ultrajectino adscriptum *Non.* Praeterea Flor. *saeva,* numero minus tragico: vid. supra ad 390. Piersono Verisim. II, 10. p. 254. placebat: Non monstra, saevas Phoebus aut domuit feras.

474. Ita Flor. Vulgo *Vibrasse,* quod τῷ *Sparsisse* accommodatum in superioribus. Sed variare orationem licuit scriptori, et salvo metro quotidianum sermonem usurpare in dialogo.

477. Ultraject. quoque in margine: *hoc teutantes.* Vid. Gron.

497. *vestro.* Sic Flor., et recte. Singularis numerus pro plurali usurpatus, sicut passim. Vulgata lectio N. s. nostro f. c. d. vix intelligatur. Gronovius:

Huic solita vestris fata conjugio date.

498. Bene Gron.: „*Cruentae* et *sanguine infectae* quid differunt?" Conjicit itaque legendum esse *cruenti regis.* Sed ne *cruentus* quidem *rex* Aegyptus placet juxta *sanguine infectas,* i. e. itidem cruentas, *filias.* Hanc Gronovii tamen conjecturam refutavit Jortinus Ephemerid. brit. Tom. 18. p. 75. Vid. Schraderi Emendatt. c. 13.

p. 252. Equidem malim propemodum, quod jam non memini an Nicolao pridem Heinsio et Badenio in mentem venerit: nam eorum animadversiones nunc non sunt ad manum; malim igitur: *Nunc, nunc ruenti, regis Aegypti nurus, Adeste!* id est: adeste mihi pereunti, vel, si mavis, in terram prae moerore procumbenti, velut labare dicitur Andromache Tro. 624. Infra 1046:

Flexo genu jam totus *ad terram ruit.*

Phoeniss. 355: frater in fratrem *ruat*. Oedip. 52:

Nec ulla pars immunis *exitio vacat*,
Sed omnis aetas pariter et sexus *ruit*.

C littera voci adhaeserit ex praecedente, quo vitio loco suo motarum litterarum vel syllabarum nihil frequentius in libris. Attius Decio ap. Non. v. sanguen:

Vim Gallicam obduc contra in acie exercitum:
Vae, patrium hostili fusum sanguen sanguine!

ubi vulgo: exercituve Patrum. Lucani novissimae edd. 1, 92: Nulla fides regnis sociis, pro: regni.

522. *tonuit*. Vulgo *sonuit*, minime illud ferendum sequente *sonitus*. Tonare proprium in hac re vocabulum. Troad. 173: Nemus *fragore* vasto *tonuit*. Virgilius Aen. 9, 541: coelum *tonat* omne *fragore*. Trebellius Pollio in Gallienis cap. 5: „Auditum praeterea tonitruum terrá mugiente, non Jove tonante.“ Et crebra tonitruum terrestrium mentio apud auctores. Saepissime autem haec vocabula propter similitudinem confusa.

523. *est, est*. Ita Flor. Alii libri: *en en*, vel *en est*, quemadmodum Ultraject. MS. et Ald.; vel denique *en*, ut edd. Fernandi et Cajetani, altero *en* neglecto, ut negligi solent similia.*) Fortior his lectio Florentina. Cf. Herc. Oet. 1130.

526 — 532. Verba haec Fortunae, id quod non diserte dicitur, more scriptorum utriusque linguae. Cf. Agam. 516 — 525; 544 — 551.

534. *patriis*. Varsoviensis liber apud Torkill. Bad.: *propriis*.

571. *repetit*. Cruserianus quoque MS. apud Is. Pontanum et edd. Fernandi atque Ascensii: *recipit*. Cf. Delrius. Scriptum mihi videtur gliscente depravatione *repetit*, *retepit*, *recipit*: vid. supra ad 268. Si quis tamen est, qui hoc aliquid putet, is non interpretabitur cum monacho: „repetiit, recepit, sed amisit“; explicabit potius: receptum it, seu recipere conatur. Res nota.

---

*) Ita *me*- syllabam oblitteratam puto in Attii loco illo, qui est apud Non. v. pervico, ubi corrupte legitur *atque morabilioni*, cum legendum haud dubie sit:

Sed pervico Ajax animo atque immemorabili.

677. Vulgo:

Deflent Eurydicen Threïciae nurus,
Deflent et lacrimis difficiles dei etc.

Gruterus: „Aliquid," inquit, „latet monstri in illo *Threïciae*: quid enim heic sibi volunt *nurus Threïciae?*" Et Gronovius: „Mirum, cur hae potissimum nominentur. Quasi non tot alias quoque Umbras motas velint," aliaque plura, quae ad eandem sententiam pertinent; qui et *manus* aut *fides* aut tale quid malebat et ipso de Orpheo intelligere, tentabatque *Deflent E. Threïcii modi*, vel *nomi*. At non mutanda verba, interpunctio tantum emendanda erat hoc modo:

Deflent Eurydicen Threïciae nurus?
Deflent et lacrimis difficiles dei etc.

id est: si mulieres seu nymphae Thraciae deflent Eurydicen apud Superos, deflent eam et Inferorum dei; si dolor tantae et tam inopinae cladis tenera movit feminarum corda, movit etiam dura Plutonis, Furiarum, et eorum, qui judicant defunctos. Notus hic usus interrogationis, quâ cum istâ ratione utimur, nihil minus quam dubitamus vel quaerimus. Terentius Ad. 1, 2, 38:

Obsonat, potat, olet unguenta? De meo.
Amat? Dabitur argentum, dum erit commodum.
— — — — — — —
Fores effregit? Restituentur. Discidit
Vestem? Resarcietur. —

Cicero Paradox. 5. §. 2.: „Poscit? dandum est. Vocat? veniendum. Ejicit? abeundum. Minatur? extimescendum." Et 6. circa initium: „Satiatus es, aut contentus etiam pecunia? Concedo; dives es. — Filiam quis habet? pecunia est opus. Duas? majore. Plures? majore etiam." Ipse Noster supra 402:

— Cruento cecidit in bello pater?
Cecidere fratres? Arma non servant modum.

Cf. Phoeniss. 63 sequ. Neque hoc vel Gruterum fugit hujus fabulae versu 352, vel Gronovium Agam. 526; quo magis miror, scrupulum aec injecisse viris doctissimis: nam librarios neque intellexisse verum, et prave acceptum infra inculcasse post 580, quo loco etiam in edd. Fernandi et Cajetani legitur, id quidem minime mirandum. Equidem sic et alia nonnulla scriptorum loca curanda facillime esse existimavi, velut item Nostri Agam. 262, ubi legam, posito signo interrogandi, quod vulgo abest:

Permisit aliquid victor in captas sibi?
Nec conjugem hoc respicere nec dominam decet.

et Ovidii Met. 8, 28, qui locus ita procul dubio legendus est:

Torserat adductis hastilia lenta lacertis?
Laudabat virgo junctam cum viribus artem.

Imposito patulos calamo sinuaverat arcus?
Sic Phoebum sumtis jurabat stare sagittis.

Terentii Phorm. 2, 1, 36. cum in libris non ipsius solum Comici, sed etiam interpretis antiquissimi reperisset *Hic in noxia est, ille ad defendendam caussam adest: Cum ille est, hic praesto est*, Bentlejus reposuit:

Cum in noxia hic est: ille ad defendendum adest;
Cum ille est: praesto hic est.

nos, extruso *Cum*, quod nescio cujus scioli elegantiarum expertis, rescribendum vidimus:

In noxia hic est? ille ad defendendum adest.
Ille est? praesto hic est.

Sed de diverticulo in viam.

590. *cantibus.* Flor.: carmine. Hanc ego interpretationem puto, illam Gronovius. Frequens apud tragicum vox *cantus.*

592.

*O lucis almae rector et coeli decus.*

Sic plane ed. Cajet., non *alme*, ut vulgo, quanquam 12. et 13. post Christum natum seculis e pro ae passim scribebatur. Sed fac, qui dederunt *alme* librarii, exarare vocativum revera voluisse, quid statuendum? Lucis rector almus et proprie et figurate dici potest secundum Festum. Nihil igitur obstat lingua, quominus omnium fere librorum lectionem tueamur. Sed quid metrum? Badius Ascensius: „*alme,*" inquit, „quia omnia alens rector lucis, aut, si mavis, rector *almae* lucis, s. omnia alentis et foventis. *utroque enim modo stat versus: nam tertio loco et iambus et spondeus poni potest.*" Sic ille crassâ Minervâ: nam recepto *alme* tres continuos haberemus trochaeos (*lucis alme rector*), quibus ita debilitaretur versus senarius, ut ne simplex quidem iambographus admittendum eum putaturus fuisset, multo minus ornatior majorisque ponderis tragicus. Hic si quando redactus eo est, ut talem numerum recipiat, interpunctione certe rem lenit: velut supra 65. legitur:

Qui *vicit ima, sceptra* praecipitat patri;

et 84 sequ.:

Sed *vicit ista.* *Quaeris* Alcidae parem?
Nemo *est nisi ipse: bella* jam secum gerat.

Ibi voce paulum inhibitâ propter interpunctionem in verbis *ima, ista et ipse,* *κακοφωνίαν* junctorum pedum trium et ejusdem generis et mollium volubiliumque non animadvertimus. Alibi semper stabilis intercedit spondeus, in anapaestum solutus nonnunquam, pedumque trepidantium *τρισσῶν* impetum mole suâ in utramque partem aequali sistit. Sic supra 6.:

Hinc Arctos *altâ* parte glacialis poli;

16.:

Nec ipse *tantum* Bacchus, aut Bacchi parens;

24.:

In cujus *ortus* mundus impendit diem;

50.:

Vidi ipsa, *vidi* nocte discussâ Inferûm;

56. sequ.:

Et sacra *dirae* Mortis in aperto jacent.

62.:

Et terna *monstri* colla devicti intuens;

94.:

Quam munit *ingens* montis oppositi specus.

221.:

Et tumida *tenerâ* guttura elidens manu;

271.:

Qui scelera *terrâ* quique persequitur mari;

innumerisque aliis in locis, quos ubique inveniat, qui venetur. Recte itaque editio Cajetani, seu casu, seu consilio *almae* in ea fuerit exaratum, furcillisque ejiciendum vulgatum *alme*. Cf., quae nos infra ad 619.

614. Ed. Fernandi: *Nam.* Sed recte habet *Da*, i. e. Dic. Vid. Delrius. Mox Ald.: *nam diu*. Fortasse reponendum *jam diu pateris manus cessare nostras.* Hae voculae saepius permixtae.

615. *quae.* Sic Flor.; vulgatae edd. minus eleganter: *quid* v. i.?

619.

*An ille domitor orbis et Grajûm decus.*

Verba magnifica, numeri debilissimi, quoque vix, ut ne vix quidem, ferendos esse, praesertim in tragico, supra demonstravi ad 592. Vel itaque reponendum puto: *An ille et orbis domitor et G. d.*, vel, quod malim, *An orbis ille edomitor et G. d.* Notae optimae sunt *Edomare* et *Edomitus*; *Edomitor* est apud Tertullianum, scriptorem doctissimum: quidni *Edomitor* quoque in usu fuerit, quemadmodum leguntur *Domitor* et *Domator*, et apud Prudentium *Perdomitor*? Raptum fuerit e in *edomitor* a syllabâ antecedente, sicut (unum exemplum ex multis ut proferam) *impune loqui* pro *impune eloqui* infra 661. habet Moguntiacus liber ap. Delr.

622. *at.* Vulgo: *et.* Recte Jacob. Gronovius in schedis Dietz.: „Probo Gruteri *at.* Est hoc exemplum moris Senecae, ut transponat: debuerat *sera quidem, tamen certa.* Contra facit. Notavit alibi pater."

629. regna *possedit* Lycus. Glossema est, quod habent Fern. Caj. Ascens.: *possidet.* Vid. ad Troad. 567.

646. *lapsis.* Edd. vett.: lassis. Vid. infra ad 1250.

660. — quam tota irrita Quaesivit *Aetna* mater. Sic hodie legitur, neque aliter antiqui libri, nisi quod pro *Aetna* nonnulli apud Commelinum *Ethna* (quo pertinet Ascensianum *Aethna*), pro *irrita* autem Moguntiacus liber apud Delrium et duo Torkillii Badenii: *eruta.* Et *Aetna* quidem pro *Enna* passim scriptum per errorem in narrationibus de raptu Proserpinae; qua de re vidd. Brouckhus. ad Propert. 1, 3, 1. et interpp. ad Ovidii Met. 5, 385: ut conjicere quispiam posset legendum hic quoque esse *Enna.* Suntque revera libri, in quibus ista scriptura reperiatur, si habenda fides est Commentatori, qui ita ad h. l.: „ *Enna*] Nota *Enna*, vel ex Parrhasii commentariis, vel Scholiis nostris in Claudianum" etc. Sed sive hoc probes, sive receptâ Moguntiaci libri et duorum Badenii lectione cetera non commoveas, ut *erutâ*, id est secundum Delrium penitus investigatâ, totâ vel Ennâ, vel Aetnâ, deinceps et alibi terrarum quaesivisse abseptam filiam dicatur Ceres, jejunâ videatur unius sive oppidi sive montis, etiam vastissimi, mentio in tanto itinere, quantum hoc fuisse Cereris perhibetur. Cicero in Verrem act. 2. lib. 4. §. 48: „Quam [Proserpinam] cum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse taedas iis ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt; quas sibi cum ipsa praeferret, *orbem omnium peragrasse terrarum.*" Ovidius Met. 5, 438:

> Interea pavidae nequidquam filia matri
> *Omnibus* est *terris, omni* quaesita *profundo.*

Cf. Apollod. 1, c. 5., Claudian. Rapt. Proserp. 3, 385 seqq. Quoniam tamen alterutrum horum tenendum est: ne in uno tantum sive oppido sive monte conquisita a matre fuisse dicatur Proserpina, id quod ceterorum omnium scriptorum, qui hoc factum memoriae prodiderunt, testimoniis refellitur, sane legamus: *teque, quam totâ erutâ Quaesivit Aetnâ mater.* Verba *eruta* et *irrita* quam vicina sint in aevi medii MSS., harum rerum periti sciunt.

665. Jacob. Gron. in schedis Diets.: „*Immenso.*] An immerso? 701."

677. *aër.* Sic omnes libri vett. tam scripti quam excusi, cum ab Aldi recesseris, qui nescio unde arreptum dedit *agger*, de quo vidd. Lipsius et interpp.

683. Gronovius: „Etruscus: *qualis incertis vagus Maeander undis errat, ludit et cedit sibi.* Ex quo apparet, utrumque verbum, et *errat* et *ludit*, eo loco in diversis antiquissimis libris inventum fuisse." Sic sane est, et ipsius tragici priorem hanc scripturam puto: *qualis incertis vagus Maeander undis errat, et cedit sibi Instatque* etc., quam scripturam postea, offensus τῷ ταυτολόγῳ verborum *incertis* et *errat*, nec fortasse frequentiorem in finibus vocabulorum

qualis incertis vagus undis s literam probans, emendavit. Ceterum similiter Flor. Phoen. 47: *recipe admitte* pro horum alterutro. Vid. infra ad 1064.

703. *et mundi ultima.* Sequitur statim *mundo*, nec loco dubio. An igitur Hic dederat: et *in undâ ultimâ* Immotus aër haeret, ut aër ibi dicatur, dum postremum undet, diriguisse, et in ipsâ undâ suâ ultimâ immotus haesisse? Minime quidem ineptam puto hanc imaginem; mutatio autem ex facillimis est; neque ignotum, *unda* et *undare* indeque verba derivata usurpari μεταφορικῶς, velut *undas aërias*, h. e. aëris, Lucretius dixit 2, 151, et *Exundat ignis* legitur Herc. Oet. 1752.

711. Flor. a manu secunda *dissors*, de quo vocabulo adiri Gron. jubet Nic. Heinsium ad primam Sabini epistolam. Naso Met. 8, 132: *Dissortemque utero foetum tulit*, i. e. ab omnibus aliis diversum.

719. Vulgo: *hoc* umbris iter, quasi ipsa Plutonis limina dici possent iter seu via Umbrarum. Convenit *hac* vel *huc*. — 722. Flor. *dei.* — 726. Ultra, quoque; *adspectus;* sed satis s litterae hoc loco.

741. Imperio regi dicuntur populi; imperium ipsum regi latine non dicitur, quod sciam, sed geri; quamobrem legendum censeo h. l. *gerit.* Pertinet hoc ad transpositionem litterarum, de qua supra ad 268.

753. *adluit.* Ita Nic. Heinsius, neque aliter cod. Ottobon., recte probante Torkillio Badenio. Sic etiam Oudendorpius ad Jul. Frontin. Strat. 1, 4, 7. edit. secund. Cf. Gronov. ad Prudent. 886. Vulgo: *abluit*, frequente lapsu. Vid. Gron. infra ad 886. Similiter Statii Theb. 1, 231 noctis adactae legendum censeo pro abactae.

763. Non placet asyndeton lectionis Florentinae, neque dubito quin inserenda sit copula, quae et saepe excidit in MSS., et hoc quidem loco intercepta fortasse est a syllabâ praegressâ. Sic infra 1223. Flor.: *Decreta turbae, si quod exilium latet.* Batrachom. 284, *Δ* litterâ a *Δ* simili interceptâ, *ΔΕΙΜΑΛΕΟΝ* scriptum est, ut opinor, pro *ΑΔΕΙΜΑΝΤΟΝ*, *) quod explicandum per hypallagen ἀδείμαντον Διὸς ὅπλον. Et ita saepius erratur. Bona quoque antiqua lectio *Stupente ubi undâ s. t. f.* Vid. ad Octav. 390.

767. *lurent.* Ita scribendum esse vidit Nicol. Heinsius pro *lucent*, quae fere librorum lectio est. Verbo obsoleto tritum substituerunt, more suo, librarii, quod quidem qui mordicus retinent viri docti, maximas nugas agunt. Referendum *luridus* ad *lureo*, sicut *lucidus* ad *luceo*, *pallidus* ad *palleo*, *validus* ad *valeo;* sexcenta alia id genus ne commemorem, de quorum fide dubitat nemo propterea, quod

---

*) Possis et ἀειμαλερὸν, semper micans, cui colorem facias Horatiano illo Od. 1, 3. extrem.: *neque Per nostrum patimur scelus Iracunda Jovem ponere fulmina.*

in monumentis litterarum superstitibus leguntur servata. Quorum quidem monumentorum quota hodie pars extat? Fac igitur, pro eâ cognitione, quam nunc habere possumus, latinae linguae *lureo* esse *ἅπαξ λεγόμενον*, quid tum postea? Sunt ejusmodi verba etiam apud alios scriptores. At Florentinus et alii quidam libri: *squallent*, in quo *pallent* agnovit Nic. Heinsius apud Gron., ut quod saepe cum illo misceatur. Audio; sed *pallent* interpretamentum puto verbi rarioris, quod utique servandum mihi videtur, praesertim in scriptore, novorum in omni genere studioso, qualis est Seneca. Vid. infra ad 999, Herc. Oet. 1008.

774. *Proprio.* Sic Cantabr. apud Pontanum. Vulgo *Ipso*, eâdem sententiâ, numero languidiore. Sequente versu Ultraject. *puppim.*

776. *sidit.* Recte sic Gron. Vulgo: sedit.

790. subrectâ. Editio Fernandi: *suiecta*, quod surecta, id est surrecta, fuisse puto in autographo.

793. *Et uterque timuit.* Haud equidem nescio, quae interpretes supra ad 45 et ad Herc. Oet. 269. Fero Herculem timentem, sed suo loco. Hic totus est poëta in describendo Cerbero, cujus de specie, metu, irâ denique postquam fusius dixit: tum demum de Hercule narrare infit 797., cujus si jam hoc loco facta mentio fuisset, nomine aliquo vel pronomine denuo significandus erat canis in sequentibus *Ecce*, *latratu* etc. Legendum procul dubio *Et utique timuit.* Incertus sedit Cerberus, quid faceret; sed id minime incertum erat, eum timere (*utique* timuit). Laur. Valla de Elegantiis lat. lingu. 2, 27: „*Profecto* et *Utique* sine dubio affirmant; sed hoc secundum nunquam aut fere nunquam apud Ciceronem, apud posteriores frequenter" etc. Cicero quoque ad Att. 12, 9: „Et Pyliae satisfaciendum est, *et utique* Atticae." Et sic saepius. Evanescente autem i litterâ in *utique*, conspicere sibi visi fuerint librarii *ut'que*, id est *uterque*: siquidem tali compendio hoc alterum scribere solebant.

807. Nisi aliud nomen interponatur, Pluto et Proserpina dici videbuntur vincire canem suum. Quare malim: Tum *hic* gravia etc. *Vinxit* MS. Cantabrig. apud Pontanum, quo tollitur ambiguitas, quae inest vulgato *vincit.*

814. *ignotae bono.* Ita libri, quos laudat Gron., in his Flor. Edd. quoque vett.: *ignotae: bonos*, vel *ign. bono.* Wakefield. ad Lucret. II, 418. *ignotae bonus* praefert.

823. *Oborta nox est, lumina in terram dedit.* Ain', noctem obortam esse? Si hoc accidit, cur statim ex oculis expulisse dicitur canis diem, qui nullus fuit? At soli Cerbero oborta est, dicat quispiam. Audio, sed latine sic dici nego propter ambiguum. An ipse hoc sensit tragicus, et eam ob causam, reprobato hoc versiculo, scripsit:

Compressit oculos, et diem invisum expulit?

Sic existimo: nam alter horum versuum alterum excludit, siquidem lucis conspectae impatientes aut in terram despicere solent, id quod priore horum versuum indicatur; aut oculos comprimere, id quod hoc ipso, quem nunc tractamus; utrumque facere ineptum est. Quare uncinis ista includenda putavimus.

825. *Aciemque retro flexit.* Si oculos compressit Cerberus, quid flectenda retro ei est acies, quae laedi lumine jam non potest? Legendum *Faciemque* retro flexit. Compressis oculis caput retro flexit canis, et in terram procubuit. De omissis nonnunquam initialibus versuum litteris et alii passim monuere, et nos Lectt. Aristoph. pag. 54. Neque hominis tantum *facies*. Fronto apud Putsch. p. 2193: „Vultus proprie hominis, Os omnium." Nonius in Vultus: „Facies, ipsa oris species." Ceterum Ultraj. et vett. edd. *petit*, non petiit. Vid. supra ad 49. Sequente versu Flor. *Herculeas umbras.*

840. Ultraj.: *Qualis Eleum.* Cf. Grut.

850. Jacob. Gron. in MS. Dictz.: „MS. Flor. pro *et* habet *haut.* Omnino id verum: ideo enim sunt tristes, quod etiamnum non sunt satiatae longâ vitâ. Si essent satiatae, gratularentur sibi." Versus 855 — 877 laudantur a Terentiano Mauro de metris p. 2442, 41. Putsch.

866.

Nemo ad id sero venit, unde nunquam,
Cum semel venit, potuit reverti.

Chorus cum dicit superiore versu:

Sera nos illo referat senectus,

non mortuos intelligit scilicet, sed aequales secum adhuc viventes, quibus ut longa vita concedatur a fatis optat. Jam hoc loco aperitur causa, cur sera optanda mors sit, quia nimirum nemo sero veniat eo, unde nunquam redire possit. Nihil igitur hic praeteriti dicitur, sed futuri, legendumque necessario est *poterit* reverti.

895. Florent. *Victrice,* quod arridebat Torkillio Badenio propter 634. Mihi quidem sublectum videtur infra 1103. Sequente versu *cecidit* etiam Pall. omnes, item edd. Fernand. Cajet. Ascens. Ald.

898.

Nunc sacra patri victor et Superis feram,
Caesisque meritas victimis aras colam.

Vox *patri*, quae gravissima est, deteriore versus loco posita minus placet, nec suave τὸ ὁμοιοτέλευτον *feram, colam.* Utrique incommodo occurras, simulque versuum ληκυθίων minuas numerum, si ita legas, verbis transpositis, in quorum ordine mutando multum sibi indulsisse librarios constat:

Patri feram nunc victor et Superis sacra,
Caesisque etc.

924. *tuos.* MSS. Commel. omnes: *tuus*, nec male.

948. *rutilat.* Sic item Commelini omnes, et edd. Fernand. Ascens. Ald., quarum haec postrema etiam: *jubam Cervice jactans*, sicut Flor. Recte; id quod Gronovius quoque sensit, secundum quem *rutilat* explicandum οὐδετέρως, quemadmodum *rutilantia sidera* dicuntur.

950. *Τὸ frigida* ultimam syllabam producit propter duplicem consonam, quae sequitur. Vide nos ad Plauti Aul. 108.

968. *feram.* Sic Pall. omnes et edd. Fern. Caj. Ascens. Ald. *Traham*, quae Delrii est emendatio, probata a Nic. Heinsio ad Ovid. Heroid. 6, 88, et per se non est malum, et potest esse a Senecâ profectum; sed habuimus modo *traho.*

977. In Ultraj. factum *umbris.* Utrumque rectum, sed hoc paulo, si fallor, elegantius. Med. 450:

> Penatibus profugere quam cogis tuis,
> Ad quos remittis?

Mox idem codex: *Flammigera Erinnys*, confusione frequentissimâ in libris. Vid. ad Hipp. 909.

990. Ultraj., haud dubie ex interpolatione:

> Nervus sagittas, tela sic mitti decet Herculea.
> AM. Quo, nate, sic te coecus invergit furor?

In superioribus acute Gron. legendum suspicatur *invito.*

993. *stridit* vetustiores. Commel. et Ald. Minus hoc tritum, sed non placet *ὀνοματοπεποιημένον solvit*, *stridit.*

995. *Ceterûm prolem eruam Omnesque latebras. Eruere ipsas latebras* non dicitur, sed *eruere aliquid latebris.* Reponendum igitur *Omnesque latebris*, et in *Omnes* intelligendum ceteros omnes, qui sunt in regiâ. Sic infra 1167: *Ruat ira in omnes*, ubi vid. Gron., cujus durior hoc loco est conjectura *Omnem e latebris. Latebras* videntur fecisse, qui, quid significaret per se *τὸ omnes*, non intelligerent.

999. *aula.* Cf. Thyest. 697. Torkill. Badenius ex MSS.: Huc et et illuc *valva* disjecto objice, quam lectionem recepissem in ordinem, si vocabulum *valva* singulari numero alibi invenissem. Quanquam rarioribus et obsoletis poëta non abstinet: vid. supra ad 767.

1005. Flor.: *precante*, quod in ordinem recepit Gron. Mihi videtur affectatum, et fuit, opinor, *precantē.* Vid. ad 1105. Vix usquam in iambicis senariis tragicorum tertio loco invenias tribrachum. Mox Ultraj.: *cer. terra* d. *madet.*

1013. *infesto.* Sic etiam Cantabrig. apud Pontanum, et ex editionibus Fernandi et Ascensii. Bene autem Nic. Heinsius: N. *saluti est H. infesto locus.* Vulgo: *infenso.*

1051. *gravi* etiam Ascens. Infra 1078:

Preme devinctum torpore gravi.

1064. *Solvite, Superi.* Parum decorus in hoc metri genere anapaestus post dactylum; quanquam et Graeci sic interdum, in his Euripides, et Noster Herc. Oet. 185:

Flebile saxum *fingite, Superi,*

et 195:

Aspera Trachin! *Cypria lacrimas.*

Cf. ibid. 1884, 1888, Octav. 647, 904. Ceterum cum Etruscus habeat: *Solvite, o superi,* injecta mihi suspicio est fraudis, neque invitus haec ita legerim ac conjunxerim:

— — — Obitus pariter
Tecum Alcides vidit et ortus,
Novitque tuas utrasque domos:
Solve a tantis animum monstris,
Solvito! Superi, rectam etc.

Compellat ante omnes chorus Apollinem, quod inter ipsum atque Herculem communio aliqua sit itinerum, ut a monstris solvat animum heroïs. Notus Apollo Ἀλέξιος seu Παιάν, Ovidius Met. 1, 521:

Inventum medicina meum est, *Opifer*que per orbem
Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis,

ad quem locum vidd. interpp. Agnoscas autem licet in isto *Solvite o* pravam religionem librariorum, male ab eo scriptis recta apponentium potius quam falsa delentium. Timebant etiam saepe, ne non venderetur lituris deturpatus codex. Nam illum, quicunque fuit, qui Florentinum librum exaravit, *Solvito* voluisse hoc loco, minime dubitandum. *Solve. O Superi* ut ne reponendum putes, faciunt, quae sequuntur, nimis tunc hisce similia futura: *tuque, o domitor* etc. Cf. quae infra ad 1343.

1066. *malorum.* Sic etiam Ascens., et expressius id mihi quoque videtur quam vulgatum *laborum.* Vid. Gron.

1068. *Volucer.* Ultraj.: *Volucre.* Vellem versus admitteret. Cajet.: *Volucres.* An fuit: *Volucris matris g. Astraeae?* volucris, quae alis in coelum rediit.

1075. Gronovius: „Ab Scaligero," inquit, „est *fovens:* nam prius vulgati *foves.* Florentiae habetur: *famuloque venis, Pavidum leti genus humanum Cogis longam discere mortem; Placidus fessum lenisque fove: Preme devinctum* etc. Recte forsan, modo juves scribendo *Cogens* et *fovens.*" Nobis errasse in hac versuum trajectione librarius Flor. videtur propterea, quod quem volumus *placidum lenemque fovere* aegros, eundem simul precari, ut eos *premat torpore gravi,* parum convenit. Recte igitur vulgati libri, in

quibus haec separantur; ceterum bene Florentinus *fove*, in quo assentientes habet edd. Fernandi, Cajetani et Ascensii; bene item *devinctum*. Sententia sic explicanda: O Somne, quoniam et interdiu et nocte ad procurandam requiem venis regi pariterque servulo: ideo jam Herculem quoque fessum fove placido amplexu! Et quoniam tu idem is es, qui mortem doces homines: nunc torpore gravi, qui morti similis est, devinctum preme! Ita haec ex se nexa.

1077. *mortem*. Dousa fil. in Notis ad Catullum legendum conjicit *noctem*, quod sane elegans, et fortasse verum.

1089. *Sed ut*. Desiderantur verba, ad quae refertur *sed* conjunctio, ut pro corrupto haberi locus merito mihi videatur. Repos uerim equidem: *velut* ingenti etc. Litterae s et f, item l et d, passim propter similitudinem confunduntur.

1105. Istud plurimorum librorum *Regia*, cum metro repugnet, ortum puto ex *Regiā*, id est *Regina*. Sic supra, ni fallor, *precante* pro *precantē* in Flor.

1117. *saeva*. Etiam edd. Fernandi et Ascensii: *sera*, quod ad diu referas; id est: sero data verbera fero tergo. Et sequitur mox *saevos* reges. 1263: vindica serā manu Saltem nepotes.

1123. *saevos*. Ita Mogunt. apud Delr. et Ultraj.; recte: siquidem non omnes scilicet reges ulciscendi erant filiis Herculis, sed saevi tantum et crudeles, velut Busiris fuit et Diomedes Thrax. Necessarium igitur hoc epitheton in regibus, in vulnere otiosum est. Supra 271:

> Qui scelera terrā quique persequitur mari,
> Ac *saeva* justā *sceptra* confregit manu.

Infra 1255:

> — — — — Quisquis in toto furit
> *Rex saevus* orbe, manibus aut aris nocens,
> A me timetur.

Herc. Oet. 5:

> Non est tonandum: *perfidi reges* jacent,
> *Saevi tyranni*.

Et sic passim. Vulgo tamen: *saevo*.

1127. *Scythicis corytis* Flor., non *Scythici coryti*, ut vulgo. Recte illud commendat Gron. Tro. 929: artis an celsae edito Mittenda saxo?

1134. Vulgo:

> Patriusque furor: ite infaustum
> Genus — iter
> Triste — iratos
> Visite reges.

Sed neque tribrachys —*que furor* vel trochaeus (da)*bitis* ferendi in

medio versu anapaestico, ferendi in extremo (velut supra 170, 1056, Hippol. 13, 987, Oedip. 158, Troad. 78, 101, 141.); ut animadvertit etiam doctissimus Seidlerus libri De versibus dochmiacis pag. 80; et his ita divisis sententiae versibus parum congruunt; quâ de re supra dixi ad 173. Cf. etiam, quae nos ad Thyest. 832. Ceterum Ultraj. quoque *Visere*. Vid. Delr.

1138. Ultraj.:

Quis locus hic est, quae regio, quae mundi plaga?

verbis gravioribus *locus*, *regio*, *mundi* sub ictu positis; id quod sane placet. De correpto *hic* pronomine res in vulgus nota, quae tamen ignorata fortasse movit librarios, ut trajicienda verba *locus hic*, et omittendam copulam esse perperam existimarent. Scatent ejusmodi vitiis poëtarum scripta. Possis etiam: *Quis hic est locus*. etc.

1143. *unde prostrata domo Video cruenta corpora?* Lectio depravata: nam domus quidem non fuit prostrata, sed corpora scilicet Megarae et Herculis liberorum, cum tamen *prostrata* longâ finali syllabâ, quam versus requirit, ad *domo* necessario referatur. Legendum *prostrata a domo*, id est ante domum. Statius Silv. lib. 1. Epithal. Stellae 23: dominae niveis a vultibus obstas, id est ante dominam, ut recte interpretatur Basil. Faber in Thesauro erudit. schol.; et similiter Theb. 4, 17: summisque a postibus obstant. Rapta praepositio a praegresso verbo. Mox Ultraj. *reditum*, et sequ. versu Flor. *Oberrat* oculis t. f. meis; de quo vid. Gron.

1147. Sic dedi secundum Ultrajectinum codicem et vett. excusos, qui utroque loco: *nescio quid*: nam vulgo sic legitur:

Pudet fateri. paveo: nescio quod mihi,

Nescio quod animus grande praesagit malum.

Cf. Med. 917, Herc. Oet. 718, Thyest. 17, etc.

1151. Vulgo *abiit*. Vid. supra ad 49.

1157. Virtus, quem. Vid. Gron., et cf. 1301.

1167. Codex Villerianus, a D. Heinsio evolutus: Ruat ira in *hostes*, haud dubie ex interpretatione. Cf. supra 995. Recte Gronovius: *Omnes* dicit quoslibet, quoscunque obvios, ut apud Horatium: Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

1168. Edd. Fernald. et Cajet. *lacertis*; *Procede* etc.

1182. *Pereuntis*. Id est: ejus, qui perit. Priscian. lib. XI. p. 925 Putsch., ubi de participio exponit: „Illud quoque sciendum, quod saepe et praesenti pro praeterito et praeterito pro praesenti utuntur auctores necessitatis causa, cum deficiunt et in *dt* desinentia praesenti, et in o terminantia praeterito" etc. Cf. annotata ad Herc. Oet. 1600.

1193. *Errat*. Id est versatur, seu movetur incerto quodam modo, sicut fere nostrates dicturi essent: Hier schwebt die Schuld.

Thyest. 281: Tota jam ante oculos meos Imago caedis errat. Et ibid. 473:

Rogat? Timendum est: errat hic aliquis dolus.

Cf. infra 1279 et Lessingii theat. Bibl. 2. St. pag. 109 sequ. Est autem *manus* accusat. plural.; quod moneo, ne quis interpretetur cum Delrio: manus refugit contactum patris. Alienus locus, quem laudat, infra 1318.

1194. Quid? illa puerili madens Arundo leto? — Tincta Lernaeâ nece Jam tela video nostra etc. Ità haec interpungenda, ut Hercules quaerat, sagitta aliqua, humi jacens, cruenta, quam forte inter appetenda patris genua non sine subito horrore tetigerat, an liberorum suorum sanguine sit tincta. Nam male vulgo: quid illa p. m. A. leto, t. L. n.? Sic passim Latinorum Quid? Graecorum *τί δαί;* in initiis orationum. Cf. supra 707, Hippol. 149 seqq. Plautus Amph. 494:

Quid? me expectatum non rere amicae venturum meae?

Aul. 247:

Quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiai in nuptiis?

Terentius Eun. 369:

Quid? illud, Gnatho, —
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nunquam tibi dixi?

Phorm. 529:

Quid? quâ profectus causâ hinc es Lemnum, Chreme,
Adduxtin' tecum filiam?

Aliud est illud Quid cum nomine aliquo vel pronomine, de quo nos ad Plauti Aul. 157. Sed ita saepius erratur: cf. Thyest. 1104.

1196. *Tela* hoc loco nihil aliud quam arcus, sicut latissime patet ejus vocabuli potestas. Incertus fuerat Hercules de sagittâ, an sua esset, ut quae magnitudine a vulgo hominum fere non discreparet; arcus autem illius ingens erat, neque ulli alii comparandus. Itaque conspecto illo statim exclamat: Jam tela video *nostra* etc.

1198. *justa cedentem.* Hoc faciendum existimavi e codicis Neapol., quem versavit Tork. Badenius, lectione hac: Sin. nervum *iuxta cedentem* mihi, quod ipsum tuetur Danus doctissimus, sed frustra. Ei lectioni proxima illorum librorum, in quibus: *vix iam cedentem.* Aliorum varietates enarrare longum est, neque ulli rei, cum vel prorsus barbarae sint, vel metri regulis adversentur. *Dextera justa sinuare nervum* dictum per hellenismum satis tritum pro eo quod est *Dextra sufficiens ad sinuandum nervum*, quemadmodum usurpari τὸ *Justus* solet. Gasp. Scioppius in Arte crit.: „X pro S,"

inquit, „saepissime: velut *extruxit* in MS. Plauti pro *extrusit*." Cf. G. J. Vossii grammat. lat. pag. 105 n. 1.

1199. *Ad vos revertor, genitor. Hoc nostrum est scelus? Taceare: nostrum est.* Ita haec interpungenda. Male vulgati libri: Ad vos revertor: genitor; hoc etc.; quasi Amphitryonem tantummodo Hercules compellet; id quod superioribus sequentibusque refellitur. Noster: *Ad vos revertor, genitor*, ut Tibullus: *Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas*, ad quem locum vid. interpp.

1205. *Flammasque.* Ita Etruscus, Ald. et, ex suis haud dubie, Delrius. Ultraj. similiter: *Flammas quoque.* Vulgo: *Flammas.*

1213. Invehitur in J. Scaligerum Gronovius, quod mutatâ vetere lectione *Ego inquieta montium jaceam mora* hanc dederit: *E. in quietâ* m. j. *morâ.* Et merito. Sed ipse reprehensor dum antiqua cum novis temere permiscet, hybridam effinxit lectionem, a nemine sui judicii probandam. Quam nos quidem dedimus, ea veterum librorum est qua scriptorum qua impressorum (in his editionum Fern. Caj. Ascens. Ald.), in quibus non illud *inquieta* solum bene se habet, sed recte legitur etiam *saxaque* in coelum *expriment*, non id, quod item placuit Scaligero: *saxa, quae in coelum exprimunt*, quae frigida est descriptio Symplegadum. Fallebat virum egregium, quod *coibunt* ad *saxa* referendum arbitrabatur, cum pertineat ad Herculis vinctas et hinc illinc distentas manus in superioribus. Sensit hoc etiam Delrius.

1219. Ultraj. *carens*, et tertio abhinc versu: *cremem*, sicut etiam Fern. et Ald.

1236. *taedis.* Recte sic Angelicus codex apud Tork. Bad. Vulgo: *infaustas meis Cr. telis*, quod non expediebat Gron.

1245. *mortis inveniam viam.* Phoeniss. 5. simili repetitione: melius inveniam viam. Recte itaque Gron., qui unius libri Gruter. lectionem *inveni* ceterorum omnium non praetulerit.

1250. *lapsae.* Fort.: lassae, quemadmodum *res lassae* apud Plautum Stich. 4, 1, 16. et Hunc ipsum supra 646 et Thy. 658 secundum vett. edd., et similiter *fessae* Thyest. 199: nam lapsae domus non firmantur, si rem ad veritatem exigas, sed denuo excitantur. Et saepe haec duo vocabula confusa.

1253. *semper aut dubium mare Aut monstra timui.* Vix haec videntur recte opponi, ut non penitus spernam Basiliani libri ap. Pont. scripturam hanc *Aut terram timui*, ex quo ille faciebat ἔμμετρον *Terramve timui.* Possis etiam: *Aut timeo terram*; ad quam faciem est, quod sequitur, *A me timetur.*

1255. De aris recte Gron. Manibus nocebant, h. e. vim apertam adhibebant, non religionem causabantur, Erginus, Diomedes, Mygdo, Geryon, Syleus, Eurytus Cous, Augias, Neleus, Hippocoon, Amyntor.

1274. *Moveare.* Ita Delrius, ex suis libris, ut opinor, exstatque etiam apud Commelinum mentio ejus lectionis, quâ tollitur ambiguum, versusque numeri exiguntur. Vulgo: *Movere.*

1283. Libri: *Ignave.* Sed bene J. F. Gronovius in schedis Dietz.: „*Ignave*, cessas?] Non potest se sic alloqui Hercules: nam nec ipse vel animo vel corpore ignavus fuit aut tantum fortis in pueros. Leg. *Ignava:* alloquitur enim dextram, quae per se, nón librante et ignaro Hercule ob furorem, non fuit nisi ignava.“ His Jacobus addit: „Thyest. 269: Instatque pigris manibus. Ibid. 985. (Sed quid hoc? non vult manus Parere.) Phoen. 91. (dextrà, quid cessas, iners, Exigere poenas?) Sic Clytaemnestra primo animum, non se, alloquitur Agam. 193.“

1285. *exscindam.* Languidius est, quod habent Flor. Ultraj. et edd., a nobis collatae, quatuor antiquae, *excidam.*

1287. *aut.* Exhibet hoc vocabulum editio quoque Fernandi princeps, quod plane necessarium desiderari vulgo in editionibus, sane miror.

1295. Aberravit in hisce digerendis Lessingius l. l. supra ad 1193.

1301. *Pande: quid fieri jubes?* Liquet, haec dicere Herculem, magis magisque Amphitryonis precibus commotum; neque hic jam de manu sibi ipsi inferendâ cogitat senex, sed id tantum agit, ut a tali consilio deterreat filium desperantem. Torquent poëtam, qui aliter.

1309. Flor.: *fessam malis,* quae repetitio non insuavis Gronovio.

1317. *afflicti* Cantabrig. ap. Pont. Mox Hac *nisus* etiam Ultraj., et sequ. versu Pellam *labores;* versu autem 1339. *redactum*, quemadmodum u et a litterae misceri solent.

1322. *obruar.* Ita Flor. oratione variatâ. Vulgo: *obruam.*

1323. Non multum offendor ego *undâ Persicâ* Tigridis. Cogitabam tamen aliquando dedisse Nostrum *Persicae violentus undae*, id est: qui violenter effunditur in sinum Persicum. Liv. 2, 59: Ceterum multo *Appio* quam *Fabio violentior* fuit.

1343. *Restituit.* Ita edd., nobis collatae, vett., et sic legendum, non *Restituet*, ut vulgo, quamvis perspectâ a Delrio aliisque loci sententiâ. Ibi, id est in Areopago, Martem, caede Halirrhothii absolutum, ad bella administranda rediisse dicit Theseus; ibique et Herculem, parem dignitate Superis, expiatum iri. Vidd. Euripid. Orest. 1650 et interpp. ad Apollod. 3, 13, 2. Quod Etruscus exhi-

bebat *Alcidae*, scripserat, ni fallor, librarius *Alcida*, pro eoque legi voluit *Alcide*, sicut vulgo. Vid. supra ad 683, 1064. Emendatarum autem lectionum iuxta improbatas positarum in MS. insigne exemplum exstat etiam Plaut. Bacch. 1141, ubi vetus codex Camerar.: *isne in hac*, sed Decurt.: *in* (i. e. *in'*) *hac*, ut voluit etiam haud dubie alterius descriptor.

---

# ANNOTATIONES
## IN THYESTEM.

Vers. 1. *extrahit.* Gronovius: „Fuere," inquit, „quibus *abstrahit* placeret. Quasi non in Phoenissis: quae me ab hac vita *extrahat.*" Sic quidem legitur Phoeniss. 6.; sed alterum si non apud Hunc ipsum, at habes apud Ciceronem et Terentium: aeque igitur bonum est, neque sugillandi erant Commelinus atque Gruterus, quod libros suos vett., tam scriptos quam impressos, secuti essent. Quadrigae nobis inspectarum editionum dilucide: *abstrahit.*

3.

Quis male deorum Tantalo vivas domos
Ostendit iterum?

D. Heinsius: „Apage voculam illam ineptissimam. (*male.*) Seneca nunquam aliter scripsit, quam: Quis*nam* deorum Tantalo" etc. Ad haec Gron.: „Sic omnes MSS.; et particula *male* conjungenda est cum verbo *ostendit*: ut sit *male ostendere* in poenam ostendere, inutiliter et magno cum pretio atque malo ostendere, ut observabamus olim. Agamemnone (682): *cum tranquillo Male confisae, credunt iterum Pelago audaces.*" Hactenus satis bene, nisi quod *male* non recte refert ad *ostendit*, ut infra demonstrabimus. Sed addiderat D. Heinsius: „Unum absurdum manet: nam quid est illud *vivas domos?* aut quis ita loquitur?" His perspicue veris quid opponit Gronovius? Nempe sic ille pergit: „*Vivas domos* intelligebam per hypallagen vivorum domos, ut apud Livium lib. 6: gregatim quotidie de foro addictos duci, et repleri vinctis *nobiles domos* etc." Hoc argumentum cujusmodi sit, quis non videt? aut quid simile habent *nobilibus vivae* domus? Latissime patet τοῦ Nobilis potestas; *Vivus*, praeterquam proprie de hominibus, at in rebus tantum usurpatur vitam quodammodo imitantibus, quales sunt *viva aqua*, *viva sepes*, *vivum saxum*, de quibus cf. lexica. *Vivam domum* nec quisquam dixit unquam, nec dicere potuit, nisi latine loqui vellet durissime et pessime. Falsum itaque h. l. *vivas domos.* *)

*) Similia videantur infra 697. *aula dubia* quo pondus daret, et ibid. 724. *dubitans*, et quidem diu, *cadaver*, quâ parte caderet;

At pro eo quid reponendum? Ambigeremus de hoc, nisi verum monstrasset ipse Gronovius. „Liber," inquit, „Etruscus *visas*." Jam vero vide insignem hominis inconstantiam! nam qui in levissimis rebus, velut τῷ *extrahit* versu 1., prorsus se addicit illi codici, quem et Lipsianum non modo Palatinis novem et octo Delrianis, sed omnibus, qui totâ sunt Europâ, obducere se libris ait, idem gravissimam ejus membranae lectionem satis habet verbo commemorare, statimque addit, ex ea lectione fecisse Nic. Heinsium Adversar. 1, 4. p. 35. *invisas domos*. At nos nullâ hic neque Heinsii neque cujusquam indigemus conjecturâ, sed ipsum illud *visas* verissimum aptissimumque esse contendimus. Quaerit enim Tantalus, male visas deorum domos quis sibi iterum ostendat; deorum, i. e. deorum superorum: nam sic interdum *dei* absolute: infra 1070:

— vos quoque audite hoc scelus,
Quocunque, *di*, fugistis! audite, *Inferi*!

Herc. fur. 585. de Orpheo:

Tu non ante tuam respice conjugem,
Quam cum clara *deos* obtulerit dies.

*deorum* autem domos, id est coelum, quod qui adspiciunt, vivere dicuntur. Herc. fur. 438:

Quo patre genitus *coelitum* sperat *domos*?

Herc. Oet. 92:

Cirrhaea Paean templa et *aetheream domum*
Serpente caeso meruit.

Hippol. 1149:

Pallas, Actaeae veneranda genti,
Quod tuus *coelum Superosque* Theseus
Spectat etc.

Oedip. 854:

Non potuit ille *luce*, non *coelo* frui.
*Sen*. Procul sit omen: *vivit*, et *vivat* precor.

Male igitur sibi visum esse ait Tantalus coelum, id est, magno cum damno suo se in vivis fuisse, ad quos redire nunc cogatur. Pertinet hoc ad sententiam illam antiquissimam, *non nasci homini longe optimum esse; proximum autem quamprimum mori*, ut Ciceronis verbis utar Tuscull. 1, 48, Sophoclem exprimentis Oedip. Col. 1192, quemadmodum hic rursus Theognidem 417 seqq. editorum a Brunckio Gnomicorum. Ipse Noster Consolat. ad Polyb. cap. 28: Si velis credere altius veritatem intuentibus, *omnis vita supplicium est*. Vid. interpp. ad laudatos auctorum locos, Davisium inprimis ad Ci-

---

sed *dubius*, pro eoque altero loco positum *dubitans*, ad res facile referuntur.

coronis. His itaque positis Gronovius et in eo errasse intelligitur, quod verba *Quis deorum* conjunxit, neque recte τὸ *male* retulisse ad *Ostendit*, quo non pertinere adverbium, vel locus ejus in oratione indicabat. Nam *Male*, utcunque usurpatum, vel juxta ipsum vocabulum, quocum cohaeret, poni solet, quomodo dicuntur *male* emere, *male* sanus et innumera alia id genus, vel certe uno tantummodo aut duobus verbis ab eo sejungitur, velut Horatius dixit *male re gestâ* et *male rem gerere* Serm. 2, 3, 37, 74, et 2, 2, 8: *Male verum examinat* omnis Corruptus judex; ejusdem vero libri 6, 72: *male* necne Lepos *saltet*, et Epist. ad Pis. 104: *male* si mandata *loquêris*, et Od. 4, 12, 7: quod *male* barbaras Regum *est ulta* libidines; tres autem vel quatuor, ut hoc loco, inculcari voces intermedias, a linguae ingenio abhorret.

9. Multus est Gronovius in refellendâ plurimorum librorum lectione illâ: *Aut poena Tityi, semper accrescens jecur Vulneribus atras pascit effossis aves, Et nocte reparans quidquid amisit die Plenum recenti pabulum monstro jacet?* „Quae enim haec," inquit, „connexio? Numquid Sisyphi lapis est mihi volvendus? rota Ixionis? aut jecur semper accrescens Tityi, quae poena illius est, pascit vulturem et reparat nocte, quod die perdidit, et sufficit iteratis morsibus? Quis tantum non puer non videat, hanc orationem esse stolidam, ineptam, male sibi respondentem? Cui non succurrat, sequi aliquid debere, quo non simpliciter narretur, quid fiat Tityo, sed ostendatur, dubitare ipsum Tantalum, an sibi eadem poena immineat?" Ad haec hactenus non male respondet Schröderus, ut ostendat, verba *poena Tityi* intelligi posse παρενθετικῶς. Ceterum illa *pascit* et *jacet* non expedit, id quod praecipue faciendum ei fuit, ut quorum loco *pascet* et *jacebit* requirerentur, si sermo esset, ut quidem putat cum aliis Schröderus, de Tantali jecore. Nam quod ex Ascensianâ profert *pascet*, non sufficit altero incurato, quod cum illo artissime conjunctum est. At, inquiat fortasse quispiam, praesentibus usus hoc loco est poëta pro futuris. Scimus id fieri interdum, locumque eum induximus ad Plauti Bacch. 859; verum et in primis tantum fieri solet personis verbalibus, velut passim legitur *Exeo* pro *Exibo*, et Plauti Stich. 506: Hodiene *exoneramus* navem? pro *exonerabimus*: (nam rarum illud est Rud. 788:

Credo, alienum in aliam beluam hominem vortier;
Hic in columbam leno, credo, *vortitur*

pro *vortetur*); neque usquam fit, ubi ambiguum effectura sermonem esset ea figura, quemadmodum hoc loco dubium futurum esset, Tantaline an Tityi diceretur jecur. Eam, credo, ambiguitatem vitaturus tragicus cum ab initio scripsisset ista, quae supra posuimus, iteratis curis horum in locum eam subdidit lectionem, quam Lips. et Flor.

duoque Gruteri codd. exhibent, planam illam quidem, minimeque, quod in mentem nonnemini venit, languidam. Nam quod ex Hippolyti 1234. petita a sciolo esse Raphelengius dicit verba *semper accrescens jecur*, ut haud negarim fieri potuisse, ita pro certo equidem non affirmarim, sed potius hanc, ut dixi, διττογραφίαν putaverim, ab ipso Seneca profectam.

10. Florent. quoque *Vulneribus*, ut monet Jacob. Gron. in schedis Dietz.

15. *addi si quid ad poenas potest.* Ita legendum monuit Gronovius, cum in Etrusco reperisset *potest*: nam vulgo libri: *adde, si quid ad poenas potes*, quo admisso friget, quod sequitur 18., *quaere*.

22. *Pelopéâ.* Ita scribendum vidi, non *Pelopeja*, sicut vulgo; id est *Πελοπείᾳ*. Virgil. Aen. 2, 193:

Ultro Asiam magno Pelopéa ad moenia bello.

Et similiter haec et ejusmodi alia Latini, Lycéum, muséum, prytanéum, ubi Graeci *Λύκειον*, *μουσεῖον*, *πρυτανεῖον*. Pelopeia foret ionicum *Πελοπήϊα*, sed id versus respuit. Cf. infra 641.

37. *cum.* Ita, vel *quum*, edd. Fern. Caj. Bad. Ald., item Delrii, Scriverii et quidquid ceterarum vidi praeter Gronovianas et Schröderi, in quibus: *dum*, quod alienum a sententiâ: siquidem id vult Tantalus, in exilium missos, velut Thyestem, cum data iis, id est reddita, fuerit patria, in scelera denuo redire.

47. Recte Commelinus τὸ *fratris* superioribus adjungit, secus ac vulgo edd.

48. *non.* Ed. Fern. princeps: *nec.* Hae voculae saepius miscentur.

49. *Cur micant stellae polo, Flammaeque servant debitum mundo decus?* Ita H. Grotius. Vulgo sine sensu: Cum micant — decus; Nox etc. Sed inquam cum Gronovio supra ad 1.: Satis hac glande pasti sumus. Non semel r et n, rursusque n et m litterae confusae in MSS. paulo vetustioribus. Vid. ad Oct. 852, H. O. 1650. Sequente versu alii librorum *atra*, alii *alta*, Flor. *alia*, pro *alta*, ut opinor. Et huic quidem lectioni facile colorem invenias. Sed nihil muto.

58. *Nondum Thyestes liberos deflet suos. Ecquando* etc. Sic edit. Fern., et recte. Ceterum ut post *tollet* bene distinxit Gron., ita mihi quoque videtur aberrare a vero, cum in eo verbo Aegisthum, incesto suscipiendum a Thyeste, intelligit. Longe hoc repetitum, rectiusque haud dubie Schröderus: „*Ecquando tollet?* supple: dextra patrui, Atreï, liberos Thyestis."

60. Vulgo: *Spumante aheno? membra* etc. Sequimur Florentinum: *spument ahena* —. Cf. N. Heinsii Adversar. p. 56.

61. *patruos.* Ita J. F. Gronovius in schedis Dietz. Egregie. Vulgo: *patrios*, proclivi lapsu.

68. Vulgo: *Ad stagna, et amnes, et recedentes aquas, Labrisque ab ipsis arboris plenae fugas, Abire in atrum carceris liceat mei Cubile: liceat* etc. Sed quis fando audivit, *atri carceris cubile* esse Tantalo apud Inferos? Neque inclusum teneri illum fama erat, neque ullum ei cubile esse, ut qui stare plerumque fingeretur in Eridano fluvio, ut auctor est Servius ad Aen. 6, 603; quam famam et Hic haud dubie sequitur, vel certe similem, quae extat apud Homerum Odyss. *Λ*. 581.: nam quod ad *stagna* et amnes redire ait Tantalum, nihil aliud significat quam fluvium effecisse stagnum, in quo steterit Tantalus. Cf. infra 106, 152. Ipsâ igitur sententiâ id poscente, *mihi* reposui pro *mei*, ut vel atrum carcerem, vel igneas Phlegethontis undas sibi optet infelix umbra potius, quam infandis istis, ab Atreo jam instruendis, epulis accubet. Exaratum forte *mii* pro *mihi*, sicut omissa non semel est h littera a librariis, ansam erroris videtur praebuisse.

74. Latius aliquanto persequitur Virgiliana illa Aen. 6, 614 seqq.; neque in horum singula, ad quem quaeque proprie pertineant, inquirendum puto, quorum partem finxisse mihi pro arbitrio Seneca videtur.

90. *nepotes? Magne* etc. Sic vett. edd., in his Caroli Fernandi princeps. Vulgo, minus bene: *nepotes. Magne* etc.

97. *fixam.* Ita edd. Fern. et Cajet. Vulgo et minus suavi sono et deteriore numero: *infixam intimis.* Noster, laudante Gronovio, epist. 94: Ostendis esurienti, quid tanquam satur faciat? *Fixam* potius *medullis famem* detrahe.

101. Flor.: *Hunc, hunc furorem.* Libri Commel. et edd. Fern. Ald.: nunc o furorem. Cajet.: Sequor. *Me.* nunc fur. Hoc quidem fuisse in autographo puto illud, quod Grotio placebat: Sequor. *Me.* Hunc fur. Nec tamen mutare quidquam sustinuerim, cum neque interjectio inelegans sit, et alibi quoque apud Hunc, sicut apud Virgilium, imperfecti versus reperiantur, velut Hipp. 605, Phoen. 319, Tro. 1103. Cf. Lipsius ad Phoenias. l. l.

102. *Ferantur* etiam edd. Fern. Ascens. Ald.

111. *fremit.* Id est fremere alias solet.

114. *latus.* Id est latus repente factus, refugiente utrimque mari. Nihil apertius. Male itaque Lipsius *laetus*, male Flor. liber: *litus*, utcunque id foveant Gronovius et Schroederus, quos satius erat Grutero auscultare.

130. *Quem.* Taygetum montem, cujus radices pariter ac fontes Alpheï fluvii in Arcadiâ. Mire Marollius interpres, quasi esset Si, vel Seu, quem tangit etc.: „S' il est encore touché de la beauté des fraisches rives d'Alphée, si connuës par les jeux Olympiques."

135. Sic Flor., neque aliter edd. Fern. Ascens. Ald. Elegantius hoc vulgato *arceat Alternas scelerum, ne redeant, vices.*

138. Libri: *Fas valuit nihil, Aut* (ed. Fern.: *nihil aut*) *commune nefas.* Tacent, tanquam verbis minime obscuris, interpretes, nisi quod Badius Ascensius: „*Fas valuit nihil*, id est: nihili habitum est. *aut nefas commune*, nihil valuit, quia impunitum mansit;" et Marollius: „Les choses permises ne lui ont jamais été considerables; et les effrontées lui sont fort communes." Vide, an nos melius: Fas valuit nihil *ad* commune nefas, id est contra comm. nef., quâ potestate passim venit *ad* praepositio. Ennius Phoenice apud Gell. 7, 17: Sed virum verâ virtute vivere animatum addecet, Fortiterque innoxium vacare *ad* adversarios. Nam sic ibi legendum, et *obnoxiosae* in sequentibus. Passim *ad*, *at*, *ac*, *aut*, *haut*, *et* denique permixta in codd.

143. Ascens. quoque in ipso ordine: *navitis.* Vid. Delr.

149. *prosequitur.* Tro. 1065: duplex nefas *Prosequere.* Nec tamen nolim, quod Ald. et quidam libri Delrii habent, *persequitur.* Certe id usitatius in hac causâ.

156. Mogunt.: *Incurvata.*

172. *profugus.* J. F. Gronovius in schedis Dietz.: „An refugus?"

195. *mallet.* Fern.: *velit;* reliquae edd. vett., quas versavi: *malit.*

196. Vulgo: *Nisi vincis, et quid* etc. Sed vim nullam habet h. l. *et* conjunctio. Magis conveniret *at*, saepeque hae particulae sunt confusae. Vid. ad Herc. fur. 622. Sed praestat ἀσυνδέτως, more Tragici, illatum *Ecquid*, pro quo alterum fere scribunt librarii.

223. *imperi.* Sic Ascens., recte. Et monet, esse pro *imperii.* Hoc ipsum legitur in vulgatis proculcato quidem metro. MS. Cruser.: *antiqui*, quocum Pontanus comparat *veteris specimen domus* Phoen. 184.

227. *Cujus.* Edd. Fern. Caj. Ascens. Ald.: *Hujus*; nec sane placet iteratum *cujus*, cum praesertim posterius quo referendum sit, tot interjectis nominibus, vix intelligas. Sequente igitur versu illud *Hujus* ponendum puto legendumque:

Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis,
Cujus per omne corpus infuso coma
Dependet auro. Hujus e tergo novi
Aurata reges sceptra Tantalici gerunt;
Possessor hujus regnat; hunc cunctae domus
Fortuna sequitur.

Hiatu, praesertim in fine sententiae et sequente litterâ aspiratâ (*auro.*

*Hujus*), nobilissimi poëtarum non abstinuere, ut haerendum nemini sit in horum versiculorum quarto. Vide notata nobis secundum alios ad Plauti Amph. 341. Quoniam tamen ejus licentiae nullum apud Hunc exemplum reperi, haud nolim sic reponi: — *auro. Tergore ex hujus novi* etc. *Tergore* cum cessisset tritiori *Tergo*, versui prospicientes fecerint primum, verbis transpositis: *Hujus e tergo*, deinde, hiatum vitaturi: *Cujus e tergo*. Praepositionem ne durius collocatam existimes, faciunt similes loci, velut infra 583: Rupe ferventia residens in Aetnae, etc. Versu 3. *infuso* non solum Palatt., sed etiam quadrigae editionum, ut nesciam, in quibus *effuso* esse dicat Gron.

233. *saxeo*, non *sacro*, *pascuum* etiam Fern. et Ascens.

237. *erravit*. Sic omnes libri, neque audiendus Gron., qui ex Florentino reposuit *erravi*, siquidem non Atreus regno pulsus est, sed ab Atreo Thyestes. Cf. infra 297, 405, 923. Sensit hoc etiam Schröderus. Sed restat aliud. Aufugit Argis Thyestes: quomodo igitur h. l. Atreus: per regna exul erravit *mea?* Oeius poëtae redde suam manum: *Per regna trepidus exul erravit. Mea Pars nulla generis tuta ab insidiis vacat*, etc. Thyestem per regna, id est per urbes gentesque exteras (cf. Hippol. 619 ibique Gron.), errasse dicit Atreus, suamque partem generis Pelopei tutam ab insidiis fuisse nullam. Fefellisse videtur librarios, quod infra legitur 289: *Regna nunc sperat mea*.

240. Ita haec distincta in edd. Fern. Asc. Ald. Delr. Primus, puto, P. Scriverius: Domus aegra, dubius sanguis: est certi nihil etc., quem imitati sunt Gron. et Schröd. Sed praestat altera interpunctio.

248. Codd. Delr. et Ald.: impetretur?

249. *in nostrâ* Flor. et Asc., non *nostrâ in*, ut vulgo. Nic. Heinsius propterea, quod brevis sit posterior syllaba in *modo*, legi vult cum Flor. et Ascens. ac Gron.: Si modo in nostra domo. Cf. N. Heinsii Advers. 1, 4.

270. *occupa* etiam unus antiquus Commelini. Vett. edd.: *incipe Dignum Thyeste* etc.

275. Fernandi quoque edit.: *animum gnati i.* p. Cajet.: *an. nati i.* p. Ascens.: *an. mi inspira gnatus, parens.*

276. Fern.: *Soror est, est causa sim.*

289. *Nisi capere*. Flor.: *Ni capere*. Sed satis Huic usitatus proceleusmaticus primâ senarii regione, praesertim ubi magna animi perturbatio est. Med. 670:

*Pavet animus*, horret. Magna pernicies adest.

Tro. 36:

*Prior Hecuba* vidi gravida, nec tacui metus.

Cf. Phoen. 44, 221, 362, Med. 486, Troad. 417, ubi impingit Gron.

290. Fern.: *Hac spe minantis fulminis occurret Jovis.* Voluit *fulmini.*

303. Vulgo: *hinc durus labor.* Sed hinc impelli dicit Thyestem a cupidine regnandi, illinc ab egestate, cui affinis labor est. Ergo legendum: Illinc egestas tristis ac durus labor. Cf. infra 424 seqq. Pro *ac* forte *hac* scriptum fuerit, sicut h littera temere nunc addi nunc omitti solet a librariis; id deinde a correctore male feriato in *hinc* mutatum.

317. Verba *Tacita — vitae malis* Atreo assignat Gron. secundum Florentinum; sed Atreo stat mandata dare filiis suis ad fratrem (vid. supra 295): ergo in eum non cadit dubitatio de illorum fide, cadit in satellitem, quovis modo dissuadentem. Recte itaque, qui huic ista tribuunt; sed iidem male verba *Tacere multis discitur vitae malis* 319. ab Atreo pronuntiari volunt, quae artissime cum superioribus conjungenda sunt, ut in quibus ratio aperiatur, cur pueris, per malam experientiam nondum edoctis, fidem abroget satelles.

320. Alius dixisset: Ipsosne *igitur* etc.; sed Noster, suo more, *ἀσυνδέτως.*

322. *necesse est.* Ita Flor., tertia versus sede posito spondeo, ut decet senarium tragicum. Vulgo: est necesse.

324. Caj. Ascens.: *recedes.*

330. *Eatur.* Id est Ibo, non Ibunt, ut cuidam placet.

333. *occules.* Ita Flor. Ejus lectionis vulgata *occule* est interpretatio. Cf. Herc. Oet. 898.

339. *vos.* Pertinet hoc ad verba *cupidi arcium* 342, quae recte exponit Delrius.

372. *lucidum.* Cod. Flor. *lucidis:* prob. Nic. Heinsio Adv. 1, 4.

388. Concinnius sane fuerit *metuet.*

406. Vulgo: *Tactum* soli natalis, quem tactum quo tandem modo *cernere* se dicat, viderint, qui haec intacta reliquerunt. Legendum: *Tractum* s. n. Vidd. lexica.

416. Fern. Ascens.: *Cum quo datur,* quod haud dubie fuit in autographis vetustis Cum quod datur. Notus enim mos pravus librariorum bis ponendas litteras syllabasve semel perscribentium. *Moveo nolentem gradum.* Similiter Prop. II, 19, 60. Invitis ipse redit pedibus. ubi vid. Intpp.

421. *Quid hoc est?* Vox interdum cum admiratione corripientis: cf. Herc. Oet. 307, 1432, 1441, Hippol. 705.

428. Vett. edd.: *Deflecte,* minus vere: nam a fratre atque regno non *de*flectere solum, sed *re*flectere vult gressum ad labores miseriasque exilii.

442. *Cum possim mori.* Apage interrogandi signum, a Gronovio intrusum, ut hoc scilicet dicat Thyestes: „Ego possim vel sustinear regnare, cum possim rem tam gravem ac molestam vel morte evadere?" Quanto planius rectiusque D. Heinsius, a quo non dissentit Commelinus: „Nihil est mutandum, quod Lipsio videbatur. Quia est rex Stoicorum? Qui mori potest. Quae naenia non minus usitata est Senecae philosopho, quam nota illa Horatiana. Supra (367):

Occurritque suo libens Fato,

de vero rege. (Laudat in eam rem Commel. etiam Agam. 606 seqq.) Plisthenes ergo cum dixisset *potes regnare*, respondet Thyestes: Recte, *cum possim mori.* Obscurius autem et coactius (more Stoicorum: vid. Cic. Parad. 1. princ.): quia in illis *ἀμφιβόλοις* acumen quaerunt. Simile est quod sequitur, et ex eâdem officinâ:

PL. Summa est potestas. TH. nulla, si cupias nihil."

Id est: Nulla potestas, quae vulgo dici solet, summa est, cum nihil cupias, ut nihil cupit Sapiens. Plisthenem enim, cum hoc vel simile quiddam velit *Summa est potestas maxime desiderabilis*, ejusmodi errorum impatiens interrumpit pater. Cf. 470. Ita haec bene omnia cohaerent. Nic. tamen Heinsius Advers. 1, 4 haec: *Summa est potestas nulla, si cupias nihil*, tribuit Thyesti.

449. Haud paulo elegantius sit: O *quanti* bonum est Obstare nulli! Vexant quoque in vulgatâ lectione tria *ὁμοιοτέλευτα* Ferrum, quantum bonum. Mox etiam Fern.: casas.

467. *jungenda.* Continuanda, sicut dies somno. Fallitur Gron.

468. Eadem: *timetur*, ut etiam MS. unus Gruteri et Bernard. Sed ambiguum est, potiorque sine dubio ceterorum librorum lectio *timemur.*

470. *pati.* Docta de hac voce Gronovii disputatio. Sed jampridem Bernardinus verbo: „pati. posse vivere." Cf. Herc. fur. 355.

484. *Tantum potest, quantum odit.* Ita ex vetustis edd., quas contuli, sola Ascens.

490. Vulgo: *Bene cogitata. Perge* etc. Sed Fern.: B. cogitata. *imperge*; Caj.: B. cog. *iperge*, i. e. *i*, *perge.* Venuste, ut intelligamus, postquam dixit Plisthenes *Bene cog. I!* processisse quidem Thyestem, sed statim, quasi dubium, rursus restitisse, sicut antea. Cui filius spei plenissimus: *Perge non dubio gradu!*

491. *clusa.* Ita Cajet. Delr. Scriver. Gron., quem sequitur Schröd. Ceteri: *clausa*; et sic semper. Vid. ad Octav. 684.

504. Flor. marge Basil. Eib.: *sperat*: errore calami sane indigno, qui a Gronovio vulgatae lectioni praeferretur! Quis non cogitat Ho-

rat. carm. IV, 13, 19 quae spirabat amores, Theocr. XVIII, 54 *φιλότητα πνέοντες* etc.?

505. *Adspice* — *Praestetur fides.* Apparet, haec non dici ab Atreo, ut volunt, sed a Thyeste, qui propius propiusque illi venit, jamque prior fratrem compellat, sicut decet obnoxium. Supplicis ac lugentis sunt squalor et moesti vultus et foeda barba. Quid haec ad Atreum? Ille quidem infra 524: *Squalidam vestem exue,* — *Laetusque* fraterni imperi Capesse partem. Et Thyestes in iis, quae hic reponit: Regiam capitis notam *Squalor* recusat noster. Legendum quoque *Praestetur fides* secundum Flor., Delrianos septem, Fern. Bernard. Cajet. Ascens. Ald. Thyestes postquam supplicem atque ex animo lugentem advenire se ostendit, Atreum vicissim jubet praestare fidem, promissam sibi ab ejus filiis, et inprimis amorem, de quo illi dixerant, exhibere potius quam iram vix tectam. Cf. supra 416, 425, 431 seqq., 471 seqq. 504. Vulgatum a Grutero, Scriverio, Gronovio, aliisque *Praestatur fides*, ad utrum referas, friget.

518. *intactae.* Fern.: junctae, sicut Herbipolens. et Venetae. Ascens.: injunctae. Ald.: intactae. Fabric.: injectae. Cf., si tanti est, Delr. et Gruter.

526. Fern. et Caj.: *Quales mei sunt laetusque* etc.

539. *Tua jam.* Fern.: Jam tua, voce *tua*, quae gravissima est, sub ictu positâ; quod satis placet.

571. *noctis.* Sic etiam ed. Fern. Eadem et Ascens. mox: *Quod rapax hausit.* Vid. Commel.

604. *et moventes Cuncta divinat metuitque casus Mobiles rerum.* Jos. Scaliger: „Divinat," inquit, „casus moventes cuncta, et ipsos vicissim mobiles." Sed recte *mobiles rerum casus moventes* Gruterus vituperat, cui propter id vellendae minime erant aures. Neminem videre, non *casus* movere cuncta dici ex sententiâ Stoïcorum, sed deos, et distinguendum esse post *divinat*! Cic. De Nat. deor. 2, 1: „Omnino dividunt nostri [Stoïci] totam istam de diis immortalibus quaestionem in partes quatuor. Primum docent esse deos; deinde, quales sint; tum, *mundum ab his administrari;* postremo, consulere eos rebus humanis." Et ibid. 3, 39: „Stoïci dicere solent, nihil esse, quod deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo: ut enim hominum membra nullâ contentione mente ipsâ ac voluntate moveantur, sic *numine deorum omnia* fingi, *moveri*, mutarique posse. — *Materiam enim rerum*, ex quâ et in quâ omnia sint, *totam esse flexibilem et commutabilem*" etc. Cf., Gronovio laudatam, ipsius Nostri epist. 94.

616. *lapsis.* Flor.: laesis, quod fortasse fuit *lassis*. Vid. ad Herc. fur. 1250. Ald.: lapsus.

620. *posset.* Ita edd. Fern. et Ascens. Recte: nam res praeterita hic agitur. Vulgo *possit*, errore tralaticio.

633. Fern.: *illud.*

641. Vulgo *Pelopeae*, refragante metro: vid. supra ad 22. Graeca sunt *Πελόπειοι*, *Πελόπειοι*, *Πελοπήϊοι*. Cf. Agam. 7, ubi recte omnes *Pelopiae.*

661. *Victaeque* —. Flor. *vitaeque.* Vnde fecit Nic. Heinsius Advers. 1, 4. *Fultaeque.*

674. *Micare flammâ silvâ.* Malim numero magis tragico: *Mic. silvâ fl.* Vid. ad Herc. fur. 592. Vulgatum *igne* versu sequ. eodem nomine reprehendendum est (et extabat *igni* in vet. libro Commelini), nec placet ὁμοιοτέλευτον sine *igne.* Saepe.

688. Vulgo: *Tangensve salsâ victimam culter molâ.* Sed pendent verba *salsâ molâ*, ut non dubitaverim recipere Eguiani libri apud Delrium et editionum Herbipolens. et Cajet. lectionem *fusâ.* Τὸ *salsâ* ex interpretatione haud dubie irrepsit. J. F. Gronovius in schedis Dietz.: „An: *T. salsa victimam et cultrum mola?* Est primus casus."

725. *percussa.* Non male Nic. Heins. Advers. 1, 4. *percusso.*

727. *Adicitque.* Vid. ad Phoen. 426.

730. *Puerone parcit?* G. Fabricius: „Filii Thyestis, quos ei frater apposuit, tres fuerunt: unde alibi (Agam. 26): *liberis plenus tribus In me sepultis.* (Cf. etiam infra 1023.) Tragicus eorum nomina dicit fuisse Tantalum et Plisthenem, tertium nomine non exprimit, quem et Hyginus omittit. Tres itidem recenset Interpres Euripidis (ad Orest. 813), sed aliis nominibus, Aglaum, Orchomenum, Caleum."

752. *sub hoc.* Quod jam dicturus est Nuntius: *Pater insepultos spectet.* Sic passim Οὗτος et Hic ad sequentia referuntur, quod fugisse videtur h. l. interpretes, utpote plene distinguentes post *solet*, praeter Delrium. Cf. infra 1110, Phoen. 514, 527 etc.

760. *divisum.* Fern.: *divisi*, quod spectat ad obsoletam lectionem *divisim.* Excogitasse hanc videntur, qui ταυτολογικῶς dictum putarent *divisum secat in membra* corpus. Sed divisum corpus dicitur, cui caput amputatum est. Vid. supra 727.

767. *Candente.* Ita Flor. Vulgo: *Querente.* Sed satis ejusmodi fictionum h. l. *Est modus in rebus.*

770. Vulgo *Stridet*, quod minus placet ob praegressum similis terminationis verbum *ardet.* Saepissime i et e litterae propter similitudinem confusae.

771. *Nec facile dicam, corpora an flammae gemant. Gemuere.* Jac. Gron. in sched. Dietz.: „MS. (Flor.): *flammae gemant? Gemuere.* Eleganter: primo dicit dubitationem, quae sequitur id, quod

postea dicit: quasi post dictum *gemant* in mentem venerit, potuisse aliquem non fuisse credulum: ergo affirmat. Ovidius de Progne et Philomela: Pennis pendere putares: Pendebant pennis. Herc. Oet. 833, Hippol. 1267, Phoen. 427 cum not. (J. F. Gronovii.), ubi vid. D. Heinsius. (At is nihil ibi, quod ad rem faciat, sed adhaerens falsae lectioni *atque etiam furit* tragicum ejusque laudatorem Lipsium male exagitat.) Thyest. 714, Agam. 526, Oedip. 382 et sequ., Ovid. Met. 9, 37: captat, aut captare putes." Sic etiam MS. Mogunt. apud Delrium, illoque teste omnes excusi, quorum quidem in Fern. Cajet. Ascens. Ald. ita legi ipse expertus sum. Solus, quod sciam, liber MS. Cruser., a Pontano usurpatus: *Nec facile dicam, corpora an flammae magis Gemuere*, in quâ lectione etsi indicativus illatus pro subjunctivo videri potest per hellenismum, de quo cf. Vechneri Hellenolex. 1, 2, 36, tamen a glossatore profectam eam puto, quâ offensus etiam J. F. Gronovius legendum suspicabatur: *corpora an flammas magis Gemuisse.* Locis similibus addas licet Ovid. Met. 781: Visa dea est movisse suas, et moverat, aras. *Piceos* ex cod. Flor. reposui cum Nic. Heinsio Advers. 1, 4. et Viro docto in Misc. Observatt. Nov. Tom. I. p. 131, qui sic legendum putat:

corpora, an flammae magis.
Gemat ira. Piceos etc.

Antea: *Piceus.*

774. Vett. edd.: *levat*, quod planius.

783. *Thyesta.* Malim *Thyeste*, quia totus Hic e Graecis pendet. Vid. Gron. ad Herc. fur. 334.

818. *Limina.* Sic Flor. Id est limites, fines. Vulgo *Lumina. Nescit.* Aurora, cui jam non orienti Soli, sed occidenti, tradendi sunt atque Oceano mergendi currus et equi. Nihil hic, puto, difficultatis. Malebat tamen Gron. *pontus.*

832. Vulgo haec ita digeruntur:

Deforme *chaos*, iterum terras
Et ——— picti
Sidera ——— tegat,

immisso in medium anapaestum tribracho, sensisque distractis; quae ferenda non esse, supra monui ad Herc. fur. 1134. Infra 882 recte vett. edd., sicut nos, ubi item vulgatae hoc modo:

Sive ex*pulimus.* Abeant questus.
Disc. ——— avidus,
Quisqu. ——— secum
Pereunte mori.

Cf. etiam 963 seqq. etc.

860. *Haemonio.* Ita Fern. Cej. Ald. Recte, cum Theocritus dixerit ὑφ' *Αἵμον.* Vulgo: *Aemonio.*

882. Vid. supra ad 832.

885. *morienta.* Ita MS. Mogunt. in margine, cujus lectionis interpretamentum haud dubie est, quod in vulgatis libris legitur, *pereunte.* Recte; secundum Stoïcos mori dicitur *mundus animans.* Lucilius Balbus, ejus sectae patronus apud Ciceronem De Nat. deor. 2, 11: „Mundi ille fervor purior mobiliorque multo est quam hic noster calor, quo haec, quae nobis nota sunt, retinentur et vigent. Absurdum igitur est dicere, cum homines bestiaeque hoc calore teneantur, et propterea moveantur ac sentiant, mundum esse sine sensu, qui integro et puro eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur; praesertim cum is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio, sed per se ipse moveatur. *Ex quo efficitur, animantem esse mundum.*" Statius Silv. 2, 1, 209, laudante Delrio:

*Omnia functa*
Aut *moritura* vides; *obeunt noctesque diesque*
*Astraque*, nec solidis prodest sua machina terris.

Hujus sententiae ignari verbo elegantissimo commune substituerunt.

899. *jacet.* Sic plerique omnes libri, et recte: nam haec *Etiam die* et sequentia usque ad illa *Opus est. Thyeste* uno tenore dicuntur, siquidem discussum it tenebras istas Atreus propterea, quod satis ei secure atque hilare epulatus videtur frater. Gron. et Schröd. nescio quâ auctoritate: *jacet.*

910. *purpurae.* Florentini lectio, non deterior illa vulgata *purpura.*

913. Flor., monente Jac. Gronovio in schedis Dietz.: *Regum* (vel *Regnum*) *atque regem*, sicut *que* et *atque* passim confundi animadvertimus in Vindiciis Ovidianis. Comparat Gron. *ducum ducem* Med. 233.

917. *hoc hoc mensa* praeter Flor. etiam Commelini unus; item Fern. Caj. Ascens. Aldus: *Abscondet hoc mensa*, altero *hoc* forte omisso, ut omitti solent similia. Sed assentior Gronovio.

921. *longis habetata.* MS. Burdigal. apud Delrium: *tantis obsessa.* Sed hoc ex Herc. fur. 1112.

927. *lapsum.* Nic. Heinsius Advers. 1, 4. suadet *lapsis.* Nec male, nisi quod malim *lapsos.* Fatendum certe, id quod observat vir sagacissimus, inconcinnam esse librorum lectionem.

934. *Sed* conjungens h. l. est particula, non adversativa. Vide Heusinger. ad Cic. De Off. 2, 24, 9, nos ad Terent. Heaut. 374, Plaut. Amph. 938.

935. *ac miseri Tempore in omni dimitte notas.* Ita Flor. „Et recte," inquit Jac. Gronovius in schedis Dietz., „quia Senecae res sancta est et sacra miser, et de misero homine, non de tempore, est apodosis sequens: *Proprium hoc miseros sequitur vitium* etc. Cf.

supra 35, Herc. fur. 513, Agam. 495, Herc. Oet. 111." Non multum ad rem faciunt hi loci, neque iis opus ad stabiliendam Etrusci codicis lectionem, quae multo mihi videtur potior vulgatâ *ac miseri Temporis omnes dimitte notas*, non quo perum bene per se hoc dictum putem, sed quod *miserum tempus* nimis simile *saevo fato* in superioribus, neque hujus *nubila* multum differunt ab illius *notis*, cum in lectione Florentinâ praeter fati injurias externas imaginem quoque conspiciamus domestici, ut ita dicam, infortunii, id est hominis se ipsum cruciantis, semperque et in ipsâ fortunâ prosperâ infelicis ac queruli, qualem se nunc esse perperam Thyestes credit. A quo more postquam se revocare frustra studuit:

> *Proprium*, inquit, *hoc miseros sequitur vitium,*
> *Nunquam rebus credere laetis.*
> *Redeat felix fortuna licet,*
> *Tamen adflictos gaudere piget,*

et quae in eandem sententiam sequuntur. His igitur inductus ego rationibus vulgatam loci scripturam primam poëtae manum existimo, Florentini autem alteram atque emendatam, quam silentio praeteriisse J. F. Gronovium, non possum non mirari. Ceterum Bernard: dimitte *moras*.

946. MSS. Commel. et edd. Fern. Ascens.: flore decenti.

956. Friget vulgatum *et*, quod cum non semel pro *eti*, id est *kei*, male scriptum sit in libris vett., ita etiam hoc loco erratum puto.

965. Vulgo:

Fingis ——— praesta
Pectora ——— id est,
Vel ——— times.
Nolo ——— intra
Terror ——— fundunt
Oculi ——— subest.
Dolor ——— lacrimas
Magna vol.

Vid. supra ad 852.

970. *an habet*. Diversa molitur frustra Nic. Heinsius Advers. 1, 4, *an amat*, *an alit*, *an cupit*. Melius, ut opinor, E. F. Wüstemannus, Saxo-Gothanus: *an avet*, ut b et v passim misceri constat; nec rarum est, τὸ n perperam nunc addi, nunc omitti a librariis. Sic Mitscherlich. V. C. Stat. Theb. 7, 11 rescribendum censet: *arma tubasque insatiatas avet* pro vulgato *a. t. i. habet*.

974. *Satias dapis me, nec minus Bacchi tenet*. Ita, vel certe *Saties* etc., quidquid est librorum seu calamis exaratorum, seu typis descriptorum, cum a Gronovianis et Schroederi discesseris, in qui-

bus, nescio utrum editorum prolubio, an (quod magis credo) operarum oscitantiâ, legitur: *Satis* me etc. Optimae notae vox *Satias*, minimeque sollicitanda. *Saties* vulgus editionum, in his quadrigae vetustarum, quas contulimus; sed de ejus formae auctoritate parum constat. Mogunt.: *Satias*.

986. *Nolunt.* Ita Flor. Fortius hoc vulgato *non vult*, idemque verius: nam grandiora pocula gentilia, proptereaque ambabus manibus capienda. Vid. Virgil. Aen. 1, 728.

995. *addidit.* Ita Gron. Egregie. Vulgo *abdidit*, frequente lapsu.

1012—1016. Haec Flor. codicis lectio, quam commemorans probansque Gronovius, nisi quod reponi jubet *huc tuam immani sinu Emitte vallem*, tamen servat haec, quae in vulgatis libris leguntur frigidissima:

Stare circa Tantalum
Avosque nostros, *si quis intra Tartara est*,
Uterque jam debuimus. hinc compagibus
Et hinc revulsis huc tuam immani sinu
Demitte vallem etc.

Gronovius: „Dicit primum meruisse se et fratrem cum avo inter parata aeternum esurire ac sitire. Dein non contentus hac poenâ, infra ipsos inferos vult eosdem amandari. Hic est locus ille imaginarius, quem in Hercule Furente (93) *ultra nocentum exilia*, et (1223) *exilium ulterius Erebo;* in Phoenissis (145) *si quid ultra Tartarum est*, vocat; quo *infra terram deduci* (nam terrae pars inferi) dicit de Clementia 1, 6. ut hinc quoque Senecam agnoscas." *Vallis* h. l. est ipsa tellus in vallem quasi curvata, dum se demittit in locum istum, quem infra Tartarum esse suspicatur commotior Thyestes; neque quidquam novandum puto. De loco isto ultra Tartarum cf. Jac. Gron. ad Phoeniss. 145. Vir doctus Miscell. Obss. nov. To. 1. p. 136. legendum putat:

hinc compagibus
Et hinc revulsis huc luem immani sinu
Demitte talem, nosque etc.

h. e. talem luem, quales nos sumus, in ima detrude Tartara.

1019. *totas.* „Sic omnes libri," inquit Delrius; „sed mallem *igneus tortas.* vel sane *igneus totas* figurate positum pro *igneas totus*, versus causa." Hanc monachi conjecturam non erat quod certatim propagarent Scriverius, Gronovius, Schroederus, et qui hos sequuntur. Recte Gruterus: „*totas* positum pro *cunctas*, *omnes.* nec quidquam auctoribus frequentius; etiam huic nostro. si *tostas* aut *tortas* recipimus, minus dixerit auctor quam voluit."

1020. *Exitia.* Gron.: „Puto *Exilia*, ut in Hercule Furente. Poenalem locum."

1041. *potui.* Sic legendum esse vidit Gron. Libri: *potuit.* Prima et tertia personae singul. perfectorum saepissime confunduntur. Vid. etiam ad Phoen. 552.

1043. *fugam.* Sic, non *viam*, ut vulgo, membranae Flor. Gron. supra ad 629: „*Fuga* huic auctori quaevis velox itio. Habet compluries in Natural. Quaestionibus." Quod exemplis probat ad hunc locum. Sed ita non solus Noster. Nota res vel ex Nonio. Cf. et Statii Theb. 6, 401. 558. 592. 597.

1045. *detur via.* Sic item Flor. Vulgo: *demus viam.*

1047. *Contusa* etiam Eguianus liber apud Delr. Verba *Sustine, infelix, manum: Parcamus umbris* vulgo continuantur sub Thyestis personâ; credo quia τὸ *infelix* interpretabantur *infortunate,* eamque fratris appellationem, quae commiserantis esse videretur, a diro Atrei animo abhorrere existimabant. Sed *infelix* h. l. sonat malum seu scelestum. Plautus Cist. 4, 2, 17: ilicet me *infelicem et scelestam!* Terent. Phorm. 2, 3, 80:

> Itane es paratus facere me advorsum omnia,
> *Infelix?*

ad quem locum Guietus: „*Infelix* utrumque et sceleratum et miserum significat, ut et *Scelestus.* Horatius (Od. 2, 4, 17): Crede, non illam tibi de *scelesta* plebe delectam" etc. Imitatione id Graecorum, qui sic δύστηνος, μέλεος et similia usurpant; quam rem fusius explicat Ruhnken. Epist. crit. pag. 139. Dan. Heinsius ad hunc locum: „In libro," inquit, „MS. haec (verba *Sustine — umbris*) Atreo tribuebantur. Optime supra fidem. Thyestes prae doloris impatientiâ cum dari sibi gladium a fratre petiisset, quo suorum, saltem funeri, qui in patre sepulti erant, viam faceret simulque vitam eriperet sibi, crudelis iste sarcastice: Miser, inquit, cave id faxis. Parce liberorum umbris. Ne tu manes eorum turbaveris, qui in isto sepulcro tam placide quiescunt. Plane ἠθικεύεται. Neque quidquam magis pro Atreo in hoc dramate. Quid ad haec vulgata?" Ita vir summus, rectissime, nisi quod jam non gladium sibi dari voluit Thyestes, sed eo negato contusum it pectus, ut in planctu facere solebant. Quod impediens ista dicit Atreus per σαρκασμόν: nam serio credere Thyestem, planctu offendi suo filiorum animas, non est quod credamus.

1052. *Sceleris est aliquis modus.* Haec non est interrogatio, ut volunt; est sententia, quam simili pensat Atreus.

1056. *Diffundere ora debuit* ex etruscis membranis arcessit Nic. Heinsius ad Ovid. Epp. 8, 61.

1060. MSS. nonnulli Commel.: *corpori.*

1085. Vulgo: *haec* arma. Sed recte Gruterus, Scaligerum secutus: „Legerim potius — *hâc* arma, ut pendeat a manu, de quâ supra mentio.“ Istud *haec* frigidissimum.

1096. *scelera.* Ascens. et Ald.: *secla.* *Immersa* coniecit Nic. Heinsius Advers. 1, 4.

1100. *reddô* Fern. Caj. Ald.

1104. Vulgo continue: *Quid conjugales?* id est: Cur conjugales? quod ineptum. Sentiens id haud dubie Jacobus Gronovius in schedis Dietz.: „An: *Quid? conjugales?*“ Rectissime, et miror, eundem tamen legi jubere secundum Nic. Heinsium l. l.: *Quin conjugales?* id est: Cur non conjug.? quasi certo sciat Atreus, non dici a fratre conjugales deos; id quod scire nequit. Sed *Quid? conjugales?* sciscitantis est per ironiam, an eos intelligat. Et hoc aptum. Vid. ad Herc. fur. 1194.

1106. Vulgo: *tangit.* Sed Flor.: *hauseris*, *angit.* Probat Nic. Heinsius l. l. Videntur id mutasse, qui nescirent, non futurorum modo subjunctivi, sed etiam perfectorum personas secundas singularis numeri extremâ syllabâ longâ ante vocalem saepius inveniri. Herc. fur. 463:

Quemcunque miserum videris, hominem scias.

1113. *liberis.* Eorum umbris, quae te persequentur propterea, quod comesis abs te corporibus justo sepulcro carent, neque ab Inferis recipiuntur. Res nota. Vidd. interpp. ad Horat. Od. 1, 28, Virg. Aen. 4, 620 etc.

# ANNOTATIONES
## IN PHOENISSAS.

Vers. 2. Non immerito Florenti Christiano displicebat repetitio Coeci *parentis*, fessi *patris*, infaustum *patrem*. Neque haec Gronovius concoxit, sed justo confidentior est, cum pro certo affirmat dedisse Nostrum *et fessi unicum Lateris levamen*. Legendum puto:

Coeci parentis regimen ac fessi unicum
*Fratris* levamen, gnata, quam tanti est mihi
Genuisse vel sic, deserere infaustum *parum*.

Pater idem ac frater Antigonae et liberorum suorum Oedipus, idque illud est, quo maxime pungitur cum in hâc tum aliis scriptis de eo fabulis. Eo pertinent, quae hoc ipso loco leguntur, verba *quam tanti est mihi genuisse vel sic*; eo, quae infra 134:

Avi gener patrisque rivalis sui,
*Frater* suorum liberûm, et fratrum *parens*,

plane ut hic, si recte divinavi, et quae porro his similia. Scriptum puto gliscente depravatione: *Phratris*, *Phatris*, *Patris*, quemadmodum F Ph et P misceri norunt codicum gnari. Cf. nos in Vindiciis Ovid. Vicina quoque *parum* et *patrem*, quae confusa mihi videntur in sequentibus. Infra 89: Unica Oedipodae est salus Non esse salvum. Et 143: sceleri haec meo *Parum alta nox est*. Et 167:

—— *Non* ego hoc tantum scelus
Ullâ expiari credidi poenâ *satis*
Unquam, *nec* istâ morte *contentus fui* etc.

13. *quâ peragrati celer Per saxa montis jacuit Actaeon*. Ita quadrigae editionum, quas adhibui, vetustarum. Vulgo: q. *peragrato* c. P. s. *monte* etc., quasi montem Actaeon peragrasset, et deinde in nescio quibus saxis a canibus suis laceratus concidisset, qui in ipso illo monte, quem peragraverat, id est in quo venatus erat, vitam finivit. Ovidius Met. 3, 225:

Ea turba (canum) cupidine praedae
Per rupes scopulosque adituque carentia *saxa*,
Quâ via difficilis, quâque est via nulla, feruntur.
*Ille fugit per quae fuerat loca saepe secutus.*
——— ——— ———

Tardius exierant, sed per compendia *montis*
Anticipata via est. Dominum retinentibus illis
Cetera turba coït, confertque in corpore dentes.
Jam loca vulneribus desunt. Gemit ille, sonumque
Etsi non hominis, quem non tamen edere possit
Cervus, habet, *moestisque replet juga nota querelis.*

Accedit metri ratio, de quâ vid. ad Herc. fur. 592.

22.

Vel quâ alta maris vertice immenso premit
*Inoa* rupes, quâ scelus fugiens *suum*,
Novumque faciens, mater insiluit freto etc.

Sic edidit Gronovius, cum in vulgatis libris invenisset *Inoque praeceps*, quâ scelus f. s., et in Florentino *Minor rupes*, quâ s. f. s. Sed cur, quaeso, *Inoa*? cur non *Minora*, quod scripturae optimi codicis tam vicinum, quam quod maxime? Sane sic legendum, ut *alta* ad *rupes* referatur, mariaque, dignâ hoc poëtâ hyperbole, dicantur *minora* istâ rupe, *id est* minus immensa sive ingentia. Mater quae intelligeretur, etiam suppresso nomine haud minus hic patebat quam supra 17. 67:

Hic alta rupes arduo surgit jugo,
Spectatque longe spatia subjecti maris.

Sed hâc emendatione non defungimur: curandum etiam istud *suum*, quod merito Gronovius improbans audacissimâ conjecturâ reponi jussit *viri*. Imo *ferum*, quae vocabula saepius misceri in MSS. tot exemplis ab interpretibus Metamorphoseon nobisque in Vindiciis Ovid. prolatis constat. *Ferum* fuit, si quod aliud, scelus Athamantis, filium occisuri. Troad. 1057:

Quod tam *ferum*, tam triste, bis quinis *scelus*
Mars vidit annis?

Et sic passim.

30. Male vulgatae edd.: *Quid moror sedes meas? Mortem, Cithaeron, redde* etc. Et *Mortem* quidem pro *Montem*, codici Etrusco et Florenti Christiano perperam obsecutus, excudi jussit Gronovius. Sed prava ista interpunctio libros, quos evolvi, deturpat omnes praeter editionem Fernandi principem, quae recte: quid moror? Sedes meas Montem, Cithaeron, redde etc. Ovidius Metam. 13, 516:

— — Quo ferrea resto,
*Quid*ve *moror*? quo me servas, damnosa senectus?

Horatius Od. 2, 17, 5:

Ah, te meae si partem animae rapit
Maturior vis, *quid moror* altera?

*Sedes meas montem*, ut supra 12.:

Ibo, ibo, quâ praerupta protendit juga
*Meus* Cithaeron.

Nec tamen videre se ait vir summus, quam belle mons Cithaeron hic jubeatur reddere montem. At, qui hic compellatur, Cithaeron deus est montis cognominis, quemadmodum habetur apud Nasonem Met. 11, 156. Tmolus, sub quo judice Apollinem et Panem de praestantiâ cantus certasse dicit. Is deus quid potius, quid aliud, det cuipiam vel reddat quam montem suum? Eum igitur montem reposcit Cithaeronem deum Oedipus, utpote sedes a patre sibi destinatas, hospitiumque, quo acceptus olim fuerit, et in quo mori cupiat certe senex, cum infanti non licuerit.

36. Durius est, viventem *cadaver* sese vocare Oedipum. Quare malim: Olim jam tuum est *hic* cadaver; *hic*, ego, sicut passim. Quanquam cf. infra 94 sequ.

39. Friget repetitum sine emphasi *quid tenes?* Fuit, ut opinor, *quid times?* Sane timens retinebat patrem Antigone. Cui ille, usurpatâ argutiâ non sine σαρκασμῷ: Quid times? Genitor me meus vocat. Quid a *genitore* timeas?

42. Dilucide Ald., non *manes*, quemadmodum fere libri vett., sed recte: *inanes*, ut non fuerit, quod de hâc lectione, tanquam ab se excogitatâ, jactaret se Delrius. Quanquam Aldinam ille non habuit ad manum.

43. Adposite Dan. Heinsius comparat istud Aeschyli in Choëphoris: Ὑμεῖς μὲν οὐχ ὁρᾶτε τάσδ', ἐγὼ δ' ὁρῶ.

46. Ita Grotius in margine libri sui. Putide vulgati:

Omitte poenas languidas longae morae.

47. *admitte*. Hoc fuit in Lipsiano libro et uno Commeliniano. „Florentinus," inquit Gronovius, „habet utrumque: *Mortemque totam recipe admitte quid segnis traho*. Unde apparet hanc varietatem esse antiquissimam." Sic est, sed τὸ *admitte* praetulit etiam Etruscus librarius, si quidem vera sunt, quae disputavi ad Herc. fur. 1064. Et minuit ea lectio numerum versuum ληκυθείων.

48. Vulgo: *Quid segnis traho? Quid vivo?* in quibus quid sibi velit *traho*, nemo exputet. Recte Gron.: „Scribe unâ literâ et distinctione mutatâ: *Quid segnis traho, Quod vivo?* hoc est, quam partem aut illud quatenus vivo. Quid parte mei praemortuâ reliquam partem vivam segnis traho? Sic infra (113): *et in cineres dabo Hoc quicquid in me vivit*. Et infra (170): *Nec me redemi parte: membratim tibi Volui perire*. Eodem sensu placuerat Nic. Heinsio: *Quo vivo?*"

62. *diligam invitum patrem*. Vulgati libri: dirigam invitum gradum. Flor.: d. inviti g. Sed Lipsianus: d. invitum patrem, unde,

offensus ταυτολογικοῖς *regam dirigam*, Florens Christ. fecit *diligam invitum patrem*. Egregie, quidquid obloquitur monachus Lovaniensis, quasi scilicet *diligi* se ab Antigone Oedipus haud nolit. At ipso regendo diligebat eum, comitabatur invitum amans. Sed ita solet iste Commentator: trita et aperta ad taedium usque explicat; subtilia et paulo obscuriora non assequitur; quem nollem ita laudasse Gruterum supra ad 44, ut eo neminem Criticorum melius concoxisse tragicum affirmaret. „Quod judicium ejus," inquam cum Dan. Heinsio in Prolegom. ad hanc fabulam, „ut sequamur, non est metuendum: neque enim prorsus omni caremus."

63. *adpetis.* Ita Flor. Vulgo: *expetis.* Vid. de hisce interrogationibus, quae nos ad Herc. fur. 577.

78. Quomodo *victas*, quae vincendae sunt? Malim *Junctas*, communes mihi tecum.

79. *tantis in malis vinci mori est.* Id est: mori in tantis malis est vinci. Quare fac resistas, ne victus videare. Infra 190:

Non est, ut putas, virtus, pater,
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere ac retro dare.

82. *aliquis est ex me pius.* Vulgo haec interrogantur, quasi dubitante Oedipo, plane sit necne filia, quam collaudat ob pietatem. Cf. 310. Sed nusquam saepius erratur quam in interpunctione, quae in plerisque libris vett. fere nulla est, in recentioribus autem pro arbitrio facta editorum.

112. Libri vulgares: *Erectam ad ignes funebrem ascendam struem.* Flor.: *Herebo ad ignes funebre escendam strueni.* Ex his minimâ mutatione feci: *Haerebo ad ignes, funebrem escendens struem*, usurpato praesentis temporis participio pro praeteriti, ut quod inusitatum sit in hoc verbo, cum id licere doceat Priscianus loco laudato ad Herc. fur. 1182. Possis tamen etiam: funebrem *escendi ut* struem, id est postquam. Vel audaciore conjecturâ: *Haerebo? tu adiges. Funebrem escendam struem* etc. Id est: Si forte dubius haerebo, ignes timens, tu me adiges. Utut erit, sive sponte, sive abs te adactus, escendam rogum. Istud *Erectam* vulgatorum librorum conflatum ex *Erebotu* videri possit, b littera forte versâ, ut fieret *Eredo*, mox *Erecto*, vel *Erecta*, et pro *tu* primum *iu* vel *in* scripto per errorem, deinde m, et junctis vocabulis *Erectam*, quemadmodum et litterae passim versae deprehenduntur in MSS., et litterarum ductus cum formâ tum numero similes misceri solent. Nam de h litterâ temere nunc additâ nunc omissâ in libris, et de e pro ae scribentibus quibusdam aevi medii seculis, nota res in vulgus, nobisque passim animadversa in his notis. Dedi au-

tem hoc loco, quod certe intelligeretur, cum praesertim prope abesset a scripturâ optimi codicis: nam vulgata barbara et sensu cassa. Nic. Heinsius Advers. 1, 4. em. *praeibo* vel *properabo.*

116. *curva,* MSS. fere *torva*, sed Vossianus melior *corva*, quod fuisse *curva* recte suspicatur Gronovius, laudans in hanc rem Nasonis illud:

Fluminaque *obliquis* cinxit declivia ripis.

Idem Amor. 1, 8, 6:

Inque caput liquidas arte *recurvat* aquas.

Virgilius Aen. 5, 765 *procurva littora* etc. Saepe autem c et t, u et o, litterae commixtae. Maluit tamen Lipsius nec non Nic. Heinsius Advers. l. l., qui audacius iusto locum mutat, non emendat, *torta*, quod vulgo nunc legitur.

126. *scatet.* Conjectura haec Gronovii, quam certam puto. Vulgo: *latet.* Sed recte Jos. Scaliger: „De Dirce latente fabulae et somnia. Quis unquam legit Dircen fontem in quodam nemore latuisse, qui fons usibus vulgi palam expositus erat? Nam de quodam fluvio potest dici ejus caput latere, fluvium autem ex quodam specu emergere; de fonte non potest, quia parvis terminis circumscriptus."

132. *committens.* Mogunt. *connectens*, quae interpretatio.

145. *Et si quid ultra Tartarum est.* Jac. Gronovius in schedis Dietz.: „Infra Tartara est Pyriphlegethon ex Socratis ore in Phaedone Platon. p. 83 F, quo allusit auctor." Cf., quae ad Thyest. 1012 seqq.

150. *proficiet.* Ita quidquid innotuit librorum seu manu seu typis descriptorum; neque aliter Flor., ut ibidem testatur Jac. Gronovius. Quo magis miror, quâ ratione inductus pater ejus excudi jusserit *perficiet*, quae lectio nunc regnat. Imprudenti, puto, excidit, vel error est operarum.

164. *tabe.* Nic. Heinsius Advers. 1, 5 emendavit: *tabo*, quod rectissimum est: quare reposui.

179. *Minus eruisti lumina audacter tua, Quam praestitisti.* Explicat haec, male ab aliis accepta, Gronovius in Diatribe cap. 49. Et hoc ipso loco: „Non tam," inquit, „fortes fuerunt manus tuae ad eruendos oculos, quam fortis fuit animus ad eos supplicio praestandos et exhibendos. Saepe hoc evenit, ut consilium sit fortius executione. Ita Leonidas hortatur Spartanos apud Justinum, *caverent, ne fortius mansisse quam dimicasse viderentur.* Repraesentatur hoc etiam in Oedipo: *Oculique vix se sedibus retinent suis.* Et rursus: *at contra truces Oculi steterunt, et suam intenti manum Ultro insequuntur, vulneri occurrunt suo.* hoc est, audacter se praestant. Sic de Vulteji militibus Lucanus lib. 4. *percussum est pectore ferrum, Et jugulis pressere manum.* — *Praestare*, ut

epist. 4.: *C. Caesar jussit Lepidum Dextro tribuno praebere cervicem, ipse Chaereae praestitit.* Epist. 40. *intenta securi subjectam praestantibus caput.* M. Seneca controv. 24. *Est quaedam proxima innocentiae verecundia praebere se legibus.*"

181. *coepi.* Ita MSS. vel *coepit.* Gron. secundum Grotium: *quae coepit mori.* Alii: *coepsti* contractione Nostro minime usitatâ, et cui dissimilia sunt, quae elisi vocalis i exempla protuli ad Herc. fur. 49. Non inelegans etiam altera librorum lectio *quâ coepit mori,* i. e. quâ coepit mors, quomodo apud Plautum Bacch. 124 *vereri* dicitur pro verecundiâ, et Curc. 28 *amare* pro amore, Graecorum consuetudine verbum proprie dictum pro nomine usurpantium, de quâ consuetudine plura Vechnerus Hellenolex. 1, 2, 10; nisi quod abesse tunc posset salvâ sententiâ *τὸ mori.*

184. *speciem.* Ita Flor., teste Jac. Gronovio in schedis Dietzianis. Id est: dignitatem, quomodo (alios ne commemorem) *speciem principatûs* dixit Suetonius Calig. 22. Vulgo, errore tralaticio: *specimen,* quod cum neque Vindocino critico satis placuisset, parum bene defenditur a Lovaniensi.

186. Similiora *tempus* et *mora,* quam quae ita distinguantur. Certe scribendum, usurpatâ figurâ, quae dicitur *ἓν διὰ δυοῖν,* *tempore atque ipsâ morâ,* quemadmodum voculae *ac, at, aut, et,* confundi solent; id est *temporis ipsâ morâ.* Sed videndum de sententiâ. Magnumne est, fractas ipso tempore iras placide ferre? Minime. An igitur legendum *temporum haud ipsâ morâ fractas?* Viderint sagaciores.

195. *cui deo nullo est opus.* Apposite Gron.: „Sic in Troadibus (420) Andromache respiciens Astyanacta: *cogit hic aliquid deos Adhuc rogare.* Ergo *cui deo nullo est opus*" (quae lectio Florentina) „est, qui nihil habet, quod roget deos, qui cum spe et votis transegit."

196. Recte Scaliger: „*Capere mortem* et *petere mortem* manifesto discrepant. Alterum in fatorum, alterum in nostra potestate situm: ut optare mortem, et mortem sibi consciscere. Tam mehercule differunt, quam votum et potestas. Mortem petere est obire. Non omnes, qui moriuntur, optant, aut contra. Virgilius:

— *pulcramque petunt per vulnera mortem.*" —

Pertinet hoc ad Lipsii conjecturam *Quare ille mortem fugiat.* Cf. etiam Commel. Gron. Delr., et infra 304, ubi similiter composita *leti viam quaero* et *Mori propero.*

207. Vulgo: *ad infernas.* Jac. Gronovius in schedis Dietz.: „Flor.: *in infernas.* Tr. 298: quando *in* inferias homo est Impensus homini? Herc. Oet. 679: Ipsa *in* penates regios gressus feram. 1691:

Nullasne *in* astra misit ad Superos preces? Herc. fur. 942: agitque *in* ortus.“ Cf. annotata ad Agam. 12.

210. *perît.* Edd. vett. nobis visae: *perit*, id est *perît.* Vulgo *periit*, obstante metro. Vid. ad Herc. fur. 49.

229. *sensum tui.* Jac. Gron. in schedis Dietz.: „Flor.: s. *tacui.* Sed postea mutatum. Fort.: s. *ah tui.*“ Vid. ad Troad. 378.

233. *Donastis.* Ita Flor. Gron.: „*Donare* idem interdum est quod gratiam facere, remittere, concedere ne cui quid obveniat, occurrat, accidat, ne quid sustinere ac perferre necesse habeat. Ut *donare metum* Lucio vindicavimus; ut Marco *Dono quod indicaverim.* Vid. et ad vers. 456 et lib. 3. Observ. 23.“ Usitatius hoc sensu *Condonare.* Cf. Med. 1004.

234. Ascens.: *Haud* mitto, et mox Et *ingeni.*

240. *eripuit* etiam unus Commel.

243. *Et esse par quae poterit?* Id est: Sed esse p. q. p.? quemadmodum simplices conjunctiones adversari interdum volunt viri docti. Tacitus Hist. 5, 7 extr.: Modicum id littus, et egerentibus inexhaustum. Quo loco novissimi doctissimique editores, in his Gabr. Broterius: *sed* egerentibus inexhaustum. Phaedrus Fab. 1, 3:

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suo*que* potius habitu vitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.

Ubi Bentlejus: „Illud *Que*,“ inquit, „perinde hic fuerit ac *Sed*, *At*, *Verum.* Recte Meursius: Suo *quin* potius etc. Terent. Ad. 2, 2, 14:

Verum ego nunquam tam astutus fui,
*Quin*, quidquid possem, auferre mallem potius in praesentia.

Haec scripseram, cum in Nilant. Scriptore animadverti Fab. 36: Ne libeat gloriari bonis alienis; suis *quin* potius vivere malle.“ Vidd. etiam J. M. Heusinger. ad eum Phaedri locum, et Columell. 5, 8; laudatus Horatio Tursellino in libro De Partic. lat. orat. v. Que. Nihilominus *At* vel *Sed* longe quam *Et* usitatiora in occupationibus, saepissimeque cum hoc confusa, ut merito dubitare mihi videar; an non legendum potius sit: *At* (vel *Sed*) esse [illegible]. Mox Fern.: *proco quis.*

261. Sic Ascensiana. Vulgatae: Hoc *alia* pietas, quasi aliquam vel *εἰρωνικῶς* pietatem dixisset in superioribus, qui plane dixit, *impia* se nece patrem occidisse. Apage tales *εἰρωνείας*, quas nemo intelligat, nedum probet.

271. *sceleris.* Ita Flor., eleganter, utpote quo recepto *ὁμοιοτέλευτον*, et quidem in litterâ mugiente (*parum scelorum:* nam sic alibi) abstergas.

274. *possint.* Ita Ortelianus liber apud Raphel. Ascens. Ald. *possunt.* Vulgo: *possent*, turbatâ consecutione temporum.

276. *aliis.* Ita Flor., teste Jac. Gronovio in schedis Dietz. Vulgo: *alias*, minus quidem eleganter.

304. *maturam.* Sic item Flor., teste ibidem Jac. Gronovio, qui confert Oed. 72: matura poscens fata; Troad. 600: Me fata maturo exitu Facilique solvant; Hippol. 857: Haec ipsa letum causa maturum attulit. Ceterum exquisitum est *leti matura via*, vulgare *leti maturi via*, ut hoc illi adscriptum ab interprete esse videatur.

315. *volvens.* Duo Commeliniani et ex editis Fern. Cajet. Ascens.: *solvens.* Scriptum haud dubie initio *ſolvens*, dein *solvens*, quemadmodum v f s litterae miscentur.

319. Versus imperfectus, quales et alibi reperiuntur; id quod nesciverint, qui hunc versum cum sequente, omissis verbis *Exemplum in ingens*, quae optimae notae, in unum perperam conjunxere. Vid. ad Thyest. 101.

327. *nefas.* Flor.: *scelus*, siquidem habenda fides est Jacobo Gronovio in schedis Dietz. ad Troad. 686.

330. *juris et amoris pii.* Similiter 295:

Illis *parentis* ullus aut *aequi* est amor.

Et pertinet *jus* ad *scelera*, *amor* ad *sanguinem carum* in superioribus. Nihil igitur mutandum.

334. *cara.* Sic Flor.: nam vulgo *clara*, quod sequente *generosam* friget. Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „Fl.: cara. Hippol. 1247 (Huc huc reliquias vehite *cari* conjugis), Med. 945 (Huc, *cara* proles etc.)." Vid. ad Herc. Oet. 1453.

339. Sic Ascens., quemadmodum *Aut* et *Haud* confundi solent; nam vulgo: *Haud* usitato, quod tulissem, nisi similioris potestatis essent *scelus leve* et *scelus usitatum*, quam de quibus tanta emphasi singillatim dicas potius quam conjuncte. Turbaverit igitur et hoc loco, ut sexcenties alibi, h littera male addita a librariis.

342.

Miscete *cuncta*, rapite in exitium *omnia.*

Quis haec ferat conjuncta, et quidem ita, ut fortius vocabulum *cuncta* praecedat debilius *omnia* per anticlimacem, cui figurae locus hic nullus? Legendum puto: Miscete *junctim*, rapide in exitium, *omnia*, ut τὸ *omnia* ad utrumque verbum, *miscete* et *rapite*, referatur, filiique sine intervallo haec agere jubeantur, quo augetur rei atrocitas. Digna autem Senecâ Manilii vox et Suetonii. Sed etiam Apulejus Florid. 2. non longe ab initio: „Quae utinam possem equidem non singillatim ac discretim, sed *cunctim* et coacervatim tibi — offerre;"

quo loco item reponendum censeo: *junctim* et *coacervatim*, siquidem τὸ *cunctim* nescio an sit κακοῦ κόμματος.

343. *Disjicite.* Vulgo: Dejicite. Gron.: „*Dissicite.* Significat *Disjicite.* Virg. 8. Aen.: *duo praeterea disjectis oppida muris.* Ovid. lib. 12.: *vel cum Lyrnesia primum Moenia disjeci.* Ubi etiam quidam codd. *dejeci.*“ Rectius autem *Disjicere* in muris; in turribus rebusque altioribus quam latioribus alterum praestaret.

347.

ANT. Mitte violentum impetum

Doloris, *ac* te publica exorent mala,

Auctor*que* placidae liberis pacis veni.

Putidum polysyndeton et a Nostri ingenio abhorrens. Accedit, quod ad superiora dicta Oedipi non recte obmutescere Nuncius videtur. Cujus personâ insertâ sic legendum censeo:

NUNT. Mitte violentum impetum

Doloris! ANT. *At* te publica etc.

Sic et infra 403 Nuncii preces suis adjuvat Antigone, manetque ibi quoque homo per totam scenam. Et ita passim; neque insolitum errari in hoc genere apud scriptores dramaticos.

353. 354. Nic. Heinsius Advers. 1, 5:

*Maiusque quam quod casus hic juvenum furor*

*Conatur, aliquid capio.*

De quo cogitandum.

358. Vulgo: *Date arma patri.* Sed recte Gron.: „Quid restat post mutuum fratrum parricidium, quo facinus illud augeatur, *si patri dent arma*? aut qui dabunt, postquam ipsi perierunt? Nam illud *frater in fratrem irruat* non congressionem modo, sed duplicem etiam caedem complectitur.“ Suspicatur itaque Senecam scripsisse *Date arma matri*, quibus ipsa semet interficiat, ut revera incumbens filiorum cadaveribus manum sibi attulerit, secundum Euripidem, Iocasta. Non male haec, nisi quod neque vulgatae lectioni neque a Gronovio mutatae significatio inest mortis, quam vel Oedipus vel Iocasta sibi ipsi consciscant; ut qui armis datis petere etiam alios potuissent; ne dicam, parum credibilem esse illam τοῦ *matri* in *patri* factam nescio quâ de causâ mutationem, cum terribilius pater quam mater, quae minus gravis, certe in hoc dramate, persona, armis istis se percussisset. Nam quod objicit Gronovius, solere in hisce diris observari, ut fingantur ex facto, nihilque dicatur, quod eventu careat: non semper sic poëtae: velut, quod supra facere jubentur Eteocles et Polynices, disjicere atque in planum dare moenia Thebarum, templa destruere, domumque patriam et urbem totam concremare, minime isti neque fecerunt, neque facere potuerunt, ut inter

omnes constat. Rescribendum igitur puto: *Dante arma patre.* Longe haec alterâ lenior medicina, cum *Dāte* (nam sic τὸ *Dante* scribi solet per compendium) maxime sit vicinum vulgato *Date*, e vero et i litterae passim mixtae deprehendantur in MSS. Sententia, si quaeris, jam haec est, ut non perire modo filiorum alterum alterius manu velit iratus senex, sed, si res ad se deferatur, ipse illos suâ patris manu armaturus in mutuam perniciem sit potius quam tam immania scelera interventu suo prohibiturus; id quod tentare illum cupiebant cives. Sane hoc nefas de more Oedipi factum foret, ut idem interfector filiorum dici potuisset, qui patrem mactasset; decuissetque ejus toros, filios incestu procreatos patre ipso auctore se jugulasse.

363. Vulgo:

Felix Agave, facinus horrendum, manu
Qua fecerat, gestavit; (vel,) et spolium tulit
Cruenta nati Maenas in partes dati.

Sed *facinus* quomodo *manu gestetur*, scio cum ignarissimis; neque *gestavit* et *tulit* simul inferri recte arbitror. Legendum censeo:

Felix Agave: facinus horrendum *manus*
*Quum* fecerat, *cessavit*, *ut* spolium etc.

*Manus*, significanter, ut non ipsa, sed manus tantum ejus, peccasse intelligatur. *Cessavit*; ut statim *non ultra suum scelus hoc cucurrit*. *Ut*, postquam. Fern. et Caj.: *Quod* fecerat. C et g litterae saepe confusae. Vid. ad Hipp. 677, et de *et* in *ut* mutato infra ad 450.

366. *sed misera non ultra suum Scelus hoc cucurrit.* Significat, Agaven se intra hoc suum scelus continuisse, neque latius progressam vel fecisse aliquos nocentes, h. e. crimini suo implicuisse, scientem certe (nam per bacchicum furorem haec illi acta), ut Oedipum Iocastam, vel peperisse sceleratos, ut eandem filios. Satis haec plana, ut nesciam, quâ de causâ locum pro desperato habuerit Gronovius. Flor.: *non ultra suo Sceleri occurrit.* Unde Gronovius: „An *occucurrit*? Ut apud Justinum lib. 18: *neve amara admonitio oculis ejus occurrat.*" Sec hoc aeque facile carebimus ac Lipsiano *haec cucurrit*. Nic. Heinsius Advers. 1, 5 em. — ultro suo Sceleri occucurrit.

368. *Feci nocentes.* Lipsius reponens *Feci nocentem*, quia solum Oedipum nocentem fecerit sacrâ mixtione mater, descriptoresque elidi non elidendam litteram censuerint, adstipulatorem invenerat (id quod raro illi contigit ab amico inimicissimo) Delrium. Sed recte Dan. Heinsius: „Nihil istâ numeri mutatione esse ἀνεργέστερον sciunt, qui vel unum auctorem legerunt, aut in istis aures leviter subactas habent. Itaque, si mutes, omnis vis perit, imo languet. Illustre est illud Sophoclis, quod Rhetores notant,

— — *κἀπεδείξατο*
*Πατέρας, ἀδελφοὺς, παῖδας, αἷμ' ἐμφύλιον,*
*Νύμφας, γυναῖκας, μητέρας.*

*Πατέρες* de solo Oedipode, *μητέρες* de Iocasta. Nihil est tritius. Sed vis maxima est. Et hoc naturalis sermo nos docet." Vid. ad Troad. 259, Med. 278.

370. *Posuit nives.* *Poni* eleganter usurpatur in iis, quae coelo delabuntur, ut nives, pruinae, rores. Vid. Broukhus. ad Propert. 1, 8, 7.

375. Vulgo: Isthmon. J. F. Gron.: „Livius," inquit, „lib. 5.: *Mari supero inferoque, quibus Italia insulae modo cingitur.* In Flor. est Isthmos. Forte *Quod scindit Isthmos.* Vel *findit.* Hercul. fur. 336: *Et bina findens Isthmos exilis freta.*" Sed recte Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „Flor. *Isthmos*, quod est elegans, nec mutandum. Troad. 1123: Aversa cingit campus, h. e. excipit, terminat, et post aversam tumuli partem positus eam includit, plane ut Isthmos sinum Saronicum. Et Troad. 1105: Quae Caspium *cingens*" (ita haud dubie Florent.: nam vulgati libri: *tangens*) „mare Gens juris expers. Propertius 3, 20: Propontiacâ quà fluit Isthmos aquâ. Neque tamen fluit Isthmos. Et apud Melam lib. 1. cap. 7. et saepe terra dicitur *cingere* sinum pro *claudere*, circumdare. Isthmus cingit mare, h. e. mare ei alliditur." Sane ejusmodi enallage nihil frequentius apud poëtas.

377. *Genero.* Ita Flor., teste ibidem Jac. Gronovio, quod item exquisitius vulgato *Generi.*

380. Inepte libri: *Utramque.* Fac videre utrumque filium Iocastam; quid tum? Sed quod *utrimque* videbat eos, hôc scilicet angebatur. Fern. et Ald.: *Utrunque*, quod fuit fortasse *Utrimque* in autographis. Infra:

Cum stare fratres *hinc et hinc* video duos.

Cf. etiam 461.

388. Vulgo: *Terisque tempus, tota nudatis stetit Acies in armis.* Gron.: „Flor." inquit „*salva nud. adest Aciens i. a.* Videtur monstrare *saeva.*" Mihi non sic videtur, neque magis placet *saeva* quam *tota*, ut quorum utrumvis de utrâ acie dicatur, hostiumne an Thebanorum, nescias. Haud melioris notae *stetit*, siquidem nudatis armis non stare solent exercitus, sed movere atque inferre signa. Utrique incommodo medetur Flor., ambiguum illud *tota* prorsus amovens, aciemque *adesse* dicens, ut hostium dici statim intelligatur. *Salvam* autem adstare Iocastam ait nuncius, in eoque illam reprehendit, cum rectius homini videatur in publicum proditura, bellumque, si ullo modo fieri possit, compositura; ad quam reprehensionem illud quoque pertinet, quod *tempus* eam *terere* dicit, tanquam

otiosam. In eandem sententiam mox Antigone:

*Nudum inter enses pectus infesto s bene.*
Aut solve bellum, mater, *aut prima excipe.*

Et ipsa Iocasta:

Ibo, ibo et *armis obvium opponam caput.*
*Stabo inter arma.* Petere qui fratrem volet,
*Petat ante matrem.*

Scripturam cod. flor. defendit Broukhus. ad Prop. II, 7, 18: arma nudata monens opponi iis, quae in thecis servantur, quod in pace et itinere fieri solebat; quam in rem conferri iubet et Gronov. Diatrib. ad Statii Silvas c. 41, comparatque Maronis illud: Aere ciere viros Martemque accendere cantu.

396. *Nebulas, equestri fracta quas tellus pede Submittit.* Imo: *equino.* Et sic legendum puto. Illud glossam sapit.

397. *et, si vera* etc. Minus bene haec conjuncta cum superioribus. Fortasse: — *Submittit! en (si vera metuentes vident), Infesta fulgent signa!* Ovidius Epist. ex Pont. 1, 1, 45:

*En, ego* pro sistro Phrygiique foramine buxi
Gentis Iuléae nomina sancta *fero.*

402. *Matris opposita impedi.* Gron.: „Mirum, hoc potuisse placere Florenti, quum haberet in promptu jam etiam editum *mater opposita.*" At, o bone, cur mirum, qui sic, minime quidem inepte, scribat: „An *arma opposita*, an *Mater opposita?* Illud verisimile est, hoc firmatur sequentibus statim post Actus primi principium *media se opponit parens.* Sane Parisiensis (Badii Ascensii) et Lugdunensis editio vetusque liber (te, Fed. Morelle, testem laudo) habent *matris oppositu.* quod valde mihi placet." Et merito. Scriptor orationis pro Marcello, quicunque tandem est, certe antiquissimus, sub finem: Non modo excubias et custodias, sed etiam *laterum nostrorum oppositus et corporum* pollicemur. Et similiter Silius et in histor. natur. 2, 71. Plinius, ut monet Faber in Thesauro erudit. scholast. Quidni igitur ambiguitatem vitemus, cum liceat? Nonne hoc illud est, quod ait apud Ovidium Medea, *Video meliora proboque, Deteriora sequor?* Nam quod Flor. et Voss. codicum fidem praetendit vir eruditissimus, nec nunquam illos quoque hallucinatos scimus, et audiendi interdum sunt Commeliniani et Palatini, quibuscum hoc loco non ii modo faciunt, quos Fabricius olim usurpavit, inprimis a Johanne Regiomontano, mathematico, diligenter, ut ait, et venuste descriptus liber, sed editiones quoque vett., in his Fernandi princeps, quarum editionum ad membranarum proxime accedit auctoritas. Recte ipse Gronovius infra ad 560: „Obversabatur hic Grutero vera scriptura, quam tamen ipse probare non est ausus: *adeo nimia erat cauti hominis superstitio in servando, quod*

*expressum in membranis reperisset. At vel omnium optimae, et aevo sacrosanctae, quales Pandectae Florentini, quales Gallici Livii, et rursum Florentinae harum tragoediarum, saepe non tam exhibent quam sub nube et crepusculo vitiorum intermicantem ostendunt veritatem.*"

404. Mire Ald.: *excute, i.* Et Fern. Caj.: I, nudum. An *Ignudo* suum voluerunt Itali?

419. Apparet, haec ab alio atque superiora dici. Antigone cum agmen hostile segniter et armis compositis progredi dixit, Nuntius, veritus, ne forte laetâ rerum specie justo securior reddatur Iocasta: Procedit quidem, inquit, tarde acies, sed duces properant.

420. *insanae* vulgo libri. Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „Flor.: *insano.* Thyest. 623, Hippol. 736." Sequente versu Fern. Caj. Ascens.: *aethereas*, et ita semper; sed Ald.: *aetherias*, quod rectius, quia graece αἰθέριος. Mox MS. Col. apud Commel.: *pennis trahet.*

426. Vulgo: *proiiciet*, refragante metro. Scaliger: „Lege *proiciet.* Trisyllabum, ut *reice* dissyllabum." Et sic Ald. Similiter *adice* pro *adjice* apud Hunc ipsum habetur Med. 277, 471, 527, 783, Oed. 811, et Octav. 124; *adicitque* pro *adjicitque* Thyest. 727, Herc. Oet. 364; *obici* pro *objici* Herc. fur. 434, Med. 237 etc.

427. *furenti similis, aut etiam furit.* Vide J. F. et Jac. Gron. ad Thyest. 771.

438. *jacet.* Ita Flor., teste Jac. Gron. in sched. Dietz. Recte, modo juves reponendo in sequentibus Cessatve tectum: nam vulgo libri ταυτολογικῶς: — *latet* Cessat*que* tectum. Projicere arma solere milites pugnam detrectantes, quis nescit? Et passim *ve* et *que* particulas inter se permutari a librariis, secundum alios monui in Vindiciis Ovidianis. Cf. Lucan. 1, 252.

450. *An dico, et ex quo?* Ita Flor. Speciose quidem, fateor, nisi modo idem dixisset 447. Adeone domitare hunc scriptorem? Non puto, sed cum ceteri libri, praeter Ald. et Basileensem, habeant: ex *aequo*, nonnulli vero *datis* pro *date* praeferant, et in Aldina legatur: *Ac dico et ex quo? dexteras lege datis:* rescribendum censeo:

Ponitis ferrum ocius,
Ac (dico, ut aequum est) dexteras matri datis?
Date, dum piae sunt!

Sic passim: *Aequum est, Par et aequum est, Bonum et aequum est*, et similia. Terent. Adelph. 5, 3, 17: *Non aequum dicis. Et* pro *ut* sape scriptum per errorem, *) neque dissimiles e et e litterae

---

*) Lucanus 1, 231: invadit Ariminum, *et* ignes Solis lucifero fugiebant astra relicto, ubi itidem legendum est *ut* ignes.

in codicibus. Cum igitur nescio quis invenisset fortasse in exemplari suo: *et* (pro *ut*) *aequū* (vel *aequum*) *ē*, h. e.: *et aequum est*, τὸ ē pro o perperam habens, idque praegresso *—um* adscriptum putans, ut solent vitiosis emendata, fecerit *et aequo*, mox, quia haec sensu cassa erant, *et ex aequo*, quod deinde latius propagatum est. Vid. ad Herc. fur. 683, 1064. Gronov. ad 456: „Prodigiose corrupta haec tragoedia, et in primis ultima pars, quae ἕλκεσι βρύει."

465. Flor.: *Qui tot labores totque* etc. Fern. Caj.: *Tu qui tot lab.* Fabric.: *Tu tot labores totque perpessus mala.* Quod improbans Gruterus: „Lectio," inquit, „in speciem sana; sed arguunt eam omnes MSS., in quibus *Tu qui tot lab. totque.* et vero vix mihi dubium fit, exterminandam potius voculam *tot* quam *qui:* quod hanc desideret filum sermonis, illam includat enclitica mox sequens *que:* adposita enim dictioni alicui notat inter alia et hoc, bis ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendam. Exempla vel mille unus sufficit Horatius, quae nisi hoc modo accipiantur, omnia videbuntur hispida, omnia trunca. Ut illud Od. 2, 7: — *quis udo Deproperare apio coronas Curatve myrto?*" Sic ille rectissime, quicum de encliticâ sic usurpatâ cf. J. H. Voss. ad Tibull. 1, 11, 51 et, quem laudat, Broukhus. ad ejusdem 3, 6, 48. Nam Gronovius falli ait Gruterum, cum *tot* potius abesse velit quam *tu*. Cui minime assentior, sed magni ponderis pronomen, tot praesertim bonis libris adstipulantibus, servandum puto.

481. *ingerat.* Flor.: *inserat*, ut testatur Jac. Gron. in sched. Dietz. Utrumque bonum.

499. Ita legendum vidit Gronovius. Vulgo: R. *hastae*, *et arma def. incubant*; nisi quod Caj.: *hasta.* Nec Lipsius male *incubat.* „Livius," inquit Gron., „lib. 44.: Scuto prae se erecto stare galeatos; dein, ubi fessi sint, innixos pilo capite super marginem scuti posito sopitos stare. Scuta κατ' ἐξοχὴν veteribus arma" etc. Jac. Gronov. in schedis Dietz.: „Fortasse: *R. adstat*, *a. d. incubans.*"

504. *Te maria tot diversa*, *tot casus vagum egere.* Quaenam vero maria, et quidem diversa, egerunt Polynicem, qui Thebis statim Argos se contulit, duxitque Adrasti regis filiam? Sane legendum:

Te *amara* tot diversa, tot casus vagum
Egere.

*Amara*, ut apud Horatium 2, 16, 25. *Amara diversa*, ut *Acerba multa et varia* apud Ciceronem; quae quidem amara enumerat in seqq. Iocasta. Sic supra 464:

— Junge complexus prior
Tu, qui, *labores totque* perpessus *mala*,
Longo parentem fessus exilio vides!

Eliso *Te* scriptum *Tamara* degeneravit in *Temara*, *Te maria*. Vid. Gron. ad Herc. Oet. 1181. (1182).

508. Vulgo: *dona non auri et graves Gazas* etc. Sed edd. vett.: *auro;* Flor.: *auri graves*. Jacob. Gron. in sched. Dietz.: „Fl. delet *et*, recte: est appositio. Cf. infra 595, Oed. 853, Herc. Oet. 409:

Famula illa trahitur interim donum tibi."

Commelino quoque placuit: *auro graves Gazas*. Et recte. Virg. Aen. 1, 728:

Hic regina *gravem* gemmis *auro*que poposcit
Implevitque mero pateram etc.

524. Flor., teste Jac. Gronovio in sched. Dietz. ad Troad. 578: *carerem. patriste* etc., unde ille: *ah*, *triste*.

535. *mensum*. Ita non Ascensiana modo et Aldina, sed Fabricii quoque et Delrii, item Scriverii, et (quod maximum) Gronovii edd., ut nesciam, quid sibi voluerit Schroederus, recolens ille quidem ἄμετρον istud, quod libri quidam hic ostendunt, *mensium*. Fabricius: „*Mensûm* pro *mensium* τῇ ἐξαιρέσει, quâ et Ovidius in Fastis et in Metamorphosi utitur; et Honorius Fortunatus: Nobilitas anni, mensûm decus." Cf. Delr.

543. Haec ita leguntur distincta in vulgatis libris:

Vidit hostili grege
Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis catervas: vidit equitatu levi
Cadmea frangi prata, et excelsos rotis
Volitare proceres; igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quae petunt nostras domos,
Fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit)
In se ruentes. totus hoc etc.

Rectius, opinor, nos et magis παθητικῶς. Nam in istis neque placet asyndeton verborum *fulgentes p. A. catervas*, et si omnia illa vidisse *patria* dicitur, quid id ad *exercitum*, ad *utrumque populum*, ad *sororem* denique et *Iocastam*? An eadem hi quoque viderunt omnes omnia? Imo per gradationem primum hostibus repleta esse dicitur Thebana terra; tum, propius illis accedentibus ad metropolin, proculcari equis Cadmea prata et reliqua ibi commemorata se cum utroque populo et filiâ vidisse ait Iocasta.

536. Vid. annotatio ad v. 551.

549. Qui Heinsii coniecturam transpositione nixam videre cupiat, is adeat Ej. Advers. 1, 5.

551. Edd. vett.: *Et populus omnis et utraque haec* (Ald.: *hoc*) *vidit soror;* quemadmodum et supra 536: *pietate inclytas Precor sorores*. Sed recte ibi Gron.: „Sola inter personas nomina-

tur Antigone, et versus 551., ubi altera soror Ismene monstratur, vitiatus est."

552. Vulgo: *vidit.* Jacob. Gronov. in sched. Dietz.: „Flor. *vidi.* Oed. 643, Thyest. 1041, 1092."

560. *uris.* Verbum proprium de bello, ut exemplis ostendit Gron. Et sic pridem reposuerat Ascensius. Alii libri *vestris; nostris; vertis*, ut Ald. Delr. Scriver. etc.

561. *adultas.* Sic item Ascens., ne plus justo tribuamus Florentino. Vulgo ante Gron.: *adustas.* Noster, hoc laudante, Herc. fur. 699:

Nec adulta leni fluctuat zephyro seges.

594. *date.* Sic Flor., monente Jac. Gron. in sched. Dietz. Recte: nam duos, matrem et fratrem, compellat Polynices: neque id, quod petit, res erat alterius horum arbitrii, sed utriusque, et magis Eteoclis. Deinde Caj.: *repulsos*, quod ad sequentia retuleris. Vel facias *repulsis.* Minime hoc malum: vid. Dan. Heins. supra ad 368.

602. *Tmolos.* Sic Fern. Caj. Vulgo Tmolus. Vid. ad Thyest. 783.

607. Bene Gron.: „Quum loca, quae describit, omnia, Phrygiae, Hellesponti, Lydiae, Lyciae, in Asia sint, mirum est hic interponi Hebrum Thraciae et Europae. Fortassis *Hermus:* hunc enim ex monte Dindymenae sacro per Catacaumenen in Sardianam ferri κατὰ τὰ συνεχῆ πεδία μέχρι τῆς θαλάττης, testis Strabo l. 13."

610. Sic Flor., nisi quod *Faucesque*, quod erroneum. Vulgo: F. *Abydi Sestos opposita premit;* Fern.: *abydos sextos* o. p., id est *Abydo Sestos*, ut Flor. et MS. Col. apud Commel. Cf. Delr. Recte autem in Ascens. interpunctum post *nomen*, ut subaudiamus ex sequentibus *Ionium mare*, quod ibi nomen suum mutat et Hellespontus dicitur. Nihil praeterea novandum.

612. Vulgo *propior.* Sed recte Gron.: „Lege *propius*, et refer ad *mare.* Quâ illud se flexit in latus circa Cnidum Rhodumque jam propius orienti soli, et Lyciam alluit." MS. Eguian. apud Delrium: prop. opulenti dedit.

614. *Hâc*, i. e. hâc parte, quod refertur ad *Quâ* in superioribus, sicut passim. Cave enim credas lexicographis, *Hâc* et *Quâ* valere semper *Huc* et *Quo;* saepissime etiam *Hic* et *Ubi* significant, suntque passim reddenda hâc potestate scriptoribus. Vulgo *Haec.* Gron. malebat *Hic.*

616. *regimen.* Ita (non *regnum*, sicut vulgo) Fern. Cajet. Eleganter, quomodo *reipublicae clavum tenere* vel *ejus gubernacula tractare* et similia pleraque dicuntur μεταφορικῶς. Med. 617:

Tiphys inprimis domitor profundi
Liquit indocto *regimen* magistro.

Ad taedium usque τὸ *regnum* h. l. repetitur.

625. Vulgo *exiliis*, proculcato versu. Vid. ad Herc. fur. 49.

629. Vulgo: — *loco est*, *Quodcunque Mars decernit. exaequat* etc. Fern. Caj.: *decrevit*, recte, ut, finitâ superiore sententiâ in verbo *est*, hâc, quidquid Mars decreverit, id est, quem cuique pugnae exitum dare constituerit, dum pugna duret, gladio tamen exaequari quamvis impares dicantur.

638. Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „Flor.: *Plangenda* palma est. Devoti instar spolii, aut Cadmeae victoriae. Silius Dausqu ji lib. 1. pag. 50." Mox Fern. Caj.: *Omitte* pugnas, quod non deterius.

651. Vulgo continue: Numero, *et* est tanti etc. Sed immittenda Eteoclis persona, siquidem verba *At est tanti mihi cum regibus jacere* (nam sic legendum), id est Tanti aestimo, me regem cum regibus despectum esse, vel potius: Tanti aestimo, me olim jacere, id est sepultum esse, regem cum regibus, a Polynicis ingenio abhorrent, et Eteocli conveniunt, quem regni cupidissimum fingit dux Nostri in plerisque Euripides. Cum autem exaratum esset: Numero. *et.* at est tanti etc. id est: Numero. *Eteocles.* at est t. etc. τὸ *et.*, quae nota personae, nescio quis pro *et* conjunctione habens, genuinum *at*, quod versui jam adversaretur, expunxerit. Quanquam et similia *at et ut* in libris vett., ut facile permisceantur. Ceterum secuti h. l. sumus H. Grotium, a cujus ratione neque Gronovius abhorrens tamen intactum reliquit horum distributionem, a Scaligero quidem maximâ ex parte profectam, hanc: POL. *Regnare — retinentur diu.* IOC. *Praecepta — dispone.* POL. *Pro regno* etc. Ne autem in errorem forte inducantur lectores, moneo, Grotium quoque verba *Numero, et est tanti mihi cum regibus jacere* Polynici attribuere omnia, sequentia vero *Te turbae exulum adscribo* ad Eteoclem referre, et deinceps porro, ut nos. Alias aliorum de hoc loco excutere sententias nec vacat, neque operae pretium videtur.

---

LIPSIAE

IMPRESSIT BENEDICTUS GOTTHILF TEUBNER.

# L. ANNAEI SENECAE
# TRAGOEDIARUM

## VOLUMEN SECUNDUM,

QUOD CONTINET HIPPOLYTUM, OEDIPUM ET TROADES.

---

PENITUS EXCUSSIS MEMBRANIS FLORENTINIS, ADHIBITISQUE CODICE MS. ULTRAJ., EDITIONE PRIMA CAR. FERNANDI, ET ALIIS SPECTATAE FIDEI LIBRIS, ITEM JOANNIS FRIDERICI ET JACOBI GRONOVIORUM NOTIS INEDITIS,

RECOGNOVIT

FRID. HENR. BOTHE,

D. PHIL. ET AA. LL. M., ARCHIDUCALI, QUAE JENAE EST, SOCIETATI LATINAE, BEROLINENSIUMQUE TEUTONICAE, HON. C. ADSCRIPTUS.

---

LIPSIAE

IN LIBRARIA HAHNIANA.

MDCCCXIX.

# HIPPOLYTUS.

## *DRAMATIS PERSONAE.*

HIPPOLYTUS.

PHAEDRA.

THESEUS.

CHORUS CIVIUM ATHENIENSIUM.

NUNCIUS.

NUTRIX.

FAMULI.

# HIPPOLYTUS.

## ARGUMENTUM.

Hippolyti, Thesei ex Antiope Amazone filii, Dianam virginem ae venatricem colentis, absente apud Inferos Theseo, noverca Phaedra castitatem oppugnat. Repulsa impudica mulier Theseo reduci privignum oblati per vim stupri insimulat. Ille credulus filio, qui domo fugerat, e votis quod restabat tertio fretus, absenti mortem imprecatur. Ratum facit votum Neptunus emisso tauro marino, qui equos Hippolyti consternat, unde per vepres et saxa distractus auriga dilaniatur. Quod ubi rescivit male sibi conscia mulier, scelus suum falsumque crimen apud maritum confessa gladio se transfigit. Theseus innoxii filii casum lugens, iramque suam detestatus, collectos passim artus componit.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Pirithoum Theseus Stygiâ comitatus ab undâ est,
Tartareo dominam cupiens abducere regno.
Concipit interea validas in pectore flammas
Phaedra furens, vetito privigni et carpitur igne.
Ille novercalem generosâ mente furorem
Sustinet, et tenerum servat sine labe pudorem.
Nusquam tuta homini probitas: heu! crimine foedo
Thesidem insimulat fallaci corde noverca.
Hippolyte infelix, saevo damnatus et acri
Exitio, immeritas solvisti sanguine poenas.
Haec ubi rescivit, stimulis accensa profanis,
Phaedra, suum vertit polluta in pectora ferrum.

# ACTUS PRIMUS.

## HIPPOLYTUS.

**Hippolytus varia loca et munera ministris et venationis comitibus dispertit; Dianamque venationis deam invocat.**

Ite, umbrosas cingite silvas, a. d. et m.
Summaque montis juga Cecropii!
Celeri plantâ lustrate vagi,
Quae saxoso loca Parnethi
Subjecta jacent; quae Thriasiis
Vallibus amnis rapidâ currens
Verberat undâ! scandite colles
Semper canos nive Riphaeâ!
Hâc, hâc alii, quâ nemus altâ
Texitur alno; quâ prata jacent,
Quae roriferâ mulcens aurâ
Zephyrus vernas evocat herbas;
Ubi per graciles lenis Ilissus,
Ut Maeander super aequales,
Labitur agros piger, et steriles
Amne maligno radit arenas!
Vos, quâ Marathon tramite laevo
Saltus aperit; quâ comitatae
Gregibus parvis nocturna petunt
Pabula foetae! vos, quâ, tepidis
Subditus austris, frigora mollit
Durus Acharneus! alius rupem
Dulcis Hymetti, parvas alius
Calcet Aphidnas. Pars illa diu
Vacat immunis, quâ curvati
Littora ponti Sunion urget.
Si quem tangit gloria silvae,

4. Fort.: Parneti.

13. Fort.: Ubi, pergracilis, lenis Ilissus, Ut Maeander, super aequales Labitur agros etc.

Vocat hunc Phlyeus: hic versatur
Metus agricolis, vulnere multo
Jam notus aper. At vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas;
Teneant acres lora Molossos,
Et pugnaces tendant Cretes
Fortia trito vincula collo;
At Spartanos (genus est audax
Avidumque ferae) nodo cautus
Propiore liga. Veniet tempus,
Cum latratu cava saxa sonent:
Nunc dimissi nare sagaci
Captent auras, lustraque presso
Quaerant rostro, dum lux dubia est,
Dum signa pedum roscida tellus
Impressa tenet. Alius raras
Cervice gravi portare plagas,
Alius teretes properet laqueos.
Picta rubenti linea pennâ
Vano cludat terrore feras.
Tibi libretur missile telum:
Tu grave dextrâ laevâque simul
Robur lato dirige ferro.
Tu praecipites clamore feras
Subsessor ages; tu jam victor
Curvo solves viscera cultro.
Ades en comiti, diva virago,
Cujus regno pars terrarum
Secreta vacat;
Cujus certis petitur telis
Fera, quae gelidum potat Araxen,
Et quae stanti ludit in Istro.
Tua Gaetulos dextra leones,
Tua Cretaeas sequitur cervas;
Nunc veloces figis damas
Leviore manu.

Tibi dant variae pectora tigres,
Tibi villosi terga bisontes,
Latisque feri cornibus uri.
Quidquid solis pascitur arvis,
Sive illud inops novit Garamas,
Sive illud Arabs divite silvâ,
Sive ferocis juga Pyrenes,
Sive Hyrcani celant saltus,
Vacuisque vagus Sarmata campis:
Arcus metuit, Diana, tuos.
Tua si gratus numina cultor
Tulit in saltus:
Retia vinctas tenuere feras;
Nulli laqueum rupere pedes;
Fertur plaustro praeda gementi;
Tum rostra canes sanguine multo
Rubicunda gerunt, repetitque casas
Rustica longo turba triumpho.
En, diva, faves;
Signum arguti misere canes:
Vocor in silvas. Hâc, hâc pergam,
Quâ via longum compensat iter!

## PHAEDRA, NUTRIX.

Phaedra amore Hippolyti ardere se fatetur apud nutricem, frustra eam a tam nefando amore dehortantem.

PH. O MAGNA vasti Creta dominatrix freti, i. s.
Cujus per omne littus innumerae rates
Tenuere pontum, quidquid Assyriâ tenus
Tellure Nereus pervium rostris secat,
Cur me in penates obsidem invisos datam,
Hostique nuptam, degere aetatem in malis
Lacrimisque cogis? Profugus en! conjux abest,
Praestatque nuptae, quam solet, Theseus fidem.
Fortis per altas invii retro lacus

Vadit tenebras miles audacis proci;
Solio ut revulsam regis inferni abstrahat,
Pergit furoris socius. Haud illum timor,
Pudorque tenuit: stupra et illicitos toros
Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.
Sed major alius incubat moestae dolor.
Non me quies nocturna, non altus sopor
Solvere curis: alitur et crescit malum,
Et ardet intus, qualis Aetnaeo vapor
Exundat antro. Palladis telae vacant,
Et inter ipsas pensa labuntur manus;
Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Atthidum mixtam choris,
Jactare tacitis conscias sacris faces;
Nec adire castis precibus aut ritu pio
Adjudicatae praesidem terrae deam:
Juvat excitatas consequi cursu feras,
Et rigida molli gaesa jaculari manu.
Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?
Fatale miserae matris agnosco malum:
Peccare noster novit in silvis amor.
Genitrix, tui me miseret: infando malo
Correpta, pecoris efferi saevum ducem
Audax amasti. Torvus, impatiens jugi,
Adulter ille, ductor indomiti gregis;
Sed amabat aliquid: quis meas miserae deus,
Aut quis juvare Daedalus flammas queat?
Non, si ille remeet arte Mopsopiâ potens,
Qui nostra coecâ monstra conclusit domo,
Promittat ullam casibus nostris opem.
Stirpem perosa Solis invisi Venus
Per nos catenas vindicat Martis sui
Suasque; probris omne Phoebéum genus

98. Fort.: Pudorve.

108. Fort.: consciam s. facem.

126. Fort.: Martis feri Suasque.

Onerat nefandis. Nulla Minoïs levi
Defuncta amore est; jungitur semper nefas.
NUTR. Theséa conjux, clara progenies Jovis,
Nefanda casto pectore exturba ocius!
Extingue flammas, neve te dirae speï
Praebe obsequentem. Quisquis in primo obstitit,
Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit;
Qui blàndiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit, jugum.
Nec me fugit, quam durus et veri insolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.
Quemcunque dederit exitum casus, feram:
Fortem facit vicina libertas senem.
Honesta primum est velle, nec labi via;
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.
Quo, misera, pergis? quid domum infamem adgravas,
Superasque matrem? majus est monstro nefas:
Nam monstra fato, moribus scelera imputes.
Si, quod maritus supera non cernit loca,
Tutum esse facinus credis, et vacuum metu:
Erras. Teneri crede Lethaeo abditum
Thesea profundo, et ferre perpetuam Styga:
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populisque reddit jura centenis pater?
Latere tantum facinus occultum sinet?
Sagax parentum est cura. Credamus tamen
Astu doloque tegere nos tantum nefas:
Quid ille, rebus lumen infundens suum,
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans coruscâ fulmen Aetnaeum manu,
Sator deorum? credis hoc posse effici,
Inter videntes omnia ut lateas avos?
Sed, ut secundus numinum abscondat favor
Coïtus nefandos, utque contingat stupro
Negata magnis sceleribus semper fides:
Quid poena praesens, consciae noctis pavor,

Animusque culpâ plenus et semet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.
Compesce amoris impii flammas, precor,
Nefasque, quod non ulla tellus barbara
Commisit unquam, non vagi campis Getae,
Nec inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes!
Expelle facinus mente castificâ horridum;
Memorque matris, metue concubitus novos.
Miscere thalamos patris et gnati adparas,
Uteroque prolem capere confusam impio?
Perge, et nefandis verte naturam ignibus!
Cur monstra cessant? aula cur fratris vacat?
Prodigia toties orbis insueta audiet,
Natura toties legibus cedet suis,
Quoties amabit Cressa? PH. Quae memoras, scio
Vera esse, nutrix; sed furor cogit sequi
Pejora. Vadit animus in praeceps sciens
Remeatque, frustra sane consilia adpetens.
Sic cum gravatam navita adversâ ratem
Propellit undâ, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quid ratio possit? Vicit ac regnat furor,
Potiensque totâ mente dominatur deus.
Hic, volucer, omni pollet in terrâ potens,
Laesumque flammis torret indomitis Jovem;
Gradivus istas belliger sensit faces;
Opifex trisulci fulminis sensit deus,
Et, qui furentes semper Aetnaeis jugis
Versat caminos, igne tam parvo calet;
Ipsumque Phoebum, tela qui nervo regit,
Figit sagittâ certior missâ puer,
Volitatque coelo pariter et terrae gravis.
NUTR. Deum esse amorem, turpis et vitio favens
Finxit libido; quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit.

188. Fort.: Laesusque.

Natum per omnes scilicet terras vagum
Erycina mittit! Ille per coelum volans
Proterva tenerâ tela molitur manu,
Regnumque tantum minimus e Superis habet!
Vana ista demens animus adscivit sibi,
Venerisque numen finxit atque arcus dei.
Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita adpetit.
Tunc illa magnae dira fortunae comes
Subit libido: non placent suetae dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenues subit
Haec delicatas eligens pestis domos?
Cur sancta parvis habitat in tectis Venus,
Mediumque sanos vulgus adfectus tenet,
Et se coërcent modica? Contra divites
Regnoque fulti plura, quam fas est, petunt?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.
Quid deceat alto praeditam solio, vides:
Metue ac verere sceptra remeantis viri.
PH. Amoris in me maximum regnum puto,
Reditusque nullos metuo: non unquam amplius
Convexa tetigit supera, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetuâ domum.
NUTR. Ne crede Diti. Cluserit regnum licet,
Canisque diras Stygius observet fores:
Solus negatas invenit Theseus vias.
PH. Veniam ille amori forsitan nostro dabit.
NUTR. Immitis etiam conjugi castae fuit:
Experta saevam est barbara Antiope manum.
Sed posse flecti conjugem iratum puta:
Quis hujus animum flectet intractabilem?
Exosus omne feminae nomen fugit,
Immitis annos coelibi vitae dicat,
Connubia vitat: genus Amazonium scias.

209. Fort.: aut vilis scyphus.

PH. Hunc in nivosi collis haerentem jugis,
Et aspera agili saxa calcantem pede,
Sequi per alta nemora, per montes, placet!
NUTR. Resistet ille, seque mulcendum dabit,
Castosque ritus venere non castâ exuet?
Tibi ponet odium, cujus odio forsitan
Persequitur omnes? PH. Precibus haud vinci potest?
NUTR. Ferus est. PH. Amore didicimus vinci feros.
NUTR. Fugiet. PH. Per ipsa maria, si fugiat, sequar.
NUTR. Patris memento. PH. Meminimus matris simul.
NUTR. Genus omne profugit. PH. Pellicis careo metu.
NUTR. Aderit maritus... PH. Nempe Pirithoi comes.
NUTR. Aderitque genitor. PH. Mitis Ariadnae pater.
NUTR. Per has senectae splendidas supplex comas
Fessumque curis pectus et cara ubera
Precor, furorem siste, teque ipsa adjuva!
Pars sanitatis velle sanari fuit.
PH. Non omnis animo cessit ingenuo pudor:
Paremus, altrix. Qui regi non vult amor,
Vincatur. Haud te, fama, maculari sinam.
Haec sola ratio est, unicum effugium mali:
Virum sequamur, morte praevertam nefas.
NUTR. Moderare, alumna, mentis effrenae impetus;
Animos coërce! Dignam ob hoc vitâ reor,
Quod esse temet autumas dignam nece.
PH. Decreta mors est: quaeritur fati genus.
Laqueone vitam finiam, an ferro incubem?
An missa praeceps arce Palladiâ cadam?
Pro castitatis vindice armemus manum!
NUTR. Sic te senectus nostra praecipiti sinat
Perire leto? Siste furibundum impetum!
Haud facile quisquam ad vitam revocari potest.
PH. Prohibere ratio nulla periturum potest,

262. Vulgo: Prô (vel Pro,), castitatis.

265. Fort.: PH. At facile cuiquam vita revocari potest; Prohibere etc.

Ubi, qui mori constituit, et debet mori.
NUTR. Solamen annis unicum fessis, hera,
Si tam protervus incubat menti furor:
Contemne famam. Fama vix vero favet,
Pejus merenti melior, at pejor bono.
Tentemus animum tristem et intractabilem.
Meus iste labor est adgredi juvenem ferum,
Mentemque saevam flectere immitis viri.

## CHORUS.

Omnia amori cedere, homines omnis loci, aetatis, conditionis, ipsos deos superos ac inferos, quin et bruta animalia terrestria, aquatilia, aëria.

Diva, non miti generata ponto, sapph.
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Impotens flammis simul et sagittis,
Iste lascivus Puer ac renidens
Tela quam certo moderatur arcu!
[Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.]
Non habet latum data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax isti Puero: per orbem
Spargit effusas agilis sagittas;
Quaeque nascentem videt ora solem,
Quaeque ad Hesperias jacet ora metas,
Si qua ferventi subjecta Cancro est,
Si qua Parrhasiae glacialis Ursae
Semper errantes patitur colonos,
Novit hos aestus. Juvenum feroces
Concitat flammas, senibusque fessis
Rursus extinctos revocat calores;
Virginum ignoto ferit igne pectus;
Et jubet coelo Superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.

Thessali Phoebus pecoris magister
Egit armentum, positoque plectro
Impari tauros calamo vocavit.
Induit formas quoties minores
Ipse, qui coelum nebulasque ducit!
Candidas ales modo movit alas,
Dulcior vocem moriente cygno;
Fronte nunc torvâ petulans juvencus
Virginum stravit sua terga ludo,
Perque fraternos, nova regna, fluctus,
Ungulâ lentos imitante remos,
Pectore adverso domuit profundum,
Pro suâ vector timidus rapinâ.
Arsit obscuri dea clara mundi
Nocte desertâ, nitidosque fratri
Tradidit currus aliter regendos:
Ille nocturnas agitare bigas
Discit, et gyro breviore flecti;
Nec suum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeavit ortu,
Dum tremunt axes graviore curru.
Natus Alcmenâ posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis,
Passus aptari digitis zmaragdos,
Et dari legem rudibus capillis;
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco;
Et manu, clavam modo quâ gerebat,
Filia deduxit properante fuso.
Vidit Persis, ditique ferox a. d. et m.
Lydia regno, dejecta feri
Terga leonis; humerisque, quibus
Sederat alti regia coeli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.
Sacer est ignis (credite laesis!)
Nimiumque potens. Quâ terra salo

Cingitur alto; quâque aetherio
Candida mundo sidera currunt,
Hâc regna tenet Puer immitis,
Spicula cujus sentit in imis
Caerulus undis grex Nereïdum,
Flammamque nequit relevare mari;
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti quam magna gerunt
Grege pro toto bella juvenci!
Si conjugio timuere suo,
Poscunt timidi proelia cervi,
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. Tunc virgatas
India tigres decolor horret;
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, et toto spumeus ôre est.
Poeni quatiunt colla leones,
Cum movit amor. Tum silva gemit
Murmure saevo.
Amat insani bellua ponti,
Lucaeque boves. Vindicat omnes
Natura sibi; nihil immune est;
Odiumque perit, cum jussit amor;
Veteres cedunt ignibus irae.
Quid plura canam?
Vincit saevas cura novercas.

# ACTUS SECUNDUS.

## CHORUS, NUTRIX, PHAEDRA.

Amoris morbum, impatientiam et aestum conqueritur nutrix. Mox ipsa prodit Phaedra mutatis vestibus in cinctum Amazonis seu venatricis, ut Hippolyto placeat.

CHOR. Altrix, profare, quid feras? quonam in loco
est i. s.
Regina? saevis ecquis est flammis modus?
NUTR. Spes nulla, tantum posse leniri malum;
Finisque flammis nullus insanis erit.
Torretur aestu tacito, et inclusus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor;
Erumpit oculis ignis, et lapsae genae
Lucem recusant. Nihil idem dubiae placet,
Artusque varie jacat incertus dolor.
Nunc, ut soluto, labitur, moriens gradu,
Et vix labante sustinet collo caput;
Nunc se quieti reddit, et somni immemor
Noctem querelis ducit. Attolli jubet,
Iterumque poni, corpus; et solvi comas,
Rursusque fingi. Semper impatiens sui
Mutatur habitus. Nulla jam Cereris subit
Cura, aut salutis. Vadit incerto pede,
Jam viribus defecta. Non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor:
Populatur artus cura; jam gressus tremunt;
Tenerque nitidi corporis cecidit decor;
Et, qui ferebant signa Phoebéae facis,
Oculi nihil gentile nec patrium micant.
Lacrimae cadunt per ora, et adsiduo genae
Rore irrigantur, qualiter Tauri jugis
Tepido madescunt imbre percussae nives.
Sed, en, patescunt regiae fastigia!
Reclinis ipsa sedis auratae toro
Solitos amictus mente non sanâ abnuit.

PH. Removete, famulae, purpurâ atque auro illitas
Vestes! procul sit muricis Tyrii rubor,
Quae fila ramis ultimi Seres legunt:
Brevis expeditos zona constringat sinus.
Cervix monili vacua; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis sparsus Assyrio vacet:
Sic temere jactae colla perfundant comae
Humerosque summos; cursibus motae citis
Ventos sequantur. Laeva se pharetrae dabit:
Hastile vibret dextra Thessalicum manus.
Talis severi mater Hippolyti fuit.
Qualis, relictis frigidi ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Tanaïtis aut Maeotis, et nodo comas
Coëgit emisitque, lunatâ latus
Protecta peltâ: talis in silvas ferar!
NUTR. Sepone questus: non levat miseros dolor;
Agreste placa virginis numen deae.
Regina nemorum, sola quae montes colis,
Et una solis montibus coleris dea,
Converte tristes ominum in melius minas!
O magna silvas inter et lucos dea,
Clarumque coeli sidus et noctis decus,
Cujus relucet mundus alternâ face,
Hecate triformis, en, ades coeptis favens!
Animum rigentem tristis Hippolyti doma!
Amare discat, mutuos ignes ferat,
Det faciles aures! Mitiga pectus ferum;
Innecte mentem. Torvus, aversus, ferox,
In jura Veneris redeat. Huc vires tuas
Intende. Sic te lucidi vultus ferant,
Et nube ruptâ cornibus puris eas.
Sic te, regentem frena nocturni aetheris,
Detrahere nunquam Thessali cantus queant,

418. Fort.: sic te lucidi currus ferant.

Nullusque de te gloriam pastor ferat.
Ades invocata; jam faves votis, dea:
Ipsum intuor solemne venerantem sacrum,
Nullo latus comitante. Quid dubitas? dedit
Tempus locumque casus: utendum artibus.
Trepidamus? Haud est facile mandatum scelus
Audere; verum justa, qui reges timet,
Deponat; omne pellat ex animo decus:
Malus est minister regii imperii pudor.

## HIPPOLYTUS, NUTRIX.

*Nutrix Hippolyti animum mollire, et ad nuptias et delicias urbanas flectere callide tentat. Ille vitae coelibis et rusticae (quam urbanae collatam praefert) institutum immotus tenet.*

**HIPP.** Quid huc seniles fessa moliris gradus, i. 2.
O fida nutrix, turbidam frontem gerens,
Et moesta vultus? Sospes est certe parens,
Sospesque Phaedra, stirpis et geminae jugum.
**NUTR.** Metus remitte: prospero regnum in statu est,
Domusque florens sorte felici viget.
Sed tu beatis mitior rebus veni:
Namque anxiam me cura sollicitat tui,
Quod te ipse poenis gravibus infestus domas.
Quem fata cogunt, ille cum venia est miser;
At si quis ultro se malis offert volens,
Seque ipse torquet, perdere est dignus bona,
Quis nescit uti. Potius annorum memor
Mentem relaxa: noctibus festis facem
Attolle; curas Bacchus exoneret graves;
Aetate fruere: mobili cursu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc juveni Venus:
Exultet animus. Cur toro viduo jaces?
Tristem juventam solve; nunc lusus rape;
Effunde habenas; optimos vitae dies
Effluere prohibe! Propria descripsit deus
Officia, et aevum per suos ducit gradus.

Laetitia juvenem, frons decet tristis senem.
Quid te coërces, et necas rectam indolem?
Seges illa magnum foenus agricolae dabit,
Quaecunque laetis tenera luxuriat satis;
Arborque celso vertice evincet nemus,
Quam non maligna caedit aut resecat manus.
Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Truculentus et silvester et vitae inscius,
Tristem juventam Venere desertâ colis.
Hoc esse munus credis indictum viris,
Ut dura tolerent, cursibus domitent equos,
Et saeva bella Marte sanguineo gerant?
Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret Fati manus,
Ut damna semper sobole repararet novâ.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quae supplet ac restituit exhaustum genus:
Orbis jacebit squalido turpis situ;
Vacuum sine ullis classibus stabit mare;
Alesque coelo deerit, et silvis fera,
Solis et aër pervius ventis erit.
Quam varia leti genera mortalem trahunt
Carpuntque turbam, pontus, et ferrum, et doli!
Sed fata credas deesse: sic atram Styga
Jam petimus ultro. Coelibem vitam probet
Sterilis juventus: hoc erit, quidquid vides,
Unius aevi turba, et in semet ruet.
Proinde vitae sequere Naturam ducem:
Urbem frequenta, civium coetus cole.
HIPP. Non alia magis est libera et vitio carens,
Ritusque melius vita quae priscos colat,
Quam quae relictis moenibus silvas amat.
Non illum avarae mentis inflammat furor,

455. Fort.: Q. t. coërcens enicas r. i.?
466. Fort.: Et saeva Marti bella sang. ger.

Qui se dicavit montium insontem jugis;
Non aura populi et vulgus infidum bonis,
Non pestilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno servit, aut, regno imminens,
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes,
Speï metûsque liber. Haud illum niger
Edaxque Livor dente degeneri petit;
Nec scelera populos inter atque urbes sita
Novit; nec omnes conscius strepitus pavet,
Aut verba fingit. Mille non quaerit tegi
Dives columnis, nec trabes multo insolens
Suffigit auro. Non cruor largus pias
Inundat aras, fruge nec sparsi sacrâ
Centena nivei colla submittunt boves;
Sed rure vacuo potitur, et aperto aethere
Innocuus errat. Callidas tantum feris
Struxisse fraudes novit; et fessus gravi
Labore, niveo corpus Ilisso fovet.
Nunc ille ripam celeris Alpheï legit;
Nunc nemoris alti densa metatur loca,
Ubi Lerna puro gelida perlucet vado;
Sedemque mutat. Hic aves querulae fremunt,
Ramique ventis lene percussi tremunt,
Veteresque fagi. Juvit aut amnis vagi
Pressisse ripas, caespite aut nudo leves
Duxisse somnos, sive fons largus citas
Defundit undas, sive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.
Excussa silvis poma compescunt famem,
Et fraga parvis vulsa dumetis cibos
Faciles ministrant. Regios luxus procul
Est impetus fugisse. Sollicito bibant
Auro superbi; quam juvat nudâ manu
Captasse fontem! Certior somnus premit
Secura duro membra versantem toro.
Non in recessu furta et obscuro improbus

Quaerit cubili, seque multiplici timens
Domo recondit; aethera ad lucem petit,
Et teste coelo vivit. Hoc equidem reor
Vixisse ritu, prima quos mixtos deis
Profudit aetas. Nullus his auri fuit
Coecus cupido. Nullus in campo sacer
Divisit agros arbiter populis lapis.
Nondum secabant credulae pontum rates:
Sua quisque norat maria. Non vasto aggere
Crebrâque turri cinxerant urbes latus.
Non arma saevâ miles aptabat manu;
Nec torta clusas fregerat saxo gravi
Balista portas; jussa nec dominum pati
Juncto ferebat terra servitium bove:
Sed arva per se foeta poscentes nihil
Pavere gentes; silva nativas opes,
Et opaca dederunt antra nativas domos.
Rupere foedus impius lucri furor
Et ira praeceps, quaeque succensas agit
Libido mentes; venit imperii sitis
Cruenta; factus praeda majori minor;
Pro jure vires esse. Tum primum manu
Bellare nudâ, saxaque et ramos rudes
Vertere in arma. Non erat gracili levis
Armata ferro cornus, aut longo latus
Mucrone cingens ensis, aut cristâ procul
Galeae comantes: tela faciebat dolor.
Invenit artes bellicus Mavors novas
Et mille formas mortis. Hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, et rubuit mare.
Tum scelera demto fine per cunctas domos
Iere; nullum caruit exemplo nefas;
A fratre frater, dexterâ nati parens
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,
Perimuntque foetus impiae matres suos.
Taceo novercas. Mitius nihil est feris.

Sed dux malorum femina; haec scelerum artifex
Obsedit animos, cujus incestae stupris
Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliae: sola conjux Aegeï
Medea reddit feminas dirum genus.
NUTR. Cur omnium fit culpa paucarum scelus?
HIPP. Detestor omnes, horreo, fugio, execror.
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor:
Odisse placuit. Ignibus junges aquas,
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis, ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem,
Et ora damis blanda praebebunt lupi,
Quam victus animum feminae mitem geram.
NUTR. Saepe obstinatis induit frenos Amor,
Et odia mutat. Regna materna adspice:
Illae feroces sentiunt Veneris jugum.
Testaris istud unicus gentis puer.
HIPP. Solamen unum matris amissae fero,
Odisse quod jam feminas omnes licet.
NUTR. Ut dura cautes undique intractabilis
Resistit undis, et lacessentes aquas
Longe remittit, verba sic spernit mea.
Sed Phaedra praeceps graditur, impatiens morae.
Quo se dabit fortuna? quo verget furor?
Terrae repente corpus exanimum accidit,
Et ora morti similis obduxit color.
Attolle vultus, dimove vocis moras:
Tuus en, alumna, temet Hippolytus tenet!

574. Fort.: feminis.

## PHAEDRA, HIPPOLYTUS, NUTRIX, FAMULI.

**Juvenis pudicitiam omni arte oppugnant, sed frustra: ad fraudem itaque confugiunt, et calumniam.**

PH. Quis me dolori reddit, atque aestus graves i. s.
Reponit animo? Quam bene excideram mihi! —
HIPP. Cur dulce munus redditae lucis fugis?
PH. Aude, anime! tenta! perage mandatum tuum!
Intrepida constent verba: qui timide rogat,
Docet negare. Magna pars sceleris mei
Olim peracta est: serus est nobis pudor:
Amavimus nefanda: si coepta exequor,
Forsan jugali crimen abscondam face.
Honesta quaedam scelera successus facit.
En, incipe, anime! — Commodes paulum, precor,
Secretus aures. Si quis est, abeat, comes.
HIPP. En, locus ab omni liber arbitrio vacat!
PH. Sed ora coeptis transitum verbis negant.
Vis magna vocem emittit, at major tenet.
Vos testor omnes, coelites, hoc, quod volo,
Me nolle!
HIPP. Animusne cupiens aliquid effari nequit?
PH. Curae leves loquuntur, ingentes stupent.
HIPP. Committe curas auribus, mater, meis.
PH. Matris superbum est nomen et nimium potens;
Nostros humilius nomen adfectus decet:
Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca;
Famulamque potius: omne servitium feram.
Non me, per altas ire si jubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi jugis;
Non, si per ignes ire et infesta agmina,
Cuncter paratis ensibus pectus dare.
Mandata recipe sceptra, me famulam accipe:
Te imperia regere, me decet jussa exequi.
Muliebre non est regna tutari urbium;

620. Fort.: tutari virûm.

Tu, qui juventae flore primaevo viges,
Cives paterno fortis imperio rege.
Sinu receptam supplicem ac servam tege:
Miserere viduae! HIPP. Summus hoc omen deus
Avertat! aderit sospes actutum parens.
PH. Regni tenacis dominus et tacitae Stygis,
Nullam relictos fecit ad Superos viam.
Thalami remittet ille raptorem sui?
Nisi forte amori placidus et Pluto sedet.
HIPP. Illum quidem aequi coelites reducem dabunt.
Sed dum tenebit vota in incerto deus:
Pietate caros debitâ fratres colam,
Et te merebor esse ne viduam putes,
Ac tibi parentis ipse supplebo locum.
PH. O spes amantum credula! o fallax amor!
Satisne dixit? Precibus admotis agam. —
Miserere! tacitae mentis exaudi preces!
Libet loqui, pigetque. HIPP. Quodnam istud malum est?
PH. Quod in novercam cadere vix credas malum.
HIPP. Ambigua voce verba perplexâ jacis:
Effare aperte. PH. Pectus insanum vapor
Amorque torret. Intimis saevus vorat
Visceribus ignis mersus, et venas latens,
Ut agilis altas flamma, percurrit, trabes.
HIPP. Amore nempe Thesei casto furis?
PH. Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer,
Cum prima puras barba signaret genas,
Monstrique coecam Gnossii vidit domum,
Et longa curvâ fila collegit viâ.
Quis tum ille fulsit! Presserant vittae comam,
Et ora flavus tenera tingebat Pudor;
Inerant lacertis mollibus fortes tori,

642. Vulgo: Intimas saevus vorat Penitus medullas, atque per venas meat Visc. ignis m., et venis latens, Ut a. a. f. p. t.

652. Fort.: Et o. flavi t. t. pudor.

Tuaeque Phoebes vultus, aut Phoebi mei,
Tuusve potius. Talis, en, talis fuit,
Cum placuit hosti; sic tulit celsum caput;
In te magis refulget incomtus decor.
Est genitor in te totus; et torvae tamen
Pars aliqua matris miscet ex aequo decus:
In ore Grajo Scythicus adparet rigor.
Si cum parente Creticum intrasses fretum,
Tibi fila potius nostra nevisset soror.
Te, te, soror, quâcunque siderei poli
In parte fulges, invoco ad causam parem!
Domus sorores una corripuit duas;
Te genitor, at me gnatus. En, supplex jacet
Adlapsa genubus regiae proles domûs!
Respersa labe nullâ, et intacta, innocens;
Tibi mutor uni. Certa descendi ad preces:
Finem hic dolori faciet aut vitae dies.
Miserere amantis! HIPP. Magne regnator deûm,
Tam lentus audis scelera? tam lentus vides?
Ecquando saevâ fulmen emittes manu,
Si nunc serenum est? Omnis impulsus ruat
Aether, et atris nubibus condat diem;
Ac versa retro sidera obliquos agant
Retorta cursus! tuque sidereum caput,
Radiate Titan, ne nefas stirpis tuae
Speculere luci, merge, et in tenebras fuge!
Cur dextra, divûm rector atque hominum, vacat
Tua, nec trisulcâ mundus ardescit face?
In me tona! me fige! me velox cremet
Transactus ignis! sum nocens; merui mori:
Placui novercae. — Dignus en stupris ego
Sceléreque tantô visus? ego solus tibi
Materia facilis? hoc meus meruit rigor?
O scelere vincens omne femineum genus!

658. Vulgo: — decor, Et genitor etc.

687. Fort.: O scelere v. o. monstriferum genus!

[O majus ausa matre monstriferâ malum,]
Genitrice pejor! Illa se tantum stupro
Contaminavit, et tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit notâ,
Scelusque matris arguit vultu truci
Ambiguus infans. Ille te venter tulit.
O ter quaterque prospero fato dati,
Quos hausit et peremit et leto dedit
Odium dolusque! Genitor, invideo tibi:
Colchide novercâ majus hoc, majus malum est.
PH. Et ipsa nostrae fata cognosco domus:
Fugienda petimus; sed mei non sum potens.
Te vel per ignes, per mare insanum sequar,
Rupesque, et amnes, unda quos torrens rapit;
Quâcunque gressus tuleris, hâc amens agar!
Iterum, superbe, genubus advolvor tuis.
HIPP. Procul impudicos corpore a casto amove
Tactus! Quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis: merita supplicia exigat.
En, impudicum crine contorto caput
Laevâ reflexi: justior nunquam focis
Datus tuis est sanguis, arcitenens dea!
PH. Hippolyte, nunc me compotem voti facis:
Sanas furentem. Majus hoc voto meo est,
Salvo ut pudore manibus immoriar tuis.
HIPP. Abscede! vive: ne quid exores; et hic
Contactus ensis deserat castum latus!
Quis eluet me Tanaïs? aut quae barbaris
Maeotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit sceleris. O silvae! o ferae!
PH. Deprensa culpa est, anime! — NUTR. Quid segnis stupes?
Regeramus ipsi crimen, atque ultro impiam
Venerem arguamus. Scelere velandum est scelus.

696. Fort.: Odium dolorque!

Tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.
Ausae priores simus, an passae nefas,
Secreta cum sit culpa, quis testis sciet?
Adeste, Athenae! fida famulorum manus,
Fer opem! nefandi raptor Hippolytus stupri
Instat, premitque; mortis intentat metum;
Ferro pudicam terret! En, praeceps abit,
Ensemque trepidâ liquit attonitus fugâ!
Pignus tenemus sceleris. Hanc moestam prius
Recreate! Crinis tractus et lacerae comae,
Ut sunt, remaneant, facinoris tanti notae.
Perferte in urbem! — Recipe jam sensus, hera!
Quid te ipsa lacerans omnium adspectus fugis?
Mens impudicam facere, non casus, solet.

## CHORUS.

Precatur Chorus, ut bene cedat Hippolyto forma, quae plerisque fuit exitio. Thesei reditum prospicit.

Fugit insanae similis procellae, sapph.
Ocior nubes glomerante Coro,
Ocior cursum rapiente flammâ,
Stella cum ventis agitata longos
Porrigit ignes.
Conferat tecum decus omne priscum
Fama, miratrix senioris aevi.
Pulcrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cum suos ignes coëunte cornu
Junxit, et curru properante pernox
Exerit vultus, rubicunda Phoebe,
Nec tenent stellae faciem minores;
Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modo lotus undis,
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu thyrsigerâ Liber ab Indiâ, asclep.

Intonsâ juvenis perpetuum comâ,
Tigres pampineâ cuspide territans,
Ac mitrâ cohibens cornigerum caput,
Non vinces rigidas Hippolyti comas,
Neu vultus nimium suspicias tuos:
Omnes per populos fabula distulit,
Phaedrae quem Bromio praetulerit soror.
Anceps forma bonum mortalibus, dact. tetr.
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis!
Non sic prata novo vere decentia asclep.
Aestatis calidae despoliat vapor,
Saevit solstitio cum medius dies,
Et noctes brevibus praecipitat rotis.
(Languescunt folio lilia pallido,
Et gratae capiti deficiunt rosae),
Ut fulgor, teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax: quis sapiens bono
Confidat fragili? Dum licet, utere.
Tempus te tacitum subruet, horaque
Semper praeteritâ deterior subit.
Quid deserta petis? Tutior aviis
Non est forma locis. Te nemore abdito,
Cum Titan medium constituit diem,
Cinget turba licens, Naïdes improbae,
Formosos solitae claudere fontibus;
Et somnis facient insidias tuis
Lascivae nemorum deae, glyc.
Montivagique Panes; anacr. chor.
Aut, te stellifero despiciens polo, asclep.
Sidus post veteres Arcadas editum
Currus non poterit flectere candidos.
Et nuper rubuit, nullaque lucidis

769. Fort.: praecipitant.

Nubes sordidior vultibus obstitit;
At nos solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus: tu fueras labor,
Et tu causa morae; te dea noctium
Dum spectat, celeres sustinuit vias.
Vexent hanc faciem frigora parcius,
Haec solem facies rarius adpetat:
Lucebit Pario marmore clarius.
Quam grata est facies torva viriliter,
Et pondus veteris triste supercilî!
Phoebo colla licet splendida compares.
Illum caesaries nescia colligi,
Perfundens humeros, ornat et integit;
Te frons hirta decet, te brevior coma,
Nullâ lege jacens. Tu licet asperos
Pugnacesque deos viribus arceas
Et vasti spatio vincere corporis:
Aequas Herculeos nam juvenis toros,
Martis belligeri pectore latior.
Si dorso libeat cornipedis vehi,
Frenis Castoreâ mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllaron.
Amentum digitis tende prioribus,
Et totis jaculum dirige viribus:
Tam longe, dociles spicula figere,
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
Aut si tela modo spargere Parthico
In coelum placeat: nulla sine alite
Descendent, tepido viscere condita;
Praedam de mediis nubibus auferent.
Raris forma viris (secula prospice!)
Impunita fuit. Te melior deus
Tutum praetereat, formaque nobilis
Deformis senii monstret imaginem.
Quid sinat inausum feminae praeceps furor? i. s.

Nefanda juveni crimina insonti parat.
En scelera! quaerit crine lacerato fidem,
Decus omne turbat capitis, humectat genas;
Instruitur omnis fraude femineâ dolus.
  Sed iste quisnam est, regium vultu decus
Gerens, et alto vertice attollens caput?
Ut ora juveni paria Pirithoo gerit,
Ni languido pallore canderent genae,
Staretque rectâ squalor incultus comâ.
En, ipse Theseus redditus terris adest!

---

# ACTUS TERTIUS.

## THESEUS, NUTRIX.

**Reversus ab Inferis Theseus domestici luctus causam a nutrice obviâ sciscitatur. Illa se hoc tantum scire respondet, Phaedram necis consilium iniisse.**

THES. TANDEM profugi noctis aeternae plagam,
Vastoque manes carcere umbrantem polum.
Ut vix cupitum subferunt oculi diem!
Jam quarta Eleusin dona Triptolemi secat,
Paremque toties Libra composuit diem,
Ambiguus ut me sortis ignotae labor
Detinuit inter mortis et vitae mala.
Pars una vitae mansit extincto mihi,
Sensus. Malorum finis Alcides fuit,
Qui cum revulso Tartaro extraheret canem,
Me quoque supernas pariter ad sedes tulit.
Sed fessa virtus robore antiquo caret,
Trepidantque gressus. Heu, labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum aethera,
Pariterque mortem fugere et Alciden sequi!
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?

831. Fort.: Ut o. f. p. perituro g.

Expromat aliquis! Luctus et lacrimae et dolor,
In limine ipso moesta lamentatio,
Auspicia digna prorsus inferno hospite.
NUTR. Tenet obstinatum Phaedra consilium necis,
Fletusque nostros spernit, ac morti imminet.
THES. Quae causa leti? reduce cur moritur viro?
NUTR. Haec ipsa letum causa maturum attulit.
THES. Perplexa magnum verba nescio quid tegunt.
Effare aperte, quis gravet mentem dolor.
NUTR. Haud pandit ulli. Moesta secretum occulit,
Statuitque secum ferre, quo moritur, malum.
Jam perge, quaeso, perge: properato est opus.
THES. Reserate clusos regii postes laris!

## THESEUS, PHAEDRA, FAMULI.

Primum simulat Phaedra mori se malle, quam vim sibi illatam revelare Theseo; cui deinde nutrici cruciatum minitanti ostendit gladium, quem Hippolytus abjectum reliquisset.

THES. O SOCIA thalami, siccine adventum viri i. e.
Et expetiti conjugis vultum excipis?
Quin ense viduas dexteram, atque animum mihi
Restituis, et, te quidquid e vitâ fugat,
Expromis? PH. Heu heu, per tui sceptra imperî,
Magnanime Theseu, perque natorum indolem,
Tuosque reditus, perque jam cineres meos,
Permitte mortem! THES. Causa quae cogit mori?
PH. Si causa leti dicitur, fructus perit.
THES. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.
PH. Aures pudica conjugis solas timet.
THES. Effare: fido pectore arcana occulam.
PH. Alium silere quod voles, primus sile.
THES. Leti facultas nulla continget tibi.
PH. Mori volenti deesse mors nunquam potest.
THES. Quod sit luendum morte delictum, indica.
PH. Quod vivo. THES. Lacrimae nonne te nostrae movent?

PH. Mors optima est perire lacrimandum suis.
THES. Silere pergit. Verbere ac vinclis anus
Altrixque prodet, quidquid haec fari abnuit.
Vincite ferro. Verberum vis extrahat
Secreta mentis. PH. Ipsa jam fabor, mane.
THES. Quidnam ora moesta avertis, et lacrimas genis
Subito coortas veste praetentâ obtegis?
PH. Te, te, creator coelitum, testem invoco,
Et te coruscum lucis aetheriae jubar,
Ex cujus ortu nostra dependet domus,
Tentata precibus restiti; ferro ac minis
Non cessit animus: vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noster cruor.
THES. Quis (ede!) nostri decoris eversor fuit?
PH. Quem rere minime. THES. Quis sit, audire expeto.
PH. Hic dicet ensis, quem tumultu territus
Liquit stuprator, civium adcursum timens.
THES. Quod facinus, heu me! cerno? quod monstrum intuor?
Regale patriis asperum signis ebur!
Capulo refulget generis Actaei decus!
Sed ipse quonam evasit? PH. Hi trepidum fugâ
Videre famuli concitum celeri pede.

## THESEUS.

Agnito ense deceptus pater et iratus filio immerito exitium imprecatur.

Proh sancta pietas! proh gubernator poli, i. s.
Et qui secundum fluctibus regnum moves,
Unde ista venit generis infandi lues?
Hunc Graja tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchusve Phasis? Redit ad auctores genus,
Stirpemque primam degener sanguis refert.

882. Fort.: vinclis opus; Altrixque etc.

Est iste prorsus gentis armiferae furor,
Odisse Veneris foedera, et castum diu
Vulgare populis corpus. O tetrum genus,
Nullâque victum lege melioris soli!
Ferae quoque ipsae veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.
Ubi vultus ille et ficta majestas viri,
Atque habitus horrens, prisca et antiqua adpetens,
Morumque senium triste, et adfectus graves?
O vita fallax! abditos sensus geris,
Animisque pulcram turpibus faciem induis!
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum; vera fallaces probant;
Simulantque molles dura. Silvarum incola
Ille efferatus, castus, intactus, rudis,
Mihi te reservas? a meo primum toro
Et scelere tanto placuit ordiri virum?
Jamjam superno numini grates ago,
Quod icta nostrâ cecidit Antiope manu;
Quod non ad antra Stygia descendens tibi
Matrem reliqui. Profugus ignotas procul
Percurre gentes! Te licet terra ultimo
Summota mundo dirimat Oceani plagis,
Orbemque nostris pedibus obversum colas;
Licet in recessu penitus extremo abditus
Horrifera celsi regna transieris poli,
Hiemesque supra positus et canas nives
Gelidi frementes liqueris Boreae minas
Post te furentes: sceleribus poenas dabis!
Profugum per omnes pertinax latebras premam!
Longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia
Emetiemur! Nullus obstabit locus:
Scis, unde redeam. Tela quo mitti haud queunt,
Huc vota mittam. Genitor aequoreus dedit,
Ut vota prono trina concipiam deo,

937. Fort.: Post te, furentem sceleribus: poenas dabis!

Et invocata munus hoc sanxit Styge.
En, perage donum triste, regnator freti!
Non cernat ultra lucidum Hippolytus diem,
Adeatque manes juvenis iratos patri.
Fer abominandam nunc opem gnato, parens!
Nunquam supremum numinis munus tui
Consumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara et Ditem horridum,
Et imminentes regis inferni minas,
Voto peperci; redde nunc pactam fidem,
Genitor! — Moraris? cur adhuc undae silent?
Nunc atra ventis nubila impellentibus
Subtexe noctem; sidera et coelum eripe;
Effunde pontum; vulgus aequoreum cie,
Fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca!

## CHORUS.

Queritur chorus, cum coeli ceterarumque rerum cursus certo regantur consilio, non tamen res humanas juste ac recte cedere, cum bonis male sit, malis bene.

O MAGNA parens Natura deûm, a. d. et m.
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas,
Cur tanta tibi est cura perennes
Agitare vias aetheris alti,
Ut nunc canae frigora brumae
Nudent silvas;
Nunc arbustis redeant umbrae;
Nunc aestivi colla Leonis
Cererem magno fervore coquant,
Viresque suas temperet annus;
Et cur idem, qui tanta regis,
Sub quo vasti pondera mundi

Librata suos ducunt orbes,
Hominum nimium securus abes,
Non sollicitus prodesse bonis,
Nocuisse malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera coecâ, pejora fovens.
Vincit sanctos dira libido;
Fraus sublimi regnat in aulâ.
Tradere turpi fasces populus
Gaudet; eosdem colit atque odit.
Tristis virtus perversa tulit
Praemia recti:
Castos sequitur mala paupertas,
Vitioque potens regnat adulter.
O vane pudor, falsumque decus!
Sed quid citato nuncius portat gradu, i. s.
Rigatque moestis lugubrem vultum genis?

---

# ACTUS QUARTUS.

## NUNCIUS, THESEUS, CHORUS.

Narrat Theseo nuncius, ut perierit Hippolytus discerptus ab equis suis, quos terruerat taurus marinus a Neptuno ex Thesei voto immissus.

NUNC. O sors acerba et dura famulatus gravis, i. s.
Cur me ad nefandos nuncium casus vocas?
THES. Ne metue clades fortiter fari asperas:
Non imparatum pectus aerumnis gero.
NUNC. Vocem dolori lingua luctificam negat.
THES. Proloquere, quae sors adgravet quassam domum.
NUNC. Hippolytus, heu me! flebili leto occubat.
THES. Gnatum parens obiisse jam pridem scio;
Hunc raptor obiit. Mortis effare ordinem.
NUNC. Ut profugus urbem liquit infesto gradu,

Celerem citatis passibus cursum explicans:
Celsos sonipedes ocius subigit jugo,
Et ora frenis domita substrictis ligat.
Tum multa secum effatus, et patrium solum
Abominatus, saepe genitorem ciet,
Acerque habenis lora permissis quatit:
Cum subito vastum tumuit ex alto mare,
Crevitque in astra. Nullus inspirat salo
Ventus; quieti nulla pars coeli strepit,
Placidumque pelagus propria tempestas agit.
Non tantus Auster Sicula disturbat freta,
Nec tam furens Ionius exurgit sinus
Regnante Coro, saxa cum fluctu tremunt,
Et cana summum spuma Leucaten ferit.
Consurgit ingens pontus in vastum aggerem,
Tumidumque monstro pelagus in terras ruit.
Nec ista ratibus tanta construitur lues;
Terris minatur. Fluctus haud cursu levi
Provolvitur: nescio quid onerato sinu
Gravis unda portat. Quae novum tellus caput
Ostendit astris? Cyclas exoritur nova?
Latuere rupes, numen Epidauri dei,
Et scelere petrae nobiles Scironides,
Et quae duobus terra comprimitur fretis.
Haec dum stupentes querimur: en! totum mare
Immugit. Omnes undique scopuli adstrepunt.
Summum cacumen rorat expulso sale,
Spumat, vomitque vicibus alternis aquas;
Qualis per alta vehitur Oceani freta
Fluctus refundens ore physeter capax.
Inhorruit concussus undarum globus,
Solvitque sese, et littori invexit malum
Majus timore. Pontus in terram ruit,
Suumque monstrum sequitur. Os quassat tremor.
THES. Quis habitus ille corporis vasti fuit?
NUNC. Herculea taurus colla sublimis gerens

Erexit altam fronte viridanti jubam;
Stant hispidae aures; oribus varius color,
Et quem feri dominator habuisset gregis,
Et quem sub undis natus (hinc flammam vomunt,
Oculi hinc relucent caerulâ insignes notâ);
Opima cervix arduos tollit toros,
Naresque hiulcis haustibus patulae fremunt;
Musco tenaci pectus ac palear viret;
Longum rubenti spargitur fuco latus;
Tum pone tergus ultima in monstrum coït
Facies, et ingens bellua immensam trahit
Squamosa partem. Talis extremo mari
Pistrix citatas sorbet ac frangit rates.
Tremuere terrae; fugit attonitum pecus
Passim per agros, nec suos pastor sequi
Meminit juvencos; omnis e saltu fera
Diffugit, omnis frigido exsanguis metu
Venator horret. Solus immunis metu
Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pavidosque notae vocis hortatu ciet.
Est alta ad Argos collibus ruptis via,
Vicina tangens spatia suppositi maris;
Hic se illa moles acuit, atque iras parat.
Ut cepit animos, seque praetentans satis
Prolusit irae: praepeti cursu evolat,
Summam citato vix gradu tangens humum,
Et torva currus ante trepidantes stetit.
Contra feroci gnatus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, et magnum intonat:
„Haud frangit animum vanus hic terror meum:
Nam mihi paternus vincere est tauros labor.“
Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum; jamque deerrantes viâ,
Quâcunque rabidos pavidus evexit furor,
Hâc ire pergunt, seque per scopulos agunt.
At ille, qualis turbido rector mari

Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit, haud aliter citos
Currus gubernat: ora nunc pressis trahit
Constricta frenis, terga nunc torto frequens
Verbere coërcet. Sequitur adsiduus comes,
Nunc aequa carpens spatia, nunc contra obvius
Oberrat, omni parte terrorem movens.
Non licuit ultra fugere: nam toto obvius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum vero pavidâ sonipedes mente exciti
Imperia solvunt, seque luctantur jugo
Eripere, rectique in pedes jactant onus.
Praeceps in ora fusus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus; et quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensere pecudes facinus, et curru levi,
Dominante nullo, quâ timor jussit, ruunt.
Talis per auras non suum agnoscens onus,
Solique falso creditum indignans diem,
Phaëthonta currus devio excussit polo.
Late cruentat arva, et inlisum caput
Scopulis resultat. Auferunt dumi comas,
Et ora durus pulcra populatur lapis,
Peritque multo vulnere infelix decor.
Moribunda celeres membra provolvunt rotae;
Tandemque raptum truncus ambustâ sude
Medium per inguen stipite erecto tenet,
Paulumque domino currus adfixo stetit.
Haesere bijuges vulnere, et pariter moram
Dominumque rumpunt. Inde semianimem secant
Virgulta; acutis asperi vepres rubis,
Omnisque truncus corporis partem tulit.
Errant per agros, funebris, famuli, manus,
Per illa, quâ distractus Hippolytus, loca,
Longum cruentâ tramitem signat notâ;

1097. vulnere. Leg.: pulvere.

Moestaeque domini membra vestigant canes.
Necdum dolentum sedulus potuit labor
Explere corpus. Hoccine est formae decus?
Qui modo, paterni clarus imperii comes
Et certus heres, siderum fulsit modo,
Passim ad supremos ille colligitur rogos,
Et funeri confertur. THES. O nimium potens,
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes
Natura! quam te colimus inviti quoque!
Occidere volui noxium; amissum fleo. —
CHOR. Haud quisquam honeste flere, quod voluit, potest.
THES. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,
Si abominanda casus optata efficit.
NUNC. Etsi odia servas, cur madent fletu genae?
THES. Quod interemi, non quod amisi, fleo.

## CHORUS.

**Sublimis fortunae instabilitatem et pericula, humilis securitatem canit, Hippolyti mortem deflet.**

QUANTI casus humana rotant! a. d.
Minor in parvis Fortuna furit,
Leviusque ferit leviora deus;
Servat placidos obscura quies,
Praebetque senes casa securos.
Admota aetheriis culmina sedibus asclep.
Euros excipiunt, excipiunt Notos,
Insani Boreae minas, glyc.
Imbriferumque Corum. anacr. chor.
Humida vallis raros patitur a. d. et m.
Fulminis ictus: tremuit telo
Jovis altisoni Caucasus ingens,
Phrygiumque nemus matris Cybeles.
Metuens coelo Jupiter alto
Vicina petit;

Non capit unquam magnos motus
Humilis tecti plebeja domus.
[Circa regna tonat.]
Volat ambiguis mobilis alis
Hora, nec ulli
Praestat velox Fortuna fidem.
Qui clara videt sidera mundi
Nitidumque diem nocte relictâ,
Luget moestos tristis reditus;
Ipsoque magis flebile Averno
Sedis patriae videt hospitium.
Pallas Actaeae veneranda genti, sapph.
Quod tuus coelum Superosque Theseus
Spectat, et fugit Stygias paludes,
Casta nil debes patruo rapaci:
Constat inferno numerus tyranno.
Quae vox ab altis flebilis tectis sonat, i. s.
Strictoque vecors Phaedra quid ferro parat?

---

# ACTUS QUINTUS.

## THESEUS, PHAEDRA.

Phaedra Hippolyti innocentiam, suas calumnias revelat, ipsaque suâ se manu occidit. Pater non sine luctu filio justa persolvit, novercae negat.

THES. Quis te dolore percitam instigat furor? i. s.
Quid ensis iste, quidve vociferatio,
Planctusque supra corpus invisum volunt?
PH. Me, me, profundi saeve dominator freti,
Invade, et in me monstra caerulei maris
Emitte, quidquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat, quidquid Oceanus vagis
Complexus undis ultimo fluctu tegit!
O dire Theseu semper, o nunquam tuis

Tuto reverse! Gnatus et genitor nece
Reditus tuos luére: pervertis domum,
Amore semper conjugum aut odio nocens.
Hippolyte, tales intuor vultus tuos,
Talesque feci? Membra quis saevus Sinis,
Aut quis Procrustes sparsit? aut quis Cressius,
Daedalea vasto claustra mugitu replens,
Taurus biformis, ore cornigero ferox,
Divulsit? Heu me! quo tuus fugit decor,
Oculique, nostrum sidus? Exanimis jaces?
Ades parumper, verbaque exaudi mea!
Nil turpe loquimur. Hâc manu poenas tibi
Solvam, et nefando pectori ferrum inseram,
Animâque Phaedram pariter ac scelere exuam;
Et te per undas perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar!
Placemus umbras: capitis exuvias cape,
Laceraeque frontis accipe abscissam comam!
Non licuit animos jungere; at certe licet
Junxisse fata. Morere, si casta es, viro;
Si incesta, amori. Conjugis thalamos petam
Tanto impiatos facinore? Hoc deerat nefas,
Ut vindicato sancta fruereris toro!
O mors pudoris maximum laesi decus,
O mors amoris una sedamen mali,
Confugimus ad te: pande placatos sinus!
Audite, Athenae, tuque, funestâ pater
Pejor novercâ: falsa memoravi, et nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,
Mentita finxi. Vana punisti pater,
Juvenisque castus crimine incesto jacet. —
Pudicus, insons, recipe jam mores tuos! —
Mucrone pectus impium justo patet,
Cruorque sancto solvit inferias viro!
Quid facere rapto debeas gnato parens,
Disce a novercâ: condere Acherontis plagis!

## THESEUS, CHORUS.

THES. PALLIDI fauces Averni, vosque Taenarei specus, tr. tetr. c.
Unda miseris grata Lethes, vosque, torpentes lacus,
Impium rapite, atque mersum premite perpetuis malis!
Nunc adeste, saeva ponti monstra, nunc vastum mare,
Ultimo quodcunque Proteus aequorum abscondit sinu,
Meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites!
Tuque semper, genitor, irae facilis adsensor meae,
Morte facile dignus haud sum, qui novâ gnatum nece
Segregem sparsi per agros; quique, dum falsum nefas
Exequor vindex severus, incidi in verum scelus.
Sidera et manes et undas scelere complevi meo:
Amplius sors nulla restat: regna me norunt tria.
In hoc redimus: patuit ad coelum via, i. s.
Bina ut viderem funera et geminam necem;
Coelebs et orbus, funebres unâ face
Ut concremarem prolis ac thalami rogos.
Donator atrae lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus; ereptos mihi
Restitue manes! — Impius frustra invoco
Mortem relictam. Crudus et leti artifex,
Exitia machinatus insolita, effera,
Nunc ipse tibimet justa supplicia inroga!
Pinus coacto vertice attingens humum
Coelo remissum findat in geminas trabes,
Mittarve praeceps saxa per Scironia!
Graviora vidi, quae pati clusos jubet
Phlegethon, nocentes igneo cingens vado:
Quae poena maneat memet et sedes, scio.
Umbrae nocentes cedite, et cervicibus
His, his repositum degravet fessas manus

1201. Fort.: Squalidi fauces etc.
1206. Fort.: capito.

Saxum, seni perennis Aeolio labor;
Me ludat amnis ora vicina adluens;
Vultur relicto transvolet Tityo ferus,
Meumque poenae semper accrescat jecur;
Et tu mei requiesce Pirithoi pater:
Haec incitatis membra turbinibus ferat
Nusquam resistens orbe revoluto rota.
Dehisce, tellus! recipe me, dirum chaos,
Recipe! haec ad umbras justior nobis via est:
Gnatum sequor. Ne metue, qui manes regis:
Casti venimus. — Recipe me aeternâ domo
Non exiturum! — Non movent divos preces;
At si rogarem scelera, quam proni forent!
CHOR. Theseu, querelis tempus aeternum manet.
Nunc justa nato solve, et absconde ocius
Dispersa foede membra laniatu effero.
THES. Huc, huc reliquias vehite cari corporis,
Pondusque et artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? Crimen agnosco meum:
Ego te peremi; neu nocens tantum semel
Solusve fierem: facinus ausurus parens
Patrem advocavi. Munere, en, patrio fruor!
O triste fractis orbitas annis malum!
Complectere artus, quodque de gnato est super,
Miserande, moesto pectore incumbens fove!
Disjecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone, et errantes loco
Restitue partes! Fortis hic dextrae locus;
Hic laeva frenis docta moderandis manus
Ponenda. Laevi lateris agnosco notas.
Quam magna lacrimis pars adhuc nostris abest!
Durate, trepidae, lugubri officio, manus,
Fletusque largos sistite, arentes genae,
Dum membra nato genitor adnumerat suo,
Corpusque fingit! Hoc quid est formâ carens
Et turpe, multo vulnere abruptum undique?

Quae pars tui sit dubito, sed pars est tui.
Hic, hic repone; non suo, at vacuo loco.
Haecne illa facies igne sidereo nitens,
Inimica flectens lumina? huc cecidit decor?
O dira fata! numinum o saevus favor!
Sic ad parentem gnatus ex voto redit?
En, haec suprema dona genitoris cape,
Saepe efferendus! interim haec ignes ferant.
Patefacite acerbâ caede funestam domum:
Mopsopia claris tota lamentis sonet.
Vos adparate regii flammam rogi;
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite! Istam terra defossam premat,
Gravisque tellus impio capiti incubet.

# L. ANNAEI SENECAE

# OEDIPUS.

## DRAMATIS PERSONAE.

OEDIPUS.
IOCASTA.
CREON.
CHORUS THEBANORUM.
TIRESIAS.
MANTO.
SENEX.
PHORBAS.
NUNCIUS.

# OEDIPUS.

## ARGUMENTUM.

Grassante Thebis dirâ pestilentiâ mittitur Delphos Creon consulturus Apollinem. Refert, expiandam Laji necem interfectoris exilio. Qui cum ignoraretur, Tiresias, frustra extispicia aggressus, per necromantiam Laji umbrâ evocatâ intelligit, ipsum esse regem Oedipum. Negat primum ille, sed postea disquirens invenit, se filium esse Laji, quem interfecerat, et Iocastae, quam uxorem duxerat. Effossis itaque prae pudore atque irâ oculis in exilium abit, et Iocasta gladio se confodit.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Lajus erat duri periturus vulnere nati,
Ut sortes vatum et Phoebi responsa canebant.
Id metuens puerum primo de matre cadentem
Condemnans jubet umbrosis exponere silvis.
Fata invicta manent, Parcarum immobilis ordo est:
Infantem, ut perhibent, ad moenia celsa Corinthi
Sors infensa tulit, regali et sede locavit;
Ille autem, pergens scitatum oracula Phoebi,
Unde genus ducat, quis primus sanguinis auctor,
Incidit in patrem, quem funere mersit acerbo
Inscius, et Thebas violento Marte subegit.
Iungitur ecce! nefas: thalamos namque ille parentis
Invasit, proprios iterum revolutus in ortus.
Haec ubi fatidici cecinerunt crimina vates:
Hic latuit densis effosso lumine silvis;
At genitrix tantos finivit morte dolores.

# ACTUS PRIMUS.

## OEDIPUS, IOCASTA.

**Oedipus de pestis saevitiâ conqueritur.**

OED. JAM nocte Titan dubius expulsâ redit, i. 1.
Et nube moestum squalidâ exoritur jubar,
Lumenque flammâ triste luctificâ gerens
Prospiciet avidâ peste solatas domos,
Stragemque, quam nox fecit, ostendet dies.
Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blandâ tegis!
Ut alta ventos semper excipiunt juga;
Rupemque saxis vasta dirimentem freta,
Quamvis quieti, verberant fluctus maris:
Imperia sic excelsa Fortunae objacent.
Quam bene parentis sceptra Polybi fugeram,
Curis solutus exul, intrepidus, vacans!
Coelum deosque testor, in regnum incidi.
Infanda timeo, ne meâ genitor manu
Perimatur. Hoc me Delphicae laurus monent,
Aliudque nobis majus indicunt scelus.
Est majus aliquod patre mactato nefas?
Proh misera pietas! eloqui fatum pudet:
Thalamos parentis Phoebus et diros toros
Gnato minatur, impiâ incestos face.
Hic me paternis expulit regnis timor:
Non ego penates profugus excessi meos;
Parum ipse fidens mihimet in tuto tua,
Natura, posui jura. Cum magna horreas:
Quae posse fieri non putes, metuas tamen.

Cuncta expavesco, meque non credo mihi.
Jamjam aliquid in nos fata moliri parant:
Nam quid rear, quod ista Cadméae lues
Infesta genti strage tam late editâ
Mihi parcit uni? cui reservamur malo?
Inter ruinas urbis et semper novis
Deflenda lacrimis funera ac populi struem
Incolumis adsto. Scilicet Phoebi reus
Sperare poteras sceleribus tantis dari
Regnum salubre? Fecimus coelum nocens.
Non aura gelido lenis adflatu fovet
Anhela flammis corda, non Zephyri leves
Spirant; sed igne frigit aestiferi Canis
Titan, Leonis terga Nemeaei premens.
Deseruit amnes humor atque herbas color,
Aretque Dirce; tenuis Ismenos fluit,
Et tingit inopi nuda vix undâ vada.
Obscura coelo labitur Phoebi soror,
Tristisque mundus nubilo pallet novo.
Nullum serenis noctibus sidus micat;
Sed gravis et ater incubat terris vapor.
Obtexit arces coelitum ac summas domos
Inferna facies. Denegat fructum Ceres
Adultà; et altis flava cum spicis tremat,
Arente culmo sterilis emoritur seges.
Nec ulla pars immunis exitio vacat;
Sed omnis aetas pariter et sexus ruit,
Juvenesque senibus jungit, et gnatis patres
Funesta pestis; una fax thalamos cremat;
Planctuque acerbo funera et questu carent.
Quin ipsa tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos; quodque in extremis solet,
Periere lacrimae. Portat hunc aeger parens
Supremum ad ignem; mater hunc amens gerit;
Properatque, ut alium repetat in eundem rogum.

56. Vulgo: Fletuque acerbo.

Quin luctu in ipso luctus exoritur novus,
Suaeque circa funus exequiae cadunt.
Tum propria flammis corpora alienis cremant;
Diripitur ignis: nullus est miseris pudor.
Non ossa tumuli sancta discreti tegunt;
Arsisse satis est. Pars quota in cineres abit?
Deest terra tumulis; jam rogos silvae negant.
Non vota, non ars ulla correptos levant.
Cadunt medentes; morbus auxilium trahit.
Adfusus aris supplices tendo manus,
Matura poscens fata: praecurram ut prior
Patriam ruentem, neve post omnes cadam,
Fiamque regni funus extremum mei.
O saeva nimium numina! o fatum grave!
Negatur uni nempe in hoc populo mihi
Mors tam parata? Sperne letali manu
Contacta regna! linque lacrimas, funera,
Tabifica coeli vitia, quae tecum invehis
Infaustus hospes! profuge jamdudum ocius
Vel ad parentes. IOC. Quid juvat, conjux, mala
Gravare questu? Regium hoc ipsum reor,
Adversa capere; quoque sit dubius magis
Status, et cadentis imperi moles labet,
Hoc stare certo pressius fortem gradu.
Haud est virile terga Fortunae dare.
OED. Abest pavoris crimen ac probrum procul,
Virtusque nostra nescit ignavos metus.
Si tela contra stricta, si vis horrida
Mavortis in me rueret: adversus feros
Audax gigantes obvias ferrem manus.
Nec Sphinga coecis verba nectentem modis
Fugi: cruentos vatis infandae tuli
Rictus, et albens ossibus sparsis solum;
Cumque e supernâ rupe, jam praedae imminens,

72. Fort.: Praecurram, precor, Patriam etc.
78. Fort.: linque lacrimans funera.

Aptaret ales verbera, et, caudam movens,
Saevi leonis more, conciperet minas:
Carmen poposci. Sonuít horrendum; insuper
Crepuere malae; saxaque impatiens morae
Revulsit unguis, viscera expectans mea.
Nodosa sortis verba et implexos dolos
Ac triste carmen alitis solvi ferae.
IOC. Quid sera mortis vota nunc demens facis?
Licuit perire. Laudis hoc pretium tibi
Sceptrum, et peremtae Sphingis haec merces datur.
OED. Ille, ille, dirus callidi monstri cinis
In nos rebellat; illa nunc Thebas lues
Peremta perdit. Una jam superest salus,
Si quam salutis Phoebus ostendit viam.

## CHORUS.

Luis gravitatem deplorat Chorus e Thebanis.

Occidis Cadmi generosa proles sapph.
Urbe cum totâ! viduas colonis
Respicis terras, miseranda Thebe!
Carpitur leto tuus ille, Bacche,
Miles, extremos comes usque ad Indos.
Ausus Eoïs equitare campis,
Figere et mundo tua signa primo.
Cinnami silvis Arabes beatos
Vidit, et versas equitis sagittas
Terga fallacis metuenda Parthi;
Littus intravit pelagi rubentis.
Promit hic ortus aperitque lucem
Phoebus, et flammâ* propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis invictae genus interimus.
Labimur saevo rapiente fato.
Ducitur semper nova pompa Morti;

115. Fort.: Baccheu.

Longus ad manes properatur ordo
Agminis moesti; seriesque tristis
Haeret, et turbae tumulos petenti
Non satis septem patuere portae.
Stat gravis strages, premiturque juncto
Funere funus.
Prima vis tardas tetigit bidentes:
Laniger pingues male carpsit herbas.
Colla tacturus steterat sacerdos;
Dum manus certum parat alta vulnus:
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur segnis. Patuit sub ictu
Ponderis vasti resoluta cervix?
Ne cruor ferrum maculavit: atrâ
Turpis e plagâ sanies profusa est.
Segnior cursu sonipes in ipso
Concidit gyro, dominumque prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictae;
Taurus armento pereunte marcet.
Deficit pastor grege diminuto,
Tabidos inter moriens juvencos.
Non lupos cervi metuunt rapaces;
Cessat irati fremitus leonis;
Nulla villosis feritas in ursis;
Perdidit pestem latebrosa serpens,
Aret, et sicco moritur veneno.
Non silva suâ decorata comâ a. d. et m.
Fundit opacis montibus umbras;
Non rura virent ubere glebae;
Non plena suo vitis Iaccho
Brachia curvat:
Omnia nostrum sensere malum.
Rupere Erebi claustra profundi
Turba sororum face Tartareâ;
Phlegethonque suâ motam ripâ

Miscuit undis Styga Sidoniis.
Mors alta avidos oris hiatus
Pandit, et omnes explicat alas.
Quique capaci turbida cymbâ
Flumina servat durus senio
Navita crudo, vix adsiduo
Brachia conto lassata refert,
Fessus turbam vectare novam.
Quin Taenarei vincula ferri
Rupisse canem fama, et nostris
Errare locis; mugisse solum;
Vaga per lucos simulacra virûm
Majora viris; bis Cadméum
Nive discussâ tremuisse nemus;
Bis turbatam sanguine Dircen;
Nocte silenti
Amphionios ululasse canes.
O dira novi facies leti,
Gravior leto! Piger ignavos
Adligat artus languor; et aegro
Rubor in vultu, maculaeque caput
Sparsere leves; tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus urit,
Multoque genas sanguine tendit,
Oculique rigent, et sacer ignis
Pascitur artus; resonant aures;
Stillatque niger naris aduncae
Cruor, et venas rumpit hiantes;
Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens. Tunc amplexu
Frigida presso saxa fatigant.
Quos liberior domus elato
Custode sinit, petitis fontes,
Aliturque sitis latice ingesto.
Prostrata jacet turba per aras,

163. Fort.: undam Styge Sidoniâ.

Oratque mori. Solum hoc faciles
Tribuere dei. Delubra petunt,
Haud ut voto numina placent,
Sed juvat ipsos satiare deos.
Quisnam ille propero regiam gressu petit? i. s.
Adestne clarus sanguine ac factis Creon,
An aeger animus falsa pro veris videt?
Adest petitus omnibus votis Creon.

---

# ACTUS SECUNDUS.

## OEDIPUS, CREON.

Reversus Delphis Creon nunciat, jubere deum, ut mors Laji expurgetur, nec prius cessaturam pestem, quam in exilium mittatur interfector ejus; de quo, quia non nominatur, ambigitur.

OED. Horrore quatior, fata quo vergant timens, i. s.
Trepidumque gemino pectus adflictu labat.
Ubi laeta duris mixta in ambiguo jacent:
Incertus animus scire cum cupiat, timet.
Germane nostrae conjugis, fessis opem
Si quam reportas, voce properatâ edoce.
CR. Responsa dubia sorte perplexâ latent.
OED. Dubiam salutem qui dat adflictis, negat.
CR. Ambage flexâ Delphico mos est deo
Arcana tegere. OED. Fare, sit dubium licet:
Ambigua soli noscere Oedipodae datur.
CR. Caedem expiari regiam exilio deus,
Et interemtum Laïum ulcisci jubet.
Non ante coelo lucidus curret dies,
Haustusque tutos aetheris puri dabit.
OED. Et quis peremtor incliti regis fuit?
Quem memoret, ede, Phoebus: ut poenas luat.

CR. Sit, precor, dixisse tutum visu et auditu horrida. t. tetr.
Torpor insedit per artus, frigidus sanguis coït.
Ut sacrata templa Phoebi supplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite submisi manus:
Gemina Parnassi nivalis arx truoem fremitum dedit,
Imminens Phoebéa laurus tremuit et movit domum,
Ac repente sancta fontis lympha Castalii stetit.
Incipit Lethaea vates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phoebum. Contigit nondum specum:
Emicat vasto fragore major humano sonus:
„Mitia Cadmeïs remeabunt sidera Thebis, hexam. her.
„Si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes,
„Regis caede nocens, Phoebo jam notus et infans.
„Nec tibi longa manent sceleratae gaudia caedis:
„Tecum bella geres, natis quoque bella relinques,
„Turpis maternos iterum revolutus in ortus.“
OED. Quod facere monitu coelitum jussus paro,
Functi cineribus regis hoc decuit dari,
Ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
Regi tuenda maxime regum est salus:
Queritur peremtum nemo, quem incolumem timet.
CR. Curam peremti major excussit timor.
OED. Pium prohibuit ullus officium metus?
CR. Sphinx et nefandi carminis tristes minae.
OED. Nunc expietur numinum imperio scelus.
Quisquis deorum regna placatus vides;
Tu, tu, penes quem jura praecipitis poli;
Tuque, o sereni maximum mundi decus,
Bis sena cursu signa qui vario regis,
Qui tarda celeri secula evolvis rotâ;
Sororque fratri semper occurrens tuo,
Noctivaga Phoebe; quique ventorum potens
Aequor per altum caerulos currus agis;
Et qui carentes luce disponis domos,

230. Lethaea. Fort.: luctata.

Adeste! Cujus Laïus dextrâ occidit,
Hunc non quieta tecta, non fidi lares,
Non hospitalis exulem tellus ferat.
Thalamis pudendis doleat et prole impiâ.
Hic et parentem dexterâ perimat suâ;
Faciatque (num quid gravius optari potest?)
Quidquid ego fugi. Non erit veniae locus:
Per regna juro, quaeque nunc hospes gero,
Et quae reliqui; perque penetrales deos:
Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi
Utrinque nostro geminus adludis solo;
Et ipse nostris vocibus testis veni,
Fatidica vatis ora Cirrhaeae movens.
Ita molle senium ducat, et summum diem
Securus alto reddat in solio, parens,
Solasque Merope noverit Polybi faces,
Ut nulla sontêm gratia eripiet mihi!
Sed quo nefandum facinus admissum loco est,
Memorato. Aperto Marte, an insidiis jacet?
CR. Frondifera sanctae nemora Castaliae petens,
Calcavit arctis obsitum dumis iter,
Trigemina quâ se spargit in campos via.
Secat una gratum Phocidos Baccho solum,
Unde altus ima deserit, coelum petens,
Clementer acto colle, Parnassos biceps;
At una bimares Sisyphi terras adit,
Olenia in arva; tertius trames, cavâ
Convalle serpens, tangit errantes aquas,
Gelidumque dirimit amnis Eleï vadum.
Hic pace fretum subita praedonum manus
Adgressa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipso, sorte Phoebeâ excitus,

275. Fort.: Marte, aperto.

283. Fort.: Olenio ab arvo.

285. Eleï. Fort.: Eridani.

Tiresia tremulo tardus adcelerat genu,
Comesque Manto luce viduatum trahens.

## OEDIPUS, TIRESIAS, MANTO.

Tiresias per haruspicium eruere Laji interfectorem tentat, sed re propter tristia extispicia infectâ ad necromantiam se convertit.

OED. SACRATE divis, proximum Phoebo caput, i. s.
Responsa solve; fare, quem poenae petant.
TIR. Quod tarda fatu est lingua, quod quaerit moras,
Haud te quidem, magnanime, mirari addecet:
Visu carenti magna pars veri latet.
Sed quo vocat me patria, quo Phoebus, sequar:
Fata eruantur. Si foret viridis mihi
Calidusque sanguis: pectore exciperem deum.
Adpellite aris candidum tergo bovem,
Curvoque nunquam colla depressum jugo!
Tu, lucis inopem, gnata, genitorem regens,
Manifesta sacri signa fatidici refer.
MAN. Opima sanctas victima ante aras stetit.
TIR. In vota Superos voce solemni voca,
Arasque dono turis Eoï extrue.
MAN. Jam tura sacris coelitum ingessi focis.
TIR. Quid flamma? largas jamne comprendit dapes?
MAN. Subito refulsit lumine, et subito occidit.
TIR. Utrumne clarus ignis et nitidus stetit,
Rectusque purum verticem coelo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam;
An latera circumserpit incertus viae,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. Non una facies mobili flammae fuit:
Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quae magnâ poli
Curvata picto nunciat nimbos sinu.
Quis desit illi, quisve sit, dubites, color:

309. nitidus. Fort.: viridis.

Caerulea fulvis mixta oberravit notis;
Sanguinea rursus; ultima in tenebras abît.
Sed ecce! pugnax ignis in partes duas
Discedit, et se scindit unius sacri
Discors favilla. Genitor, horresco intuens:
Libata Bacchi dona permuta cruor,
Ambitque densus regium fumus caput.
Ipsosque circa spissior vultus sedet,
Et nube densâ sordidam lucem abdidit.
Quid sit, parens, effare! TIR. Quid fari queam
Inter tumultus mentis attonitae vagus?
Quidnam loquar? Sunt dira, sed in alto, mala.
Solet ira certis numinum ostendi notis.
Quid istud est, quod esse prolatum volunt,
Iterumque nolunt, et truces iras tegunt?
Pudet deos nescio quid. Huc propere admove,
Et sparge salsâ colla taurorum molâ.
Placidone vultu sacra et admotas manus
Patiuntur? MAN. Altum taurus attollens caput,
Primos ad ortus positus, expavit diem,
Trepidusque vultum obliquat, et radios fugit.
TIR. Unone terram vulnere adflicti petunt?
MAN. Juvenca ferro semet opposito induit,
Et vulnere uno cecidit; at taurus, duos
Perpessus ictus, huc et huc dubius ruit,
Animamque fessus vix reluctantem exprimit.
TIR. Utrum citatus vulnere angusto micat,
An lentus altas irrigat plagas cruor?
MAN. Hujus per ipsam, quâ patet pectus, viam
Effusus amnis; hujus exiguo graves
Maculantur ictus imbre, sed versus retro
Per ora multus sanguis atque oculos redit.
TIR. Infausta magnos sacra terrores cient.
Sed ede certas viscerum nobis notas.
MAN. Genitor, quid hoc est? Non levi motu, ut solent,
Agitata trepidant exta; sed totas manus

Quatiunt, novusque prosilit venis cruor.
Cor marcet aegrum penitus, ac mersum latet,
Liventque venae; magna pars fibris abest;
Et felle nigro tabidum spumat jecur,
Ac (semper omen unico imperio grave)
En! capita paribus bina consurgunt toris;
Sed utrumque caesum tenuis abscondit caput
Membrana. Latebram rebus occultis negans,
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit. Has omnes retro
Prohibens reverti limes obliquus secat.
Mutatus ordo est; sede nil propriâ jacet;
Sed acta retro cuncta. Non animae capax
In parte dextrâ pulmo sanguineus jacet;
Non laeva cordis regio; non molli ambitu
Omenta pingues visceri obtendunt sinus.
Natura versa est; nulla lex utero manet.
Scrutemur, unde tantus hic extis rigor.
Quod hoc nefas? Conceptus innuptae bovis,
Nec more solito positus, alieno in loco
Implet parentem. Membra cum gemitu movet;
Tremulo rigore debiles artus micant;
Infecit atras lividus fibras cruor;
Tentantque turpes mobilem trunci gradum,
Et inane surgit corpus, ac sacros petit
Cornu ministros; viscera effugiunt manum;
Neque ipsa, quae te pepulit, armenti gravis
Vox est, nec usquam territi resonant greges:
Immugit aris ignis, et trepidant foci.
OED. Qui ista sacri signa terrifici ferant,
Exprome: voces aure non timidâ hauriam.
Solent suprema facere securos mala.
TIR. His invidebis, quibus opem quaeris, malis.
OED. Memora, quod unum scire coelicolae volunt,
Contaminarit rege quis caeso manus.
TIR. Nec alta coeli quae levi pennâ secant,

Nec fibra vivis rapta pectoribus potest
Ciere nomen: alia tentanda est via.
Ipse evocandus noctis aeternae plagis:
Emissus Erebo ut caedis auctorem indicet.
Reseranda tellus, Ditis implacabile
Numen precandum, populus infernae Stygis
Huc extrahendus. Ede: cui mandas sacrum?
Nam te, penes quem summa regnorum est, nefas
Invisere umbras. OED. Te, Creo, hic poscit labor,
Ad quem secundum regna respiciunt mea.
TIR. Dum nos profundae claustra laxamus Stygis,
Populare Bacchi laudibus carmen sonet.

## CHORUS.

Canit Chorus dithyrambum, qui Bacchi gesta et inventa continet.

EFFUSAM redimite comam nutante corymbo, hexam. her.
Mollia Nisaeis armate brachia thyrsis,
Lucidum coeli decus, huc ades votis, as.: t. d. c. et t. h.
Quae tibi nobiles Thebae, Bacche, tuae asclep. inv.
Palmis supplicibus ferunt! glyc.
Huc adverte favens virgineum caput! asclep.
Vultu sidereo discute nubila,
Et tristes Erebi minas, avidumque fatum! as.: glyc. et i. h.
Te decet vernis comam floribus cingi, as.: t. d. c. et t. hyp. cl.
Te caput Tyriâ cohibere mitrâ, sapph. dact.
Hederâve mollem bacciferâ religare frontem; as.: i. h. chor. i. h.
Spargere effusos sine lege crines; sapph.
Rursus adducto revocare nodo;
Qualis iratam metuens novercam
Creveras falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo,
Luteam vestem retinente zonâ.

Inde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma.
Vidit aurato residere curru,
Veste cum longâ tegeres leones,
Omnis Eoae plaga vasta terrae,
Qui bibit Gangem, niveumque quisquis
Frangit Araxen.

Te senior turpi sequitur Silenus asello, hexam. her.
Turgida pampineis redimitus tempora sertis.
Condita lascivi deducunt orgia mystae.

Te Bassaridum comitatá cohors a. d. et m.
Nunc Edoni pede pulsavit
Sola Pangaei;
Nunc Threïcio vertice Pindi;
Nunc Cadméas inter matres
Impia Maenas
Comes Ogygio venit Iaccho,
Nebride sacrâ praecincta latus.
Tibi commotae pectora matres
Fudere comam;
Thyrsumque levem vibrante manu
Jam post laceros Pentheos artus
Thyades, oestro membra remissae,
Velut ignotum videre nefas.

Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi, hexam. her.
Nereïdumque choris Cadmeïa cingitur Ino;
Jus habet in fluctus magni puer advena ponti
Cognatus Bacchi, numen non vile, Palaemon.

Te Tyrrhena, puer, rapuit manus, dact. tetr.
Et tumidum Nereus posuit mare;
Caerula cum pratis mutat freta:
Hinc verno platanus folio viret,
Et Phoebo laurus carum nemus
(Carrula per ramos avis obstrepit);

429. turpi. Fort.: tardo.

450. Fort.: mutant.

Vicaces hederas remus tenet;
Summa ligat vitis carchesia.
Idaeus prorâ fremuit leo;
Tigris puppe sedet Gangetica.
Tum pirata freto pavidus natat,
Et nova demersos facies habet:
Brachia prima cadunt praedonibus,
Illisumque utero pectus coït;
Parvula dependet lateri manus;
Et dorso fluctum curvo subit,
Lunatâ scindit caudâ mare:
Et sequitur curvus fugientia carbasa delphin. hexam. her.
Divite Pactolos vexit te Lydius undâ,
Aurea torrenti deducens flumina ripâ.
Laxavit victos arcus Geticasque sagittas
Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.
Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi;
Sensere terrae Zalacûm feroces, as.: 2 i. hyp.
Et quos vicinus Boreas ferit dact. tetr.
Arva mutantes; quasque Maeotis as.: 2 t. hyp.
Adluit gentes frigido fluctu;
Quasque despectat vertice summo as.: t. h. et adon.
Sidus Arcadium, geminumque plaustrum. sapph. dact.
Ille dispersos domuit Gelonos; sapph.
Arma detraxit trucibus puellis:
Ore dejecto petiere terram
Thermodontiacae graves catervae, hendecas.
Positisque tandem levibus sagittis, as.: 2 i. hyp.
Maenades factae.
Sacer et Cithaeron sanguine undavit i. tr. br. cl.
Amphioniâque caede; anacr.
Proetides silvas petiere, et Argos sapph.
Praesente Bacchum coluit novercâ. as.: 2 i. hyp.
Naxos Aegaeo redimita ponto sapph.
Tradidit thalamis virginem relictam, as.: t. h. et t. d. br.

Meliore pensans damna marito. as.: i. h. et adon.
Pumice ex sicco fluxit Nyctelius latex; as.: t. h. et glyc.
Garruli gramen secuere rivi. sapph.
Combibit dulces humus alta succos,
Niveïque lactis candida fontes, as.: i. h. et adon.
Et mixta odoro Lesbia cum thymo. alc.
Ducitur magno nova nupta coelo. sapph.
Solemne Phoebus carmen edit, i. d. hyp.
Infusis humero capillis; glyc. hyp.
Concutit taedas geminus Cupido; sapph.
Telum deposuit Jupiter igneum, asclep.
Oditque Baccho veniente fulmen. as.: 2 i. hyp.
Lucida dum current annosi sidera mundi, hexam. her.
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem,
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos praedicet Lucifer ortus,
Altaque caeruleum dum Nerea nesciet Arctos:
Candida formosi venerabimur ora Lyaei.

---

# ACTUS TERTIUS.

## OEDIPUS, CREON.

Indicat regi Creon ex necromantiâ, seu mavis sciomantiâ, intellexisse se, interfectorem Laji Oedipum fuisse. Ille fretus opinione suâ de Polybo patre negat, et post jurgia Creontem in carcerem conjici jubet.

OED. Etsi ipse vultus flebiles praefert notas, i. s.
Exprome, cujus capite placemus deos.
CR. Fari jubes, tacere quae suadet metus.
OED. Si te ruentes non satis Thebae movent,
At sceptra moveant lapsa cognatae domus.
CR. Nescisse cupies, nosse quae nimium expetis.

512. nosse. Fort.: scire.

OED. Iners malorum remedium ignorantia est.
Itane et salutis publicae indicium obrues?
CR. Ubi turpis est medicina, sanari piget.
OED. Audita fare; vel malo domitus gravi,
Quid arma possint regis irati, scies.
CR. Odere reges dicta, quae dici jubent.
OED. Mittéris Erebo vile pro cunctis caput,
Arcana sacri voce ni retegis tuâ.
CR. Tacere liceat. Nulla libertas minor
A rege petitur. OED. Saepe vel linguâ magis
Regi atque regno muta libertas obest.
CR. Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?
OED. Imperia solvit, qui tacet, jussus loqui.
CR. Coacta verba placidus accipias, precor.
OED. Ulline poena vocis expressae fuit?
CR. Est procul ab urbe lucus ilicibus niger,
Dircaea circa vallis irriguae loca.
Cupressus altis exerens silvis caput
Virente semper adligat trunco nemus;
Curvosque tendit quercus et putres situ
Annosa ramos. Hujus abrupit latus
Edax vetustas; illa, jam fessâ cadens
Radice, fulta pendet alienâ trabe.
Amara baccas laurus, et tiliae leves,
Et Paphia myrtus, et per immensum mare
Motura remos alnus, et Phoebo obvia
Enode Zephyris pinus opponens latus,
Medio stat ingens arbor, atque umbrâ gravi
Silvas minores urget; et, magno ambitu
Diffusa ramos, una defendit nemus.
Tristis sub illâ lucis et Phoebi inscius
Restagnat humor, frigore aeterno rigens;
Limosa pigrum circuit fontem palus.
Huc ut sacerdos intulit senior gradum:
Haud est moratus. Praestitit noctem locus.

521. Fort.: Ulla lib. — petitur?

Tum fossa tellus, et super rapti rogis
Jaciuntur ignes. Ipse funesto integit
Vates amictu corpus, et frontem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes;
Squalente cultu moestus ingreditur senex;
Mortifera canam taxus adstringit comam.
Nigro bidentes vellere atque atrae boves
Retro trahuntur. Flamma praedatur dapes,
Vivumque trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde Manes; teque, qui Manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacûs;
Carmenque magicum volvit, et rabido minax
Decantat ore, quidquid aut placat leves
Aut cogit umbras. Sanguinem libat focis,
Solidasque pecudes urit, et multo specum
Saturat cruore. Libat et niveum insuper
Lactis liquorem; fundit et Bacchum manu
Laevâ, canitque rursus, et, terram intuens,
Graviore Manes voce et attonitâ citat.
Latravit Hecates turba; ter valles cavae
Sonuere moestum; tota succusso solo
Pulsata tellus. „Audior," vates ait;
„Rata verba fudi; rumpitur coecum chaos,
Iterque populo Ditis ad Superos datur."
Subsedit omnis silva, et erexit comas;
Duxere rimas robora, et totum nemus
Concussit horror; terra se retro dedit,
Gemuitque penitus: sive tentari abditum
Acheron profundum mente non aequâ tulit;
Sive ipsa tellus, ut daret functis viam,
Compage ruptâ sonuit; aut irâ furens
Triceps catenas Cerberus movit graves.
Subito dehiscit terra, et immenso sinu
Laxata patuit. Ipse pallentes deos
Vidi inter umbras; ipse torpentes lacus
Noctemque veram. Gelidus in venis stetit

Haesitque sanguis. Saeva prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus
Fratrum, catervae dente Dircaeo satae;
Avidumque populi Pestis Ogygii malum.
Tum torva Erinnys sonuit, et coecus Furor,
Horrorque, et unâ quidquid aeternae creant
Celantque tenebrae: Luctus evellens comam,
Aegreque lassum sustinens Morbus caput,
Gravis Senectus sibimet, et pendens Metus.
Nos liquit animus. Ipsa, quae ritus senis
Artesque norat, stupuit. Intrepidus parens,
Audaxque damno, convocat Ditis feri
Exsangue vulgus. Illico ut nebulae leves
Volitant, et auras libero coelo trahunt.
Non tot caducas educat frondes Eryx;
Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Cum examen alto nectitur densum globo;
Fluctusque non tot frangit Ionium mare;
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hiemes ales, et coelum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas nives:
Quot ille populos vatis eduxit sonus.
Pavidae latebras nemoris umbrosi petunt
Animae trementes. Primus emergit solo
Dextrâ ferocem cornibus taurum premens
Zethus; manuque sustinens laeva chelyn,
Qui saxa dulci traxit, Amphion, sono.
Interque natos Tantalis tandem suos
Tuto superba fert caput fastu grave,
Et numerat umbras. Pejor hâc genitrix adest.
Furibunda Agave, tota quam sequitur manus
Partita regem. Sequitur et Bacchas lacer
Pentheus, tenetque saevus etiam nunc minas.
Tandem, vocatus saepe, pudibundum extulit
Caput, atque ab omni dissidet turba procul,

607. Fort.: Animae. Tremente primus etc.

Celatque semet (instat et Stygias preces
Geminat sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos) Laïus. Fari horreo:
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Paedore foedo squalidam obtentus comam,
Et ore rabido fatur: O Cadmi effera,
Cruore semper laeta cognato domus,
Vibrate thyrsos! entheâ gnatos manu
Lacerate potius: maximum Thebis scelus
Maternus amor est. Patria, non ira deûm,
Sed scelere raperis. Non gravi flatu tibi
Luctificus Auster, nec parum pluvio aethere
Satiata tellus halitu sicco nocet:
Sed rex cruentus, pretia qui saevae necis
Sceptra et nefandos occupat thalamos patris,
Invisa proles; sed tamen pejor parens,
Quam natus: utero rursus infausto gravis.
Egit qui in ortus semet, et matri impios
Foetus regessit; quique vix mos est feris,
Fratres sibi ipse genuit; implicitum malum,
Magisque monstrum Sphinge perplexum suâ.
Te, te, cruentâ sceptra qui dextrâ geris,
Te pater inultus urbe cum totâ petam,
Et mecum Erinnyn pronubam thalami traham,
Traham sonantem verbere! Incestam domum
Vertam, et penates impio Marte obteram!
Proinde pulsum finibus regem ocius
Agite exulem! Quodcunque funesto gradu
Solum relinquet, vere florifero virens
Reparabit herbas; spiritus puros dabit
Vitalis aura; veniet et silvis decor;
Letum, Luesque, Mors, Labor, Tabes, Dolor,
Comitatus illo dignus, excedent simul.
Et ipse rapidis gressibus sedes volet
Effugere nostras; sed graves pedibus moras
Addam, et tenebo: repet incertus viae,

Baculo senili triste praetentans iter.
Eripite terras; auferam coelum pater.
OED. Et ossa et artus gelidus invasit tremor:
Quidquid timebam facere, fecisse arguor.
Tori jugalis abnuit Merope nefas,
Sociata Polybo; sospes absolvit manus
Polybus meas; uterque defendit parens
Caedem, stuprumque: quis locus culpae est super?
Multo ante Thebae Laïum amissum gemunt,
Boeota gressu quam meo tetigi loca.
Falsusne senior, an deus Thebis gravis? —
Jamjam tenemus callidi socios doli:
Mentitur ista praeferens fraudi deos
Vates, tibique sceptra despondet mea.
CR. Egon' ut sororem regiâ expelli velim?
Si me fides sacrata cognati laris
Non contineret in meo certum statu:
Tamen ipsa me Fortuna terreret, nimis
Sollicita semper. Libeat hoc tuto tibi
Exuere pondus: ne recedentem opprimat.
Jam te minore tutior pones loco.
OED. Hortaris etiam, sponte deponam ut mea
Tam gravia regna? CR. Suadeam hoc illis ego,
In utrumque quis est liber etiamnum status.
Tibi jam necesse est ferre fortunam tuam.
OED. Certissima est regnare cupienti via
Laudare modica, et otium ac somnum loqui.
Ab inquieto saepe simulatur quies.
CR. Parumne me tam longa defendit fides?
OED. Aditum nocendi perfido praestat fides.
CR. Solutus onere regio regni bonis
Fruor, domusque civium coetu viget;
Nec ulla vicibus surgit alternis dies,
Quâ non propinqui munera ad nostros lares
Sceptri redundent cultus, opulentae dapes.
Donata multis gratiâ nostrâ salus.

Quid tam beatae deesse fortunae rear?
OED. Quod deest: secunda non habent unquam modum.
CR. Incognitâ igitur ut nocens causâ cadam?
OED. Num ratio vobis reddita est vitae meae?
Num audita causa est nostra Tiresiae? tamen
Sontes videmur. Facitis exemplum: sequor.
CR. Quid, si innocens sum? OED. Dubia pro certis solent
Timere reges. CR. Qui pavet vanos metus,
Veros meretur. OED. Quisquis in culpâ fuit,
Dimissus odit omne, quod dubium putat.
CR. Sic odia fiunt. OED. Odia qui nimium timet,
Regnare nescit: regna custodit metus.
CR. Qui sceptra duro saevus imperio regit,
Timet timentes; metus in auctorem redit.
OED. Servate sontem saxeo inclusum specu;
Ipse ad penates regios referam gradum.

## CHORUS.

**Excusat Oedipum Chorus, transferendo culpam in mala Thebarum fata, quae ab ipsâ insuspicatâ bove Thebanos usque vexarint.**

Non tu tantis causa periclis, a. d.
Non haec Labdacidas petunt glyc.
Fata; sed veteres deûm
Irae sequuntur. Castalium nemus alc.
Umbram Sidonio praebuit hospiti, asclep.
Lavitque Dirce Tyrios colonos, as.: 2 i. hyp.
Ut primum magni natus Agenoris, asclep.
Fessus per orbem furta sequi Jovis, alc.
Sub nostrâ pavidus constitit arbore, asclep.
Praedonem venerans suum; glyc.
Monituque Phoebi jussus erranti i. tr. brach.
Comes ire vaccae, quam non flexerat as.: i. hyp. do.
Vomer, aut tardi juga curva plaustri, sapph.

700. Fort.: quod purum obstitit.

Deseruit fugas, nomenque genti as.: do. i. hyp.
Inauspicatâ de bove tradidit. alc.
Tempore ex illo nova monstra semper sapph.
Protulit tellus. t. hyp.
Aut anguis, imis vallibus editus, alc.
Annosa supra robora sibilat,
Supraque pinus; i. hyp.
Supra Chaonias celsior arbores asclep.
Caerulum erexit caput, glyc.
Cum majore sui parte recumberet; asclep.
Aut foeta tellus impio partu i. tr. brach. cl.
Effudit arma; sonuit reflexo as.: 2 i. hyp.
Classicum cornu, lituusque adunco sapph.
Stridulos cantus elisit aere.
Ante non linguas agiles, et auram
Vocis ignotae clamore primum
Hostico experti, t. hyp.
Agmina, campos, cognata, tenent. a. d. et m.
Dignaque jacto semine proles,
Uno aetatem permensa die,
Post Luciferi nata meatus,
Ante Hesperios occidit ortus.
Horret tantis advena monstris,
Populique timet bella recentis:
Donec cecidit saeva juventus,
Genitrixque suo reddi gremio
Modo productos vidit alumnos.
Hâc transierit civile nefas!
Illa Herculeae norint Thebae
Proelia fratrum!
Quid Cadméi fata nepotis,
Cum vivacis cornua cervi
Frontem ramis texere novis,
Dominumque canes egere suum?
Praeceps silvas montesque fugit

734. Vulgo: agiles, et ora vocis.

OED. Nunc adice certas corporis nostri notas.
SEN. Forata ferro gesseras vestigia,
Tumore nactus nomen ac vitio pedum.
OED. Quis fuerit ille, qui meum dono dedit
Corpus, requiro. SEN. Regios pavit greges;
Minor sub illo turba pastorum fuit.
OED. Eloquere nomen. SEN. Prima languescit senum
Memoria, longo lassa sublabens situ.
OED. Potesne facie noscere ac vultu virum?
SEN. Fortasse noscam: saepe jam spatio obrutam
Levis exoletam memoriam revocat nota.
OED. Ad sacra et aras omne compulsum pecus
Duces sequantur. Ite propere! arcessite,
Famuli, penes quos summa consistit gregum!
SEN. Sive ista ratio sive fortuna occulit:
Latere semper patere, quod latuit diu.
Saepe eruentis veritas patuit malo.
OED. Malum timeri majus his aliquod potest?
SEN. Magnum esse, magnâ mole quod petitur, scias.
Concurrit illinc publica, hinc regis salus,
Utrinque paria: contine medias manus.
Nihil ut lacessas, ipsa se fata explicant.
Non expedit concutere felicem statum.
OED. Tuto movetur, quidquid extremo in loco est.
SEN. Nobilius aliquid genere regali adpetis?
Ne te parentis pigeat inventi, vide.
OED. Vel poenitendi sanguinis quaeram fidem,
Si nosse liceat. ecce, grandaevus senex,
Arbitria sub quo regii fuerant gregis,
Phorbas. Referene nomen aut vultum senis?
SEN. Adridet animo forma; nec notus satis,
Nec rursus iste vultus ignotus mihi.
Regnum obtinente Laïo famulus greges
Agitasti opimos sub Cithaeronis plagâ?

## PHORBAS, SENEX, OEDIPUS.

PHOR. Laetus Cithaeron pabulo semper novo i. s;
Aestiva nostro prata submittit gregi.
SEN. Noscisne memet? PHOR. Dubitat anceps memoria.
OED. Huic aliquis a te traditur quondam puer?
Effare! Dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quaeris? Veritas odit moras.
PHOR. Obducta longo temporum tractu moves.
OED. Fatere: ne te cogat ad verum dolor.
PHOR. Inutile isti munus infantem dedi:
Non potuit ille luce, non coelo frui.
SEN. Procul sit omen! Vivit, et vivat precor.
OED. Superesse quare traditum infantem negas?
PHOR. Ferrum per ambos tenue transactum pedes
Ligabat artus; vulneri innatus tumor
Puerile foedâ corpus urebat lue.
SEN. Quid quaeris ultra? Fata jam accedunt prope.
OED. Quis fuerit infans, edoce. PHOR. Prohibet fides.
OED. Huc aliquis ignem! Flamma jam excutiet fidem.
PHOR. Per tam cruentas vera quaerentur vias?
Ignosce, quaeso! OED. Si ferus videor tibi
Et impotens: jam parta vindicta. In manu est:
Dic vera. Quisnam, quôve generatus patre,
Quâ matre genitus? PHOR. Conjuge est genitus tuâ.
OED. Dehisce, tellus! tuque tenebrarum potens,
In Tartara ima, rector umbrarum, rape
Retro reversas generis ac stirpis vices!
Congerite, cives, saxa in incestum caput!
Mactate telis! me petat ferro parens,
Me gnatus! in me conjuges arment manus,
Fratresque, et aeger populus ereptos rogis
Jaculetur ignes! Seculi crimen vagor,
Odium deorum, juris exitium sacri;
Quâ luce primum spiritus hausi rudes,

Jam morte dignus. Redde nunc animos pares!
Nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis!
I, perge, propero regiam gressu pete:
Gratare matri liberis auctam domum.

## CHORUS.

Varietati obnoxium arguit Chorus excelsum statum. mediam itaque fortunam optat. cujus laudes canit, a similitudine navis modico vento actae, et exemplo Icari.

Fata si liceat mihi glyc.
Fingere arbitrio meo:
Temperem Zephyro levi
Vela, ne pressae gravi
Spiritu antennae tremant.
Lenis et modice fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me mediâ vehat
Vita decurrens viâ.
Gnossium regem timens,
Astra dum demens petit,
Artibus fisus novis,
Certat et veras aves
Vincere, ac falsis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Daedalus librans iter
Nube sub mediâ stetit,
Alitem expectans suum;
Qualis accipitris minas
Fugit, et sparsos metu
Colligit foetus avis:
Donec in ponto manus
Movit implicitas puer,

Comes audacis viae.
Quidquid excessit modum,
Pendet instabili loco.
Sed quid hoc? postes sonant.
Moestus, en, famulus, manu
Regius, quassans caput!
Ede, quid portes novi.

---

# ACTUS QUINTUS.

## NUNCIUS.

**Nuncius Oedipi excoecationis consilium et modum narrat.**

Praedicta postquam fata et infandum genus i. s.
Deprendit, ac se scelere convictum Oedipus
Damnavit ipse: regiam infestus petens
Invisa propero tecta penetravit gradu;
Qualis per arva Libycus insanit leo,
Fulvam minaci fronte concutiens jubam:
Vultus furore torvus atque oculi truces,
Gemitûs et altum murmur, et gelidus fluit
Sudor per artus; spumat, et volvit minas,
Ac mersus alte magnus exundat dolor.
Secum ipse saevus grande nescio quid parat,
Suisque fatis simile. „Quid poenas moror?“
Ait. „Hoc scelestum pectus aut ferro petat,
Aut fervido aliquis igne vel saxo domet!
Quae tigris, aut quae saeva visceribus meis
Incurret ales? Ipse tu scelerum capax,
Sacer Cithaeron, vel feras in me tuas
Emitte silvis, mitte vel rabidos canes!
Nunc redde Agauen! Anime, quid mortem times?
Mors innocentem sola fortunae eripit.“
Haec fatus, aptat impiam capulo manum,

907. Fort.: Comes ad audaces vias.

Ensemque ducit. „Itane? tam magnis breves
Poenas sceleribus solvis, atque uno omnia
Pensabis ictu? Moreris: hoc patri sat est.
Quid deinde matri, quid male in lucem editis
Gnatis, quid ipsi, quae tuum magnâ luit
Scelus ruinâ, flebili patriae dabis?
Solvendo non es. Illa quae leges ratas
Natura in uno vertit Oedipoda, novos
Commenta partus, supplicis eadem meis
Novetur. Iterum vivere, atque iterum mori
Liceat; renasci semper: ut toties nova
Supplicia pendas. Utere ingenio, miser!
Quod saepe fieri non potest, fiat diu.
Mors eligatur longa. Quaeratur via,
Qua nec sepultis mixtus, et vivis tamen
Exemtus erres. Morere, sed citra patrem!
Cunctaris, anime? Subitus, en, vultus gravat
Profusus imber, ac rigat fletu genas!
Et flere satis est? Hactenus fundent levem
Oculi liquorem: sedibus pulsi suis
Lacrimas sequantur. Hi maritales statim
Fodiantur oculi!" Dixit, atque irâ furit.
Ardent minaces igne truculento genae,
Oculique vix se sedibus retinent suis.
Violentus, audax, vultus, iratus, ferox
Tantum eruentis. Gemuit, et dirum fremens
Manus in ora torsit. At contra truces
Oculi steterunt, et suam intenti manum
Ultro insequuntur; vulneri occurrunt suo.
Scrutatur avidus manibus uncis lumina:
Radice ab imâ funditus vulsos simul
Evolvit orbes. Haeret in vacuo manus,
Et fixa penitus unguibus lacerat cavos
Alte recessus luminum et inanes sinus,
Saevitque frustra; plusque, quam satis est, furit:

953. Fort.: Hem, flere etc.

Tantum est periclum lucis. Attollit caput,
Cavisque lustrans orbibus coeli plagas,
Noctem experitur. Quidquid effossis male
Dependet oculis, rumpit, et victor deos
Conclamat omnes: „Parcite, heu, patriae, precor:
Jam jussa feci; debitas poenas tuli.
Inventa thalamis digna nox tandem meis."
Rigat ora foedus imber et lacerum caput;
Largum revulsis sanguinem venis vomit. —

## CHORUS.

**Chorus iste ex disciplinâ Stoicorum (qui omnia, imo deum ipsum, subjiciunt inevitabilibus fatis) excusare Oedipum studet.**

Fatis agimur: cedite fatis. a. d. et m.
Non sollicitae possunt curae
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto;
Servatque suae decreta colûs
Lachesis, durâ revoluta manu.
Omnia certo tramite vadunt,
Primusque dies dedit extremum.
Non illa deo vertisse licet,
Quae nexa suis currunt causis.
It cuique ratus, prece non ullâ
Mobilis ordo.
Multis ipsum metuisse nocet.
Multi ad fatum venere suum,
Dum fata timent. Sonuere fores,
Atque ipse suum duce non ullo
Molitur iter, luminis orbus.

## OEDIPUS, CHORUS, IOCASTA.

Iocasta se interficit. Oedipus excaecatus in exsilium abit.

OED. BENE habet, peractum est: justa persolvi patri. i. s.
Juvant tenebrae. Quis deus tandem mihi
Placatus atrâ nube perfundit caput?
Quis scelera donat? Conscium evasi diem.
Nil, parricida, dexterae debes tuae:
Lux te refugit. Vultus Oedipoda hic decet.
CHOR. Et, ecce, rapido saeva prosiluit gradu
Iocasta vecors; qualis attonita et furens
Cadméa mater abstulit gnato caput,
Sensitve raptum. Dubitat, adflictum adloqui
Cupit, pavetque. — Jam malis cessit pudor,
Et haeret ore prima vox. IOC. Quid te vocem?
Gnatumne? — Dubitas? Gnatus es: gnatum pudet.
Invite, loquere, gnate! — Quo avertis caput
Vacuosque vultus? OED. Quis frui et tenebris vetat?
Quis reddit oculos? Matris, heu, matris sonus!
Perdidimus operam! — Congredi fas amplius
Haud est. Nefandos dividat vastum mare,
Dirimatque tellus abdita; et quisquis sub hoc
In alia versus sidera ac solem avium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat!
IOC. Fati ista culpa est: nemo fit fato nocens.
OED. Jam parce verbis, mater, et parco auribus!
Per has reliquias corporis trunci precor,

999. Fort.: perfudit.
1003. Vulgo: En ecce.
1008. Fort.: Sed haeret.
1019. Vulgo: parce.

Per inauspicatum sanguinis pignus mei,
Per omne nostri nominis fas ac nefas!
IOC. Quid, anime, torpes? socia cur scelerum dare
Poenas recusas? Omne confusum perit,
Incesta, per te juris humani decus:
Morere, ac nefastum spiritum ferro exige!
Non, si ipse, mundum concitans, divûm sator
Corusca saevâ tela jaculetur manu,
Unquam rependam sceleribus poenas pares
Mater nefanda. Mors placet: mortis via
Quaeratur. Agedum, commoda matri manum,
Si parricida es. Restat hoc operi ultimum. —
Rapiatur ensis! Hôc jacet ferro meus
Conjux. Quid illum nomine haud vero vocas?
Socer est. Utrumne pectori infigam meo
Telum, an' patenti conditum jugulo imprimam?
Eligere nescis vulnus: hunc, dextra, hunc pete
Uterum capacem, qui virum gnatum tulit!
CHOR. Jacet peremta. Vulneri immoritur manus;
Ferrumque secum nimius ejecit cruor.
OED. Fatidice te, te, praesidem veri deum,
Compello. Solum debui fatis patrem;
Bis parricida, plusque quam timui nocens,
Matrem peremi: scelere confecta est meo.
O Phoebe mendax, fata superavi impia! —
Pavitante gressu sequere fallaces vias,
Suspensa plantis efferens vestigia!
Coecam tremente dexterâ noctem rege!
I, gradere praeceps, lubricos ponens gradus!
I, profuge, vade! — Siste: ne in matrem incidas.
Quicunque fessi corpore et morbo graves
Semianima trahitis pectora, en fugio, exeo:
Relevate colla! mitior coeli status
Post terga sequitur. Quisquis exilem jacens

Animam retentat, vividos haustus levis
Concipiat. Ite, ferte depositis opem:
Mortifera mecum vitia terrarum extraho.
Violenta Fata et horridus Mortis tremor,
Maciesque et atra Pestis et rabidus Dolor,
Mecum ite, mecum! ducibus his uti libet.

# L. ANNAEI SENECAE

# TROADES.

## *DRAMATIS PERSONAE.*

HECUBA.
CHORUS TROADUM.
TALTHYBIUS.
AGAMEMNON.
CALCHAS.
HELENA.
PYRRHUS.
ANDROMACHA.
SENEX.
ULYSSES.
ASTYANAX.
NUNCIUS.
POLYXENA, muta persona.

# TROADES.

## ARGUMENTUM.

Graeci, exciso jam Ilio, reditum in patriam cogitantes contrario vento detinebantur. Apparens noctu Achillis umbra solvere eos posse negat, nisi sibi debitis inferiis mactatâ Polyxenâ, cujus nuptiarum praetextu interfectus est. Non fert Agamemnon sibi amatam Polyxenam mactari. Quâ de re orto cum Pyrrho jurgio, intervenit consultus Calchas, qui omnino immolandam pronuntiat, unâque necandum Astyanacta, quem a matre absconditum abducit Ulysses, et de Scaeâ portâ dejicit. Polyxenam ab Helenâ auspice, ritu cultuque sponsae deductam ad patris tumulum, Pyrrhus mactat.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Postquam Dardanium non aequo numine regnum
Evertére dei: patriam optatosque penates
Argivi remeare instructâ classe parabant:
Cum subito horrisoni consurgunt undique fluctus,
Saevit hiems pelagi, toto tonat aequore murmur.
Haec quid monstra ferant, rescivit ubi ordine Calchas,
Edocet esse deos humanâ caede piandos.
Mox deducta comis Priameïa virgo solutis
Abluit hostiles effuso sanguine manes.
Iungitur ecce! scelus sceleri: gens impia Grajûm
(O facinus!) stantem vix primo in limine vitae
Hectoream sobolem turri deiecit ab altâ.
Tunc Phrygiae tanto perculsae crimine matres
Collacrimant, longisque implent ululatibus auras.

# ACTUS PRIMUS.

## HECUBA.

Luget Hecuba patriae, domus, suam ipsius calamitatem.

QUICUNQUE regno fidit, et magnâ potens i. s.
Dominatur aulâ, nec leves metuit deos,
Animumque rebus credulum laetis dedit,
Me videat et te, Troja: non unquam tulit
Documenta Fors majora, quam fragili loco
Starent superbi. Columen eversum occidit
Pollentis Asiae, coelitum egregius labor;
Ad cujus arma venit et qui frigidum
Septena Tanaïn ora pandentem bibit,
Et qui renatum primus excipiens diem
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto,
Et quae vagos vicina prospiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit.
Excisa ferro est Pergamum; incubuit sibi.
En, alta muri decora congesti jacent
Tectis adustis; regiam flammae ambiunt,
Omnisque late fumat Assaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus:
Diripitur ardens Troja. Nec coelum patet
Undante fumo: nube ceu densâ obsitus,
Ater favillâ squalet Iliacâ dies.
Stat avidus irae victor, et lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoscit annis. Horret adflictam quoque;
Victamque quamvis videat, haud credit sibi

13. Fort.: terit.

Potuisse vinci. Spolia populator rapit
Dardania; praedam mille non capiunt rates.
Testor deorum numen adversum mihi,
Patriaeque cineres, teque rectorem Phrygum,
Quem Troja toto conditum regno tegit,
Tuosque manes, quo stetit stante Ilion,
Et vos meorum liberûm magni greges,
Umbrae minores: quidquid adversi accidit,
Quaecunque Phoebas ore lymphato furens,
Credi deo vetante, praedixit mala,
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Cassandram fui.
Non cautus ignes Ithacus aut Ithaci comes
Nocturnus in vos sparsit, aut fallax Sinon:
Meus ignis iste est, facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas urbis eversae gemis,
Vivax senectus? Respice infelix ad hos
Luctus recentes: Troja jam vetus est malum.
Vidi execrandum regiae caedis nefas,
Ipsasque ad aras majus admissum scelus
Ajacis: armis cum ferox, saevâ manu
Comâ reflectens regium tortâ caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;
Quod penitus actum cum recepisset libens,
Ensis senili siccus e jugulo redît.
Placare quem non potuit a caede efferâ
Mortalis aevi cardinem extremum premens,
Superique testes sceleris, et quondam sacrum
Regni jacentis? Ille tot regum parens
Caret sepulcro Priamus, et flammâ indiget
Ardente Troja. Non tamen Superis sat est:
Dominum, ecce! Priami nuribus et gnatis legens
Sortitur urna. Praeda quem vilis sequar?
Hic Hectoris conjugia despondet sibi;
Hic optat Heleni conjugem; hic Antenoris;

47. Fort.: comis tortis.

Nec deest tuos, Cassandra, qui thalamos petat:
Mea sors timetur; sola sum Danaïs metus.
Lamenta cessant? Turba, captivae, mea,
Ferite palmis pectora, et planctus date,
Et justa Trojae facite! jamdudum sonet
Fatalis Ide, judicis diri domus!

## CHORUS TROADUM, HECUBA.

Chorus Iliadum cum Hecubâ excidium patriae, Hectoris et Priami mortem lugentium.

CHOR. Non rude vulgus lacrimisque novum a. d. et m.
Lugere jubes: hoc continuis
Egimus annis, ex quo tetigi
Phrygius Grajas hospes Amyclas,
Secuitque fretum
Pinus matri sacra Cybebae.
Decies nivibus canuit Ide,
Ide nostris nudata rogis,
Et Sigéis trepidus campis
Decumas secuit messor aristas:
Ut nulla dies moerore caret,
Sed nova fletus causa ministrat.
Ito ad planctus,
Miseramque leva, regina, manum!
Vulgus dominam vile sequemur:
Non indociles lugere sumus.
HEC. Fidae casûs nostri comites,
Solvite crinem! per colla fluant
Moesta capilli tepido Trojae
Pulvere turpes! paret exertos
Turba lacertos! veste remissâ
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus. Cui conjugio
Pectora velas, captive pudor?

73. Fort.: Decumis nivibus.

Cingat tunicas palla solutas!
Vacet ad crebri verbera planctûs
Furibunda manus! Placet hic habitus,
Placet: agnosco Troada turbam.
Iterum luctus redeunt veteres.
Solitum flendi vincite morem:
Hectora flemus. CHOR. Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem;
Coma demissa est libera nodo,
Sparsitque cinis fervidus ora.
HEC. Complete manus: hoc ex Trojâ
Sumsisse licet. CHOR. Cadit ex humeris
Vestis apertis, imumque tegit
Suffulta latus. HEC. Jam nuda vocant
Pectora dextras. Nunc, nunc vires
Exprome, dolor!
Rhoetéa sonent littora planctu;
Habitansque cavis montibus Echo
Non, ut solita est, extrema brevis
Verba remittat: totos reddat
Trojae gemitus! audiat omnis
Pontus et aether. Saevite, manus!
Pulsu vasto tundite pectus:
Non sum solito contenta sono:
Hectora flemus.
CHOR. Tibi dextra ferit nostra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos;
Tibi nostra caput dextera pulsat;
Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent; fluit et multo
Sanguine manat, quamcunque tuo
Funere feci, rupta cicatrix.
Columen patriae, mora fatorum,
Tu praesidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras; humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos;

Tecum cecidit, summusque dies
Hectoris idem patriaeque fuit.
HEC. Vertite planctus: Priamo vestros
Fundite fletus! satis Hector habet.
CHOR. Accipe, rector Phrygiae, planctus!
Accipe fletus, bis capte senex!
Nil Troja semel te rege tulit:
Bis pulsata
Dardana Grajo moenia ferro,
Bisque pharetras passa Herculeas.
Post elatos Hecubae partus,
Regumque gregem,
Postrema pater funera cludis;
Magnoque Jovi victima caesus
Sigéa premis littora truncus.
HEC. Alio lacrimas flectite vestras:
Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades.
„Felix Priamus," dicite cunctae:
Liber Manes vadit ad imos,
Nec feret unquam victâ Grajum
Cervice jugum.
Non ille duos videt Atridas,
Nec fallacem cernit Ulyssem.
Non, Argolici praeda triumphi,
Subjecta feret colla tropaeis.
Non adsuetas ad sceptra manus
Post terga dabit; currusque sequens
Agamemnonios,
Aurea dextrâ vincula gestans,
Laetis fiet pompa Mycenis.
CHOR. Felix Priamus, dicimus omnes:
Secum excedens sua regna tulit;
Nunc Elysii nemoris tutis
Errat in umbris,

150. Fort.: N. i. duos (seu duos) vilis Atr.

Interque pias felix animas
Hectora quaerit. Felix Priamus!
Felix, quisquis bello moriens
Omnia secum consumta videt!

---

## ACTUS SECUNDUS.

### TALTHYBIUS, CHORUS TROADUM.

Narrat Talthybius, apparuisse Achillis umbram, exprobratoque Graecis ingrato animo postulasse, ut Polyxena, cujus nuptiarum praetextu ipse interfectus est, ad tumulum suum pro inferiis mactaretur, alias Graecos non habituros ventum ad reditum.

TAL. O longa Danaïs semper in portu mora, i. s.
Seu petere bellum, petere seu patriam volunt!
CHOR. Quae causa ratibus faciat et Danaïs moram,
Effare; reduces quis deus cludat vias.
TAL. Pavet animus; artus horridus quassat tremor.
Majora veris monstra vix capiunt fidem:
Vidi, ipse vidi. Summa jam Titan juga
Stringebat ortus, vicerat noctem dies:
Cum subito coeco terra mugitu fremens
Concussa totos traxit ex imo sinus;
Movere silvae capita, et excelsum nemus
Fragore vasto tonuit et lucus sacer;
Idaea ruptis saxa ceciderunt jugis.
Nec terra solum tremuit: et pontus suum
Adesse Achillen sensit, ac stravit vada.
Tum scissa vallis aperit immensos specus;
Et hiatus Erebi pervium ad Superos iter
Tellure fractâ praebet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Thessalici ducis,
Threïcia qualis arma proludens tuis
Jam, Troja, fatis stravit, aut Neptunium

Canâ nitentem perculit juvenem comâ;
Aut cum, inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes clusit, et quaerens iter
Tardus cruento Xanthus erravit vado;
Aut cum superbo victor in curru stetit,
Egitque habenas, Hectorem et Trojam trahens.
Implevit omne littus irati sonus:
„Ite, ite inertes!" Manibus meis debitos
Auferte honores! solvite ingratas rates
Per nostra ituri maria! Non parvo luit
Iras Achillis Graecia, et magno luet!
Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, et tumulum riget.“
Haec fatus altâ nocte divisit diem,
Repetensque Ditem, mersus, ingentem specum
Coëunte terra junxit. Immoti jacent
Tranquilla pelagi, ventus abjecit minas,
Placidumque fluctu murmurat leni mare;
Tritonum ab alto cecinit hymenaeum chorus.

## PYRRHUS, AGAMEMNON, CALCHAS.

**Agamemnonis cum Pyrrho jurgia super Polyxena compescit Calchas.**

PYRRH. Cum laeta pelago vela rediturus dares, i. s.
Excidit Achilles, cujus unius manu
Impulsa Troja (quidquid adjecit morae
Illo remoto) dubia, quo caderet, stetit.
Velis licet, quod petitur, ac properes dare;
Sero es daturus. Jam suum cuncti duces
Tulere pretium. Quae minor merces potest
Tantae dari virtuti? An is meruit parum,

**209. Novissimae edd. sic:**

**Impulsa Troja, [corruit tandem solo,**
**Brevi repensans] quidquid adjecit morae**
**[Scyros, fretumque Lesbos Aegeum secans]**
**Illo etc.**

Qui, fugere bellum jussus et longâ sedens
Aevum senectâ degere, ac Pylii senis
Transcendere annos, exuens matris dolos
Falsasque vestes, fassus est armis virum?
Inhospitali Telephus regno impotens
Dum Mysiae ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemque eandem sensit et mitem manum.
Cecidere Thebae. Vidit Eetion capi
Sua regna victus. Clade subversa est pari
Imposita celso parva Lyrnessos jugo;
Captâque tellus nobilis Briseïde,
Et, causa litis regibus, Chryse jacet,
Et nota fama Tenedos, et, quae pascuo
Foecunda pingui Thracios nutrit greges,
Syros, fretumque Lesbos Aegaeum secans,
Et cara Phoebo Cilla. Quid, quas adluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?
Haec tanta clades gentium ac tantus pavor,
Sparsae tot urbes, turbinis vasti modo,
Alterius essent gloria ac summum decus;
Iter est Achilli; sic meus venit pater,
Et tanta gessit bella, dum bellum parat.
Ut alia sileam merita, non unus satis
Hector fuisset? Ilium vicit pater,
Vos diruistis. Inclitas laudes juvat
Et facta magni clara genitoris sequi.
Jacuit peremtus Hector ante oculos patris
Patruique Memnon, cujus ob luctum parens
Pallente moestum protulit vultu diem;
Suique victor operis exemplum horruit,
Didicitque Achilles, et deâ natos mori.
Tum saeva Amazon ultimus cecidit timor.
Debes Achilli, merita si digne aestimas,
Etsi Mycenis virginem atque Argis petat.

247. Fort.: T. versa Am.

Dubitatur etiam? placita nunc subito improbas,
Priamique natam Peleï gnato ferum
Mactare credis? At tuam gnatam parens
Helenae immolasti: solita jam et facta expeto.
AGAM. Juvenile vitium est regere non posse impetus.
Aetatis alios fervor hic primae rapit,
Pyrrhum paternus. Spiritus quondam truces
Minasque tumidi lentus Aeacidae tuli.
Quo plura possis, plura patienter feras.
Quid caede dirâ nobiles clari ducis
Adspergis umbras? Noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu;
Moderata durant; quôque Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hôc se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere, metuentem deos
Nimium faventes. Magna momento obrui
Vincendo didici. Troja nos tumidos facit
Nimium ac feroces? Stamus hôc Danaï loco,
Unde illa cecidit. Fateor, aliquando impotens
Regno ac superbus altius memet tuli;
Sed fregit illos spiritus haec, quae dare
Potuisset alii, causa, Fortunae favor.
Tu me superbum, Priame, tu timidum facis.
Ego esse quidquam sceptra, nisi vano putem
Fulgore tectum nomen, et falso comam
Vinclo decentem? Casus haec rapiat brevis;
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem:
Non omnibus Fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixisse hoc tuâ,
Argiva tellus, liceat) adfligi Phrygas
Vincique volui; ruere et aequari solo
Etiam arcuissem. Sed regi frenis nequit
Et ira, et ardens hostis, et victoria
Commissa nocti. Quidquid indignum aut ferum

Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebraeque, per quas ipse se irritat furor,
Gladiusque felix, cujus infecti semel
Vecors libido est. Quidquid eversae potest
Superesse Trojae, maneat: exactum satis
Poenarum et ultra est. Regia ut virgo occidat,
Tumuloque donum detur et cineres riget,
Et facinus atrox caedis ut thalamos vocent?
Non patiar. In me culpa cunctorum redit:
Qui non vetat peccare, cum possit, jubet.
PYRRH. Nullumne Achillis praemium manes ferent?
AGAM. Ferent, et illum laudibus cuncti canent,
Magnumque terrae nomen ignotae audient.
Quod si levatur sanguine infuso cinis,
Opima Phrygii colla caedantur gregis,
Fluatque nulli flebilis matri cruor.
Quis iste mos est, quando in inferias homo
Impensus homini est? Detrahe invidiam tuo
Odiumque patri, quem coli poenâ jubes.
PYRRH. O tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos; timide, cum increvit metus!
Regum tyranne, jamne flammatum geris
Amore subito pectus, ac veneris novae?
Solusne toties spolia de nobis feres?
Hâc dextrâ Achilli victimam reddam suam;
Quam si negas retinesque: majorem dabo,
Dignamque, quam det Pyrrhus. Et nimium diu
A caede nostra regiâ cessat manus,
Paremque poscit Priamus. AGAM. Haud equidem nego,
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,
Saevo peremtus ense quod Priamus jacet,
Supplex paternus. PYRRH. Supplices nostri patris
Hostesque eosdem novimus. Priamus tamen
Praesens rogavit; tu gravi pavidus metu,

308. Fort.: ac veneres novas?
310. Fort.: reddo.

Nec ad rogandum fortis, Ajaci preces
Ithacoque mandas clusus atque hostem tremens.
AGAM. At non timebat tunc tuus, fateor, parens,
Interque caedes Graeciae atque ustas rates,
Segnis jacebat, belli et armorum immemor,
Levi canoram verberans plectro chelyn.
PYRRH. Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,
Cantus Achillis timuit, et tanto in metu
Navalibus pax alta Thessalicis fuit.
AGAM. Nempe isdem in istis Thessalis navalibus
Pax alta rursus Hectoris patri fuit.
PYRRH. Est regis alti, spiritum regi dare.
AGAM. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
PYRRH. Mortem misericors saepe pro vitâ dabit.
AGAM. Et nunc misericors virgines busto petis!
PYRRH. Jamne immolari virgines credis nefas?
AGAM. Praeferre patriam liberis regem decet.
PYRRH. Lex nulla capto parcit, aut poenam impedit.
AGAM. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
PYRRH. Quodcunque libuit facere victori, licet.
AGAM. Minimum decet libere, cui multum licet.
PYRRH. His ista jactas, quos decem annorum gravi
Regno subactos Pyrrhus exsolvit jugo?
AGAM. Hos Scyrus animos ... PYRRH. Scelere quae fratrum caret.
AGAM. Inclusa fluctu? PYRRH. Nempe cognati maris.
Atreï et Thyestae nobilem novi domum.
AGAM. Ex virginis concepte furtivo stupro,
Et ex Achille nate, sed nondum viro...
PYRRH. Illo ex Achille, genere qui mundum suo,
Sparsus per omne coelitum regnum, tenet,
Thetide aequor, umbras Aeaco, coelum Jove...
AGAM. Illo ex Achille, qui manu Paridis jacet...
PYRRH. Quem nec deorum cominus quisquam petit.
AGAM. Compescere equidem verba, et audacem malo

322. Fort.: tremebat.

Poteram domare; sed meus captis quoque
Scit parcere ensis. Potius interpres deûm
Calchas vocetur. Fata si poscunt: dabo.
Tu, qui Pelasgae vincla solvisti ratis,
Morasque bellis, arte qui reseras polum,
Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,
Et stella longâ semitam flammâ trahens
Dant signa fati, cujus ingenti mihi
Mercede constant ora, quid jubeat deus
Effare, Calcha, nosque consilio rege.
CAL. Dant fata Danaïs, quo solent pretio, viam.
„Mactanda virgo est Thessali busto ducis;
„Sed, quo jugari Thessalae cultu solent,
„Ionidesve vel Mycenaeae nurus,
„Pyrrhus parenti conjugem tradat suo.
„Sic rite dabitur. Non tamen nostras tenet
„Haec una puppes causa; nobilior tuo,
„Polyxene, cruore debetur cruor,
„Quem fata quaerunt: turre de summâ cadat
„Priami nepos Hectoreus, et letum oppetat.
„Tum mille velis impleat classis freta."

## CHORUS TROADUM.

Chorus e mulieribus Trojanis, quo Achillis animam apparuisse neget, ex Epicuri sententiâ animam cum corpore interire asserit.

VERUM est, an timidos fabula decipit, asclep.
Umbras corporibus vivere conditis?
Cum conjux oculis imposuit manum,
Supremusque dies solibus obstitit,
Et tristis cineres urna coërcuit:
Non prodest animam tradere funeri,
Sed restat miseris vivere longius?
An toti morimur, nullaque pars manet
Nostri, cum profugo spiritus halitus

Immixtus nebulis cessit in aëra,
Et nudum tetigit subdita fax latus?
Quidquid Sol oriens, quidquid et occidens
Novit; coeruleis Oceanus fretis
Quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
Aetas Pegaseo corripiet gradu.
Quo bissena volant sidera turbine;
Quo cursu properat secula volvere
Astrorum dominus; quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus:
Hoc omnes petimus fata; nec amplius,
Juratos Superis qui tetigit lacus,
Usquam est. Ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidus;
Ut nubes, gravidas quas modo vidimus,
Arctoï Boreae disjicit impetus:
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil,
Velocis spatii meta novissima.
Spem ponant avidi, solliciti metum.
Quaeris, quo jaceas post obitum loco?
Quo non nata jacent.
Tempus nos avidum devorat et chaos.
Mors individua est noxia corpori,
Nec parcens animae. Taenara, et aspero
Regnum sub domino, limen et obsidens
Custos non facili Cerberus ostio,
Rumores vacui verbaque inania,
Et par sollicito fabula somnio.

# ACTUS TERTIUS.

## ANDROMACHA, SENEX, ULYSSES.

Hectoris uxor, viso territa, filium in tumulo paterno abscondit, quem sagacitate suâ Ulysses latebris exutum ad mortem abducit.

ANDR. Quid, moesta, Phrygiae, turba, laceratis comas, I. S.
Miserumque tunsae pectus effuso genas
Fletu rigatis? Levia perpessae sumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modo,
Mihi cecidit olim, cum ferus curru incito
Mea membra raperet, et gravi gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque eversa, quodcunque accidit,
Torpens malis rigensque sine sensu fero.
Jam erepta Danaïs conjugem sequerer meum,
Nisi hic teneret: hic meos animos domat,
Morique prohibet; cogit hic aliquid deos
Adhuc rogare; tempus aerumnae addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
Nihil timere. Prosperis rebus locus
Ereptus omnis; dira, quâ veniant, habent.
Miserrimum est timere, cum speres nihil.
SEN. Quis te repens commovit adflictam metus?
ANDR. Exoritur aliquod majus e magno malum.
Nondum ruentis Ilii fatum stetit.
SEN. Et quas reperiet, ut velit, clades deus?
Stygis profundae claustra et obscuri specus
Laxantur; et, ne desit eversis metus,
Hostes ab imo conditi Dite exeunt.
Solisne retro pervium est Danaïs iter?
Certe aequa mors est. ANDR. Turbat atque agitat Phrygas

Communis iste terror; hic proprie meum
Exterret animum noctis horrendae sopor.
SEN. Quae visa portent, effer in medium, metus.
ANDR. Partes fere nox alma transierat duas,
Clarumque septem verterant stellae jugum;
Ignota tandem venit adflictae quies,
Brevisque fessis somnus obrepsit genis;
Si somnus ille est mentis attonitae stupor:
Cum subito nostros Hector ante oculos stetit,
Non qualis ultro bella in Argivos ferens,
Grajas petebat facibus Idaeis rates,
Nec caede multâ qualis in Danaos furens
Vera ex Achille spolia simulato tulit,
Non ille, vultûs flammeum intendens jubar;
Sed fessus ac dejectus et fletu gravis,
Similisque nostro, squalidâ obtectus comâ.
Juvat tamen vidisse. Tum quassans caput,
„Dispelle somnos," inquit, „et gnatum eripe,
O fida conjux! Lateat: haec una est salus.
Omitte fletus. Troja quod cecidit, gemis?
Utinam jaceret tota! Festina! amove
Quocunque nostrae parvulam stirpem domus!"
Mihi gelidus horror ac tremor somnum expulit:
Oculosque nunc huc pavida, nunc illuc ferens,
Oblita nati, misera quaesivi Hectorem.
Fallax per ipsos umbra complexus abît.
O gnate, magni certa progenies patris;
Spes una Phrygibus, unica adflictae domûs,
Veterisque soboles sanguinis nimium incliti,
Nimiumque patri similis (hos vultus meus
Habebat Hector; talis incessu fuit,
Habituque talis; sic tulit fortes manus,
Sic celsus humeris, fronte sic torvâ minax,
Cervice fusam dissipans jactâ comam),
O gnate, sero Phrygibus et matri, cito
Eritne tempus illud ac felix dies,

Quo, Troïci defensor et vindex soli,
Recidiva ponas Pergama, et sparsos fugâ
Cives reducas, nomen et patriae suum
Phrygibusque reddas? Sed meï fati memor
Tam magna timeo vota. Quod captis sat est,
Vivamus. Heu me, qui locus fidus meo
Erit timori, quâve te sede occulam?
Arx illa pollens opibus et muris deûm,
Gentes per omnes clara et invidiae gravis,
Nunc pulvis altus; strata sunt flammâ omnia,
Superestque vastâ ex urbe ne tantum quidem,
Quo lateat infans. Quem locum fraudi legam?
Est tumulus ingens conjugis cari sacer,
Verendus hosti, mole quem immensâ parens
Opibusque magnis struxit, in luctus suos
Rex non avarus: optime credam patri. —
Sudor per artus frigidus totos cadit:
Omen tremisco misera feralis loci.
SEN. Haec causa multos una ab interitu arcuit,
Credi perîsse. ANDR. Vix speï quidquam est super:
Grave pondus illum magna nobilitas premit.
SEN. Ne prodat aliquis, amove testes doli.
ANDR. Si quaeret hostis? SEN. Urbe in eversa perit.
ANDR. Quid proderit latuisse redituro in manus?
SEN. Victor feroces impetus primos habet.
ANDR. Quid, quod latére sine metu magno nequit?
SEN. Miser occupet praesidia, securus legat.
ANDR. Quis te locus, quae regio seducta, invia
Tuto reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? Qui semper, etiam nunc tuos,
Hector, tuere; conjugis fortum piae
Serva, et fideli cinere victurum excipe!
Succede tumulo, gnate! Quid retro fugis,
Turpesque latebras spernis? Agnosco indolem:
Pudet timere. Spiritus magnos fuga

502. Fort.: seductum invia T. r.?

Animosque veteres; sume, quos casus dedit!
En, intuere, turba quae simus super:
Tumulus, puer, captiva: cedendum est malis.
Sanctas parentis conditi sedes, age,
Aude subire. Fata si miseros juvant:
Habes salutem; fata si vitam negant:
Habes sepulcrum. SEN. Claustra commissum tegunt;
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teque diversam amove.
ANDR. Levius solet timere, qui propius timet;
Sed, si placet, referamus hinc alio pedem.
SEN. Cohibe parumper ora, questusque opprime:
Gressus nefandos dux Cephallenûm admovet.
ANDR. Dehisce tellus, tuque conjux ultimo
Specu revulsam scinde tellurem, et Stygis
Sinu profundo conde depositum meum!
Adest Ulysses, et quidem dubio gradu
Vultuque: nectit pectore astus callidos.
UL. Durae minister sortis, hoc primum peto,
Ut ore quamvis verba dicantur meo,
Non esse credas nostra: Grajorum omnium
Procerumque vox est, petere quos seras domos
Hectorea soboles prohibet. Hanc fata expetunt:
Sollicita Danaos pacis incertae fides
Semper tenebit, semper a tergo timor
Respicere coget, arma nec poni sinet,
Dum Phrygibus animos gnatus eversis dabit,
Andromacha. ANDR. Vester augur haec Calchas canit?
UL. Etsi taceret augur haec Calchas, tamen
Dicebat Hector, cujus et stirpem horreo:
Generosa in ortus semina exurgunt suos.
Sic ille magni parvus armenti comes,
Primisque nondum cornibus findens cutem,
Cervice subito celsus et fronte arduus
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quae tenera caeso virga de trunco stetit,

Par ipsa matri tempore exiguo subit,
Umbrasque terris reddit et coelo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit. Est quidem injustus dolor
Rerum aestimator; si tamen tecum exigas:
Veniam dabis, quod bella post hiemes decem
Totidemque messes jam senex miles timet,
Aliasque clades rursus, ac nunquam bene
Trojam jacentem. Magna res Danaos movet,
Futurus Hector: libera Grajos metu.
Haec una naves causa deductas tenet;
Hic classis haeret. Neve crudelem putes,
Quod sorte jussus Hectoris natum petam:
Petissem Orestem. Patere, quod victor tulit.
ANDR. Utinam quidem esses, gnate, maternâ in manu,
Nossemque, quis te casus ereptum mihi
Teneret, aut quae regio! Non hostilibus
Confossa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus praestricta, non acri latus
Utrumque flammâ cincta, maternam fidem
Unquam exuissem. Gnate, quis te nunc locus,
Fortuna quae possedit? errore avio
Vagus arva lustras? vastus an patriae vapor
Corripuit artus? saevus an victor tuo
Lusit cruore? numquid immanis ferae
Morsu peremtus pascis Idaeas aves?
UL. Simulata remove verba: non facile est tibi
Decipere Ulyssen: vicimus matrum dolos
Etiam dearum. Cassa consilia amove.
Ubi natus est? ANDR. Ubi Hector? ubi cuncti Phryges?
Ubi Priamus? Unum quaeris; ego quaero omnia.
UL. Coacta dices, sponte quod fari abnuis.

555. Fort.: libera nostros metu.

576. Fort.: — omnia. UL. Stulta est fides celare, quae prodas statim. Coacta etc.

ANDR. Tuta est, perire quae potest, debet, cupit.
UL. Magnifica verba mors prope admota excutit.
ANDR. Si vis, Ulysse, cogere Andromacham metu,
Vitam minare: nam mori votum est mihi.
UL. Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui
Quodcunque celas, adiget invitam dolor,
Et pectore imo condita arcana eruet.
Necessitas plus posse, quam pietas, solet.
ANDR. Propone flammas, vulnera et diras mali
Doloris artes, et famem et saevam sitim,
Variasque pestes undique, et ferrum inditum
Visceribus ustis, carceris coeci luem,
Et quidquid audet victor iratus, tumens:
Animosa nullos mater admittit metus.
UL. Stulta est fides, celare quod prodas statim.
Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor
Consulere parvis liberis Danaos monet.
Post arma tam longinqua, post annos decem,
Minus timerem, quos facit Calchas, metus,
Si mihi timerem: bella Telemacho paras.
ANDR. Invita Ulyssi gaudium ac Danaïs dabo:
Dandum est. Fatere, quos premis, luctus, dolor!
Gaudete, Atridae; tuque laetifica, ut soles,
Refer Pelasgis: Hectoris proles obit.
UL. Et esse verum hoc quâ probas Danaïs fide?
ANDR. Ita, quod minari maximum victor potest,
Contingat, et me fata maturo exitu
Facilique solvant, ac meo condant solo,
Et patria tellus Hectorem leviter premat,
Ut luce caret, ut inter extinctos jacet,
Datusque tumulo debita exanimis tulit.
UL. Expleta fata stirpe sublatâ Hectoris,
Solidamque pacem laetus ad Danaos feram. —
Quid agis, Ulysse? Danaïdae credent tibi;

591. Vid. ad 576. Hic legam: — metus. UL. Hic ipse etc.
594. Fort.: C. patriis liberis. D. m.

Tu cui? Parenti. Fingit an quisquam hoc parens,
Nec abominandae mortis auspicium pavet?
Auspicia metuunt, qui nihil majus timent.
Fidem adligavit jurejurando suam.
Si pejerat: timere quid gravius potest?
Nunc advoca astus, anime; nunc fraudes, dolos;
Nunc totum Ulyssen! Veritas nunquam perit.
Scrutare matrem. Moeret: inlacrimat, gemit.
Sed et huc et illuc anxios gressus refert,
Missasque voces aure sollicitâ excipit:
Magis hôc timet, quam moeret. Ingenio est opus. —
Alios parentes adloqui in luctu decet;
Tibi gratulandum est, misera, quod gnato cares,
Quem mors manebat saeva, praecipitem datum
E turre, lapsis sola quae muris manet.
ANDR. Me liquit animus; membra quatiuntur, labant,
Torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
UL. Intremuit: hâc, hâc parte quaerendum est mihi.
Matrem timor detexit: iterabo metum.
Ite, ite, celeres, fraude maternâ abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam,
Ubicunque latitat, erutam in medium date!
Bene est: tenetur. Perge, festina, attrahe! —
Quid respicis trepidasque? Jam certe perit.
ANDR. Utinam timerem! Solitus ex longo est metus.
Dediscit animus sero, quod didicit diu.
UL. Lustrale quoniam debitum muris puer
Sacrum antecessit, nec potest vatem sequi,
Meliore fato raptus: hoc Calchas ait
Modo piari posse redituras rates,
Si placet undas Hectoris sparsi cinis,
At tumulus imo totus aequetur solo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem,
Erit admovenda sedibus sacris manus.
ANDR. Quid agimus? animum distrahit geminus timor:
Hinc natus, illinc conjugis cari cinis.

Pars utra vincet? Testor immites deos,
Deosque veros, conjugis manes mei,
Non aliud, Hector, in meo gnato mihi
Placere, quam te! Vivat, ut possit tuos
Referre vultus. Prorutus tumulo cinis
Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
Disjecta vastis? Potius hic mortem oppetat. —
Poteris nefandae deditum mater neci
Videre? poteris celsa per fastigia
Missum rotari? Potero, perpetiar, feram,
Dum non meus post fata victoris manu
Jactetur Hector. Hic suam poenam potest
Sentire; at illum fata jam in tuto locant. —
Quid fluctuaris? Statue, quem poenae extrahas.
Ingrata, dubitas? Hector est illinc tuus. —
Erras: utrinque est Hector; hic sensûs potens,
Forsan futurus ultor extincti patris. —
Utrique parci non potest: quidnam facis?
Serva e duobus, anime, quem Danaï timent.
UL. Responsa peragam: funditus busta eruam.
ANDR. Quae vendidistis? UL. Pergam, et e summo aggere
Traham sepulcra. ANDR. Coelitum adpello fidem,
Fidemque Achillis! Pyrrhe, genitoris tui
Munus tuere! UL. Tumulus hic campo statim
Toto jacebit. ANDR. Fuerat hoc prorsus nefas
Danaïs inausum. Templa violastis, deos
Etiam faventes; busta transierat furor.
Resistam; inermes offeram armatis manus!
Dabit ira vires. Qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon stravit; aut qualis deo
Percussa Maenas entheo silvas gradu,
Armata thyrso, terret, atque expers sui
Vulnus dedit, nec sensit, in medios ruam,
Tumuloque cineris socia defenso cadam!
UL. Cessatis, et vos flebilis clamor movet

Furorque cassus feminae? Jussa ocius
Pergite! ANDR. Me, me sternite hic ferro prius!
Repellor? heu me! Rumpe fatorum moras;
Molire terras, Hector, ut Ulyssen domes!
Vel umbra satis es. Arma concussit manu!
Jaculatur ignes! Cernitis, Danaï, Hectorem,
An sola video? UL. Funditus cuncta eruam!
ANDR. Quid agis? ruinâ pariter et gnatum et virum
Prosternis unâ? Forsitan Danaos prece
Placare poteris. Conditum elidet statim
Immane busti pondus. Intereat miser
Ubicunque potius: ne pater gnatum obruat,
Prematque patrem gnatus. — Ad genua accido
Supplex, Ulysse; quamque nullius pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.
Miserere matris, et preces placidus pias
Patiensque recipe; quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme!
Misero datur quodcunque, fortunae datur.
Sic te revisat conjugis sanctae torus;
Annosque, dum te recipit, extendat suos
Laërta! sic te juvenis excipiat tuus,
Et, vota vincens vestra felici indole,
Aetate avum transcendat, ingenio patrem!
Miserere matris: unicum adflictae mihi
Solamen hoc est. UL. Exhibe gnatum, et roga.
ANDR. Huc e latebris procede tuis, a. d. et m.
Flebile matris furtum miserae! —
Hic puer, hic est terror, Ulysse,
Mille carinis. Submitte manus,
Dominique pedes supplice dextrâ
Stratus adora; nec turpe puta,
Quidquid miseros Fortuna jubet.
Pone ex animo reges atavos,

690. pariter. Vulgo: mater.
695. Fort.: Prematve.

Magnique senis jura per omnes
Inclita terras; excidat Hector.
Gere captivum; positoque genu,
Si tua nondum funera sentis,
Matris fletus imitare tuae.
Vidit pueri regis lacrimas
Et Troja prior, parvusque minas
Trucis Alcidae flexit Priamus.
Ille, ille ferox, cujus vastis
Viribus omnes cessere ferae,
Qui perfracto limine Ditis
Coecum retro patefecit iter,
Hostis parvi victus lacrimis,
„Suscipe," dixit, „rector, habenas,
Patrioque sede celsus solio;
Sed sceptra fide meliore tene."
Hoc fuit illo victore capi.
Discite mites Herculis iras.
An sola placent Herculis arma?
Jacet ante pedes non minor illo
Supplice supplex, vitamque petit.
Regnum Trojae, quocunque volet,
Fortuna ferat.

## ULYSSES, ANDROMACHA, ASTYANAX.

Precibus minas et diras miscet Andromache, Ulyssem orans, nec exorans.

UL. Matris quidem me moeror attonitae movet; i. a.
Magis Pelasgae me tamen matres movent,
Quarum iste magnos crescit in luctus puer.
ANDR. An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit? hae manus Trojam erigent?
Nullas habet spes Troja, si tales habet.
Non sic jacemus Troës, ut cuiquam metus
Possimus esse. — Spiritus genitor facit. —

Sed nempe tractus. Ipse post Trojam pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala.
Si poena petitur, quae peti gravior potest?
Famulare collo nobili subeat jugum;
Servire liceat. Aliquis hoc regi negat?
UL. Non hoc Ulysses, sed negat Calchas tibi.
ANDR. O machinator fraudis et scelerum artifex,
Virtute cujus bellicâ nemo occidit,
Dolis et astu maleficae mentis jacent
Etiam Pelasgi; vatem et insontes deos
Praetendis? Hoc est pectoris facinus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Jam solus audes aliquid, et claro die.
UL. Virtus Ulyssis Danaïdis nota est satis,
Nimisque Phrygibus. Non vacat vanis diem
Conterere verbis: ancoras classis legit.
ANDR. Brevem moram largire, dum officium parens
Gnato supremum reddo, et amplexu ultimo
Avidos dolores satio. UL. Misereri tui
Utinam liceret! Quod tamen solum licet,
Tempus moramque dabimus. Arbitrio tuo
Implere lacrimis: fletus aerumnas levat.
ANDR. O dulce pignus! o decus lapsae domus,
Summumque Trojae funus! o Danaûm timor!
Genitricis o spes vana, cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar! Vota destituit deus.
Iliaca non tu sceptra regali potens
Gestabis aulâ; jura nec populis dabis,
Victasque gentes sub tuum mittes jugum;
Non Graja caedes terga, non Pyrrhum trahes;
Non arma tenerâ parva tractabis manu,
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris; nec, stato lustri die
Solemne referens Troïci lusûs sacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages;

Non inter aras mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles. —
O morte dirâ tristius leti genus!
Flebilius aliquid Hectoris magni nece
Muri videbunt. UL. Rumpe jam fletus parens!
Magnus sibi ipse non facit finem dolor.
ANDR. Lacrimis, Ulysse, parva, quam petimus, mora est.
Concede, parvos ut meâ condam manu
Viventis oculos! — Occidis parvus quidem,
Sed jam timendus. Troja te expectat tua.
I, vade liber; liberos Troas vide!
AST. Miserere, mater! ANDR. Quid meos retines sinus
Manusque matris? Cassa praesidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum juvencus adplicat matri latus;
At ille saevus matre submotâ leo
Praedam minorem morsibus vastis tenens
Frangit, vehitque: talis e nostro sinu
Te rapiet hostis. Oscula et fletus, puer,
Lacerosque crines excipe, et plenus mei
Occurre patri! Pauca maternae tamen
Perfer querelae verba: „Si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor,
Servire Grajo pateris Andromachen jugo,
Crudelis Hector? Lentus et segnis jaces;
Rediit Achilles.“ Sume nunc iterum comas,
Et sume lacrimas, quidquid e misero viri
Funere relictum est; sume, quae reddas tuo
Oscula parenti! Matris hanc solatio

785. Fort.: Reboante.

787. Fort.: dirâ dirius.

792. parvos. Fort.: patrios.

Relinque vestem: tumulus hanc tetigit meus
Manesque cari. Si quid hic cineris latet,
Scrutabor ore. UL. Nullus est flendi modus:
Abripite propere classis Argolicae moram!

## CHORUS TROADUM.

Asportandae Troades in varia Graeciae loca, prout sorte Achivis dispertitae contigerant, in quamcunque tamen Graeciae partem abduci praeoptant, quam in Spartam, Mycenas et Ithacam, Helenae, Agamemnonis et Ulyssis patriam.

Quae vocat sedes habitanda captas? sapph.
Thessali montes et opaca Tempe,
An viros tellus dare militares
Aptior Phthie, meliorve foetu
Fortis armenti lapidosa Trachin?
An maris vasti domitrix Iolcos?
Urbibus centum spatiosa Crete,
Parva Gyrtone, sterilisque Tricce,
An frequens ruscis levibus Mothone?
Quae sub Oetaeis latebrosa silvis
Misit infestos Troiae ruinis
Non semel arcus,
Olenos tectis habitata raris,
Virgini Pleuron inimica divae,
An maris lati sinuosa Troezen?
Pelion regnum Prothoï superbum,
Tertius coelo gradus (hic recumbens
Montis exesi spatiosus antro
Jam trucis Chiron pueri magister,
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tum quoque ingentes acuebat iras
Bella canendo),
An ferax varii lapidis Carystos?

814. meus. Fort.: merus.

An premens littus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet ventö faciles Calydnae,
Ac carens nunquam Gonoëssa vento,
Quaeque formidat Borean Enispe,
Atticâ pendens Peparethos orâ,
An sacris gaudens tacitis Eleusin?
Numquid Ajacis Salamina veram,
Aut ferâ notam Calydona saevâ,
Quasque perfundit, subiturus aequor,
Segnibus terras Titaressos undis,
Bessan et Scarphen? Pylon an senilem?
Pharin, an Pisam, Jovis et coronis
Elida claram?
Quolibet tristis miseras procella
Mittat, et donet cuicunque terrae:
Dum, luem tantam Troiae atque Achivis
Quae tulit, Sparte procul absit; absit
Argos et saevi Pelopis Mycenae;
Neritos parvâ brevior Zacyntho,
Et nocens saxis Ithace dolosis.
Quod manet fatum dominusve quis te
Aut quibus terris, Hecabe, videndam
Ducet? in cujus moriere regno?

846. Peparethos. Fort.: Probalinthos.

# ACTUS QUARTUS.

## HELENA, ANDROMACHA, HECUBA. POLYXENA, PYRRHUS, mutae personae.

Ut manibus Achillis rite inferiae peragantur, excogitata ratio est, quâ ut veste, ita animo nuptiali affecta mactetur Polyxena. Vid. supra vers. 366. Quae partes dantur Helenae, ut Polyxenam lactet inani spe nuptiarum cum Pyrrho; quas illa primo simulat, mox Andromachae jurgio excussa dolos fatetur, et rem aperte suadet.

HEL. Quicunque hymen funestus, ilaetabilis, i. s.
Lamenta, caedes, sanguinem, gemitus habet,
Est auspice Helenâ dignus. Eversis quoque
Nocere cogor Phrygibus. Ego Pyrrhi toros
Narrare falsos jubeor; ego cultus dare
Habitusque Grajos. Arte capietur meâ,
Meâque fraude concidet Paridis soror
Fidenter. Ipsi levius hoc equidem reor:
Optanda mors est sine metu mortis mori.
Quid jussa cessas agere? Ad auctores redit
Sceleris coacti culpa. — Dardaniae domûs
Generosa virgo, melior adflictos deus
Respicere coepit; teque felici parat
Dotare thalamo. Tale conjugium tibi
Non ipsa sospes Troja, non Priamus daret:
Nam te Pelasgae maximum gentis decus
Ad sancta lecti jura legitimi petit,
Cui regna campi lata Thessalici patent.
Te magna Tethys, teque tot pelagi deae,
Placidumque numen aequoris tumidi Thetis,
Suam vocabunt; te datam Pyrrho socer
Peleus nurum vocabit, et Nereus nurum.
Depone cultus squalidos, festos cape;

Dedisce captam; deprime horrentes comas,
Crinemque doctâ patere distingui manu.
Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet. Profuit multis capi.
ANDR. Hoc deerat unum Phrygibus eversis malum,
Gaudere. Flagrant strata passim Pergama.
O conjugale tempus! An quisquam audeat
Negare? quisquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena suadet? Pestis, exitium, lues
Utriusque populi, cernis hos tumulos ducum,
Et nuda totis ossa quae passim jacent
Inhumata campis? Haec hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor,
Cum dimicantes lenta prospiceres viros,
Incerta voti. Perge, thalamos adpara!
Taedis quid opus est, quidve solemni face,
Quid igne? Thalamis Troja praelucet novis.
Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia;
Celebrate digne: planctus et gemitus sonent.
HEL. Ratione quamvis careat et flecti neget
Magnus dolor, sociosque nonnunquam sui
Moeroris ipsos oderit: causam tamen
Possum tueri judice infesto meam,
Graviora passa. Luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum; solus occulte Paris
Lugendus Helenae. Durum et invisum et grave est,
Servitia ferre; patior hoc olim jugum
Annis decem captiva. Prostratum Ilium est,
Versi penates. Perdere est patriam grave;
Gravius timere. Vos levat tanti mali
Comitatus; in me victus et victor furit.
Quam quisque famulam traheret, incerto diu
Casu pependit; me meus traxit statim
Sine sorte dominus. Causa bellorum fui,
Tantaeque Teucris cladis. Hoc verum puta,
Spartana puppis vestra si secuit freta.

Sin rapta Phrygiis praeda remigibus fui,
Deditque donum judici victrix dea:
Ignosce Paridi. Judicem iratum mea
Habitura causa est: ista Menelaum manent
Arbitria. Nunc hanc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis flecte: vix lacrimas queo
Retinere. ANDR. Quantum est, Helena quod lacrimat, malum!
Cur lacrimat autem? Fare, quos Ithacus dolos,
Quae scelera nectat! Utrum ab Idaeis jugis
Jactanda virgo est, arcis an celsae edito
Mittenda saxo? num per has vastum in mare
Volvenda rupes, latere quas scisso levat
Altum vadoso Sigeon spectans sinu?
Dic, fare, quidquid subdolo vultu tegis.
Leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener
Hecubaeque Pyrrhus. Fare, quam poenam pares.
Exprome, et unum hoc deme nostris cladibus,
Falli. Paratas perpeti mortem vides.
HEL. Utinam juberet me quoque interpres deûm
Abrumpere ense lucis invisae moras,
Vel Achillis ante busta furibundâ manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,
Polyxene miseranda, quam tradi sibi,
Cineremque Achilles ante mactari suum,
Campo maritus ut sit Elysio, jubet!
ANDR. Vide, ut animus ingens laetus audierit necem.
Cultus decoros regiae vestis petit,
Et admoveri crinibus patitur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At misera luctu mater audito stupet;
Labefacta mens succubuit. Adsurge! adleva
Animum, et cadentem, misera, firma spiritum!
Quam tenuis anima vinculo pendet levi!
Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.

949. Fort.: animi.

Spirat: revixit. Prima mors miseros fugit.
HEC. Adhuc Achilles vivit in poenas Phrygum!
Adhuc rebellat! O manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea;
Lassabar in tot oscula, in totum gregem
Dividere matrem. Sola nunc haec est super,
Votum, comes, levamen, adflictae quies.
Haec totus Hecubae foetus; hâc solâ vocor
Jam voce mater. Dura et infelix, age,
Elabere anima! denique hoc unum mihi
Remitte funus! Inrigat fletus genas,
Imberque victo subitus e vultu cadit.
Laetare, gaude, gnata! Quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!
ANDR. Nos, Hecuba; nos, nos, Hecuba, lugendae sumus,
Quas mota classis huc et huc sparsas feret;
Hanc cara tellus sedibus patriis teget.
HEL. Magis invidebis, si suam sortem scias.
ANDR. An aliqua poenae pars meae ignota est mihi?
HEL. Versata dominos urna captivis dedit.
ANDR. Cui famula trador? ede! quem dominum voco?
HEL. Te sorte primâ Scyrius juvenis tulit.
ANDR. Cassandra felix, quam furor sorti eximit,
Phoebusque! HEL. Regum hanc maximus rector tenet.
HEC. Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?
HEL. Ithaco obtigisti praeda nolenti brevis.
HEC. Quis tam impotens ac dirus et iniquae ferus
Sortitor urnae regibus reges dedit?
Quis tam sinister dividit captas deus?
Quis arbiter crudelis et miseris gravis
Eligere dominos nescit, et saevâ manu
Dat iniqua miseris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? Ad Ulyssen vocor?

973. Fort.: Non occubans, nos, Hecuba, lugendae sumus.

Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
Obsessa videor cladibus! Domini pudet,
Non servitutis. Hectoris spolium feret,
Qui tulit Achillis? Sterilis et saevis fretis
Inclusa tellus non capit tumulos meos.
Duc, duc, Ulysse! nil moror; dominum sequor.
Me mea sequentur fata: non pelago quies
Tranquilla veniet, saeviet ventis mare,
Et bella, et ignis, et mea et Priami mala.
Dumque ista veniunt, interim hoc poenae loco est:
Sortem occupavi, praemium eripui tibi.
Sed incitato Pyrrhus adcurrit gradu,
Vultuque torvo. Pyrrhe, quid cessas? Age,
Reclude ferro pectus, et Achillis tui
Conjunge soceros! Perge, mactator senum:
Et hic decet te sanguis. Abreptam trahit!
Maculate superos caede funestâ deos,
Maculate Manes! Quid precer vobis? Precor
His digna sacris aequora. Hoc classi accidat
Toti Pelasgae, ratibus hoc mille accidat,
Meae precabor, cum vehar, quidquid rati!

## CHORUS TROADUM.

Chorus occasione sumtâ ab Helenae dicto supra vers. 917. *vos levat tanti mali comitatus*, solatur se communi malo; quod tamen solatium ipsis sortito disjunctis ablatum fore.

Dulce moerenti populus dolentum, sapph.
Dulce lamentis resonare gentes!
Lentius luctus lacrimaeque mordent,
Turba quas fletu similis frequentat.
Semper, ah, semper dolor est malignus:
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seque non solum placuisse poenae.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,

Nemo recusat;
Nemo se credit miserum, licet sit.
Tolle felices; removeto multo
Divites auro; removeto centum
Rura qui sciudunt opulenta bubus:
Pauperi surgent animi jacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.
Dulce in immensis posito ruinis,
Neminem laetos habuisse vultus.
Ille deplorat queriturque fatum,
Qui secans fluctum rate singulari
Nudus in portus cecidit petitos;
Aequior casum tulit et procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit, tabulaque littus
Naufragâ spargi, mare cum coactis
Fluctibus Corus prohibet reverti.
Questus est Hellen cecidisse Phryxus,
Cum gregis ductor radiante villo
Aureo fratrem simul et sororem
Sustulit tergo, medioque jactum
Fecit in ponto; tenuit querelas
Et vir et Pyrrhe, mare cum viderent,
Et nihil praeter mare cum viderent,
Unici terris homines relicti.
Solvet hunc coetum, lacrimasque nostras
Sparget huc illuc agitata classis,
Et tubâ jussi dare vela nautae,
Cum simul ventis properante remo
Prenderint altum, fugietque littus.
Quis status mentis miseris, ubi omnis
Terra decrescet, pelagusque crescet?
Celsa cum longe latitabit Ide?
Tum puer matri, genitrixque nato,
Troja quâ jaceat regione monstrans,

1039. Fort.: villis Aureis.

Dicet, et longe digito notabit:
„Ilium est illic, ubi fumus alte
Serpit in coelum nebulaeque turpes.“
Troës hoc signo patriam videbunt.

---

# ACTUS QUINTUS.

## NUNTIUS, ANDROMACHA, HECUBA.

**Nuntius matribus narrat, ut e turri praecipitatus fuerit Astyanax, et Polyxena ad tumulum Achillis caesa.**

NUNT. O DIRA fata, saeva, miseranda, horrida, i. s.
Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus
Mars vidit annis? Quid prius referens gemam,
Tuosne potius, an tuos luctus, anus?
HEC. Quoscunque luctus fleveris, flebis meos:
Sua quemque tantum, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt; quisquis est, Hecubae est, miser.
NUNT. Mactata virgo est, missus e muris puer;
Sed uterque letum mente generosâ tulit.
ANDR. Expone seriem caedis, et duplex nefas
Prosequere: gaudet magnus aerumnas dolor
Tractare totas. Ede, et enarra omnia.
NUNT. Est una magnâ turris e Trojâ super,
Adsueta Priamo; cujus e fastigio
Summisque pinnis arbiter belli sedens
Regebat acies. Turre in hac blando sinu
Fovens nepotem, cum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector et ferro et face,
Paterna puero bella monstrabat senex.

Haec nota quondam turris et muri decus,
Nunc saeva cautes, undique adfusâ ducum
Plebisque turbâ cingitur; totum coït
Ratibus relictis vulgus. His collis procul
Aciem patenti liberam praebet loco;
His alta rupes, cujus e cacumine
Erecta summo turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo silva suspenso tremit.
Extrema montis ille praerupti petit;
Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens
Muri cadentis pressit; atque aliquis (nefas!)
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
Per spatia late plena sublimi gradu
Incedit Ithacus, parvulum dextrâ trahens
Priami nepotem; nec gradu segni puer
Ad alta pergit moenia. Ut summâ stetit
Pro turre, vultus huc et huc acres tulit,
Intrepidus animo. Qualis ingentis ferae
Parvus tenerque foetus, et nondum potens
Saevire dente, jam tamen tollit minas,
Morsusque inanes tentat, atque animis tumet:
Sic ille dextrâ prensus hostili puer
Ferox, Superne moverat vulgum ac duces,
Ipsumque Ulyssen. Non flet e turbâ omnium,
Qui fletur; ac dum verba fatidici et preces
Concipit Ulysses vatis, et saevos ciet
Ad sacra Superos, sponte desiluit suâ
In media Priami regna. —
ANDR. Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha
Commisit? aut quae Caspium cingens mare
Gens juris expers ausa? Non Busiridis

1085. Fort.: Evecta.

1089. Fort.: eminens.

Puerilis aras sanguis adspersit feri,
Nec parva gregibus membra Diomedes suis
Epulanda posuit. Quis tuos artus teget,
Tumuloque tradet? NUNT. Quos enim praeceps locus
Reliquit artus? Ossa disjecta et gravi
Elisa casu, signa clari corporis,
Et ora et illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta cervix silicis impulsu, caput
Ruptum, cerebro penitùs expresso. Jacet
Deforme corpus. ANDR. Sic quoque est similis patri.
NUNT. Praeceps ut altis cecidit e muris puer,
Flevitque Achivûm turba, quod fecit, nefas:
Idem ille populus aliud ad facinus redit
Tumulumque Achillis. Hujus extremum latus
Rhoetea leni verberant fluctu vada;
Adversa cingit campus, et clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Crescit theatri more. Concursus frequens
Implevit omne littus: hi classis moras
Hâc morte solvi rentur; hi stirpem hostium
Gaudent recidi. Magna pars vulgi levis
Odit scelus, spectatque; nec Troës minus
Suum frequentant funus, et pavidi metu
Partem ruentis ultimam Trojae vident:
Cum subito thalami more praecedunt faces.
It pronuba illic Tyndaris, moestum caput
Demissa. Tali nubat Hermione modo,
Phryges precantur. Sic viro turpis suo
Reddatur Helene! Terror attonitos tenet
Utrosque populos. Ipsa dejectos gerit
Vultus pudore; sed tamen fulgent genae,
Magisque solito splendet extremus decor;

1115. Fort.: disjecta, gravi etc.

Ut esse Phoebi dulcius lumen solet
Jamjam cadentis, astra cum repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicinâ dies.
Stupet omne vulgus; et fere cuncti magis
Peritura laudant. Hos movet formae decus,
Hos mollis aetas, hos vagae rerum vices;
Movet animus omnes fortis et leto obvius.
Pyrrhum antecedit. Omnium mentes tremunt,
Mirantur, ac miserantur. Ut primum ardui
Sublime montis tetigit, atque alte edito
Juvenis paterni vertice in busti stetit:
Audax virago non tulit retro gradum;
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit,
Novumque monstrum est Pyrrhus ad caedem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit:
Subitus receptâ morte prorupit cruor
Per vulnus ingens. Nec tamen moriens adhuc
Deponit animos: cecidit, ut Achilli gravem
Factura terram, prona, et irato impetu.
Uterque flevit coetus; at timidum Phryges
Misere gemitum; clarius victor gemit.
Hic ordo sacri. Non stetit fusus cruor,
Humove summa fluxit: obduxit statim,
Saevusque totum sanguinem tumulus bibit.
HEC. Ite, ite, Danaï; petite jam tuti domos;
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis: concidit virgo ac puer;
Bellum peractum est. Quo meas lacrimas feram?
Ubi hanc anilis exspuam leti moram?
Gnatam, an nepotem; conjugem, an patriam fleam?
An omnia, an me, sola? Mors, votum meum,
Infantibus violenta, virginibus, venis,
Ubicunque properas, saeva; me solam times
Vitasque! gladios inter ac tela et faces
Quaesita totâ nocte, cupientem fugis!

Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumsit artus: quam prope a Priamo steti!
NUNT. Repetite celeri maria, captivae, gradu:
Jam vela puppis laxat, et classis movet.

1181. Fort.: artus, quae prope etc.

---

# F. H. BOTHII,

D. PHIL. ET AA. LL. M., ARCHIDUCALI, QUAE JENAE EST,
SOCIETATI LAT., ITEM TEUTONICAE BEROLINENSIUM,
HON. C. ADSCRIPTI,

# ANNOTATIONUM

IN

# L. ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAS

## VOLUMEN SECUNDUM,

SIVE ANNOTATIONES

IN HIPPOLYTUM, OEDIPUM ET TROADAS.

# ANNOTATIONES
## IN HIPPOLYTUM.

Vers. 4. *Parnethi.* Male Delrius secundum suum ipsius cod.: Parnetho. *Πάρνης*, *Πάρνηθος* Graecis est, vel *Πάρνητος*; sed illam formam genitivi et obliquorum casuum hujus nominis habent Thucydides, Aristophanes Nub. 322. ejusque ibi Schol., et quos praeterea scriptores laudat Delr. Jacob. Gronovius in schedis Dietzianis: „Nescio, unde omnes velint *Parnethi* vel *Parnetho* scribi per *th.* Utique *Πάρνης Πάρνητος*, ut *Φάγρης*. Casaub. ad Strab. 1778. Sed etiam in Aristophane *Νεφέλ.* cur — *Πάρνηθ'. ἤδη* —? nam alibi *Πάρνηθ' ὅλον* est ob aspirationem."

5. *quae Thriasiis.* Ita Flor., teste ibidem Jacobo Gronovio, non: *et* Thriasiis, ut vulgo. Recte, ut opinor, siquidem vocabula *θριαί*, *θρῖον*, *θριάζω* syllabam *θρι* corripiunt, ut verisimile sit, ab his urbis nomen *Θρία* quantitate τοῦ ι distinctum fuisse, ut distingui solent a nominibus propriis appellativa. Nam pro certo id affirmare nunc non ausim, ut qui destituar poëtae alicujus loco, in quo nomen illud legatur. Quali prolato loco si quis ostenderit, priore syllabâ brevi pronuntiandum esse *Θρία*, ei auctor sum, ut scribat: *et quae Thriasis*, contractione Nostro usitatissimâ, ut exemplis probavi ad Herc. fur. 49. Et huc spectare cuipiam videantur plerorumque codicum, quâ scriptorum, quâ impressorum, lectiones Tyasis, Tiasis, *Thyasis*, ut edd. Fern. et Caj. Ascensius: *quaeque Triasiis*, correpto quidem τῷ Tri in Triasiis, sed nescio quâ auctoritate. Ald.: Triasii. Metrum causatus Jo. Schraderus, reiecta Gronovii coniectura, Raphelengii hanc *quaeque Thriasiis* praefert, Emendatt. praef. p. 34. ubi et plures versus 14. correctiones eodem nomine vitiosas perstringit.

6. *amnis.* Cephissus, qui a septentrione Atticam influebat; quam coeli regionem designant etiam arx Cecropia, Parnes, mons Atticae nobilissimus prope Hymettum in confiniis Boeotiae, et Thriasus.

13. Vulgo: *Ubi per glacies lenis Ilissus, Ubi Maeander* etc. Sed *glacies* alienum esse, plerique omnes intellexerunt; nec placent, qui reponunt *par glacie*, id est, secundum ipsos, adeo lenis,

ut stare velut glaciatum putes. Flor.: *glaciles*, in quo *graciles* recte agnovit Gronovius, nec tamen bene ad *agros* hoc referre mihi videtur in sequentibus, cum propterea quod statim sequitur de sterilibus arenis, quas radat Ilissus fluvius; tum quia conjunctis *graciles* et *agros*, quo referendum sit τὸ *aequales*, vix invenias. Nam Lipsium quis ferat reponentem per *glareas*, ut Ilissus dicatur per scrupos et saxa volvi, Maeander vero per aequabiles arenas? Cui tamen conjecturae ex parte simile Gronovii commentum hoc: *Uti Maeander inter* (voluit haud dubie *super*) *aequales.* Neutrum horum probandum, sed legendum, nisi omnia me fallant, sic est:

Ubi, pergracilis, lenis Ilissus,
Ut Maeander, super aequales
Labitur agros etc.*)

id est: Ubi lenis Ilissus super agros aequales labitur ita, ut pergracilis Maeander. *Pergracilis* proba vox, ut quam usurpet Plinius H. N. 25, 13. *Praegracilis* eodem fere sensu est apud Tacitum. *Pergracilem* autem recte dici Maeandrum fluvium, nemo est quin concedat, quem fluvium minime tumidum, sed planum atque aequum, per campos Phrygiae fluere inter omnes constat. Strabo, laudante Gronovio, l. 12: τὸν Μαίανδρον — δι' ὁμαλοῦ φερόμενον πρᾶον καὶ μαλακόν. Noster Herc. Oet. 586:

Nos Acheloï tecum solitae
Pulsare vadum, *cum jam tumidas*
Vere peracto *poneret undas,*
*Gracilisque gradu serperet aequo.*

Quem locum proferens in medium Isacius Pontanus, et τὸ *glacies* recte mutans in *graciles*, non recte legit:

Ubi per graciles lenis Ilissus,
Ubi Maeander super inaequales
Labitur agros.

Nam de isto *inaequales*, quod quidem exhibent nonnulli codd., in his Flor., nihil ut dicam, quid Maeandro fluvio cum Atticâ? nisi quis huc illud trahat, quod, monente Delrio, legitur apud Pausaniam in Corinthiacis et Arcadicis, influentem Maeandrum in mare ad Miletum rursus effundi in Peloponneso, et Aesopum fieri? Sed ne sic quidem Maeander quidquam pertinet ad hunc locum, siquidem quae seriore tempore erepta Thebanis est ab Atheniensibus regio ad Asopum sita septemtrionalis nimirum est, cum hic de agris agatur ad meridiem jacentibus urbi Athenarum, in quibus Ilissus fluvius. Recte

---

*) Similis, sed durior, Nicolai Heinsii ratio reponentis: *Suppar gracili lenis Ilissus Ubi Maeandro super aequales Labitur* etc. Vid. ejus Epist. 180. ad Graev. Sylloges Epist. tom. IV.

igitur Gronovius: „Ilissum confert cum Maeandro, quia prae ceteris fluminibus, ut ait Statius, *amfracta riparum incurvus Ilissus.* Quid, quod et *errantes* ejus aquas dicit in Oedipo, ut alibi Maeandri? Et videtur ab *εἰλίσσειν* nomen ejus ductum putasse.“ Sitae autem Athenae, montibus circumjacentibus, in planitie, quam perfluens Ilissus vere dicitur labi per *aequales agros*, ut Maeander. Ceterum versus *Ubi per glacies* plerisque libris abest MSS., item edd. vetustis, cum ab Aldi discesseris, omnibus. Sequens desiderabatur in Lipsii et Raphelengii codicibus. In Florentino autem haec ita habent, correctoris (puto) alicujus pravâ sedulitate:

Ubi per glaciles lenis Ilissus
Labitur agros piger, et steriles
Ubi Maeander super inaequales
Amne etc.

*Uti Maeander* pridem placuerat Meursio Athen. Att. 2, 6.; sed scribendum fuit *Ut* M., quia *ti* syllaba in *Uti* producitur. Quod superest, nomen *Ilissi* fluvii correptâ primâ syllabâ legitur h. l., productâ infra 505; sed ita Statius quoque variavi; nam vix conveniat, quod quidam libri, in his Aldinus, habent, *levis Ilissus.*

15. *Et steriles Amne maligno radit arenas.* Opponitur Ilissus Nilo, de quo, monente Delrio, Noster Nat. Quaest. lib. 4.: „Mira natura fluminis, quod, *cum ceteri amnes abluant terras* et eviscerent, Nilus tanto ceteris major adeo nihil laedit, nec *abradit*, ut contra adjiciat vires, minimumque in eo sit, quod solum temperet: *illato enim limo arenas saturat et inungit.*“

22. *Acharneus.* Vulgo, secundum Delrium: *Acharnan.* Plerique vett., in his Fern. et Ald: *acarnan;* alii *Arcanam*, *Arenam*, *Aramon;* proxime verum Ascensius: *acarnas:* nam recte Gron.: „Acarnanes,“ inquit, „inter Aetoliam et Epirum siti, hinc remoti. Scribe: *Durus Acharneus.* Ἀχάρναι, δῆμος τῆς Ἀττικῆς notissimus, unde Ἀχαρνεῖς. *Durus*, laboriosus. Ἀνθρακεῖς ex illis producit Aristophanes, et ἀγροίκους vocat.“

28. Jacob. Gronovius in schedis Dietz.: „Phlyeus. Si modo probari potest, illic esse silvam. Sed *Phelleus* certe habet, et montanus est: vid. Aristoph. Nub. (72), et adde locum Harpocrationis, adversus Maussacum de nominibus Atticae in *ευς* desinentibus.“ Fern. quoque et MS. Ultraj.: Philippis.

33. *Cretes.* Ita codd. Flor. Voss. quidam Delrii et Ultraj., cujus penes me sunt variae lectiones. Vid. bis Ovidius in Actaeonis turbâ. Lucanus:

Venator tenet ora levis clamosa Molossi,
Spartanos Cretasque ligat.

Proferens hos locos Gronovius tamen servat vulgatum *Cressae*, quod minus elegans.

39. *dimissi.* Sic Ascens. Et recte. Vulgo: *demissi*, errore tralaticio.

42. MSS. Eguian. et Mogunt. item edd. Herbipol. Venetae Fern. Ascens. ab hoc versu usque ad finem scenae trimetros habent anapaesticos, non dimetros, ut ceteri libri, hoc modo:

Dum signa pedum roscida tellus impressa tenet.
Alius raras cervice gravi portare plagas etc.

Nec sane diffitendum, non paucis in locis melius id metri genus congruere sententiis; sed eodem alibi divelluntur, ubi apparet ejusmodi dimetros esse usurpatos, velut 64—73. Quare nihil secundum istos libros mutare in hisce versibus sustinui; sed infra 56—63, et 75—85 rectius digessi quam in vulgatis libris leguntur, qui quidem priore horum locorum:

Secreta vacat; cujus certis
Petitur telis fera, quae gelidum etc.

et posteriore sic, in quo constituendo equidem vett. sequor edd.:

Tulit in saltus: retia vinctas
Tenuere feras; nulli laqueum etc.

Sic passim, priores secutus editores (vid. infra ad 357), sed inconstantes, metra sententiis accommodavi.

48. *vibretur* etiam Ultraj. Cf. Commel. et Schröd.

57. vid. Intpp. ad Virgil. Ge. III, 372. Aen. XII, 751. et Nic. Heins. ad Ovid. Met. XV, 473. ubi lectionem cod. Med. *cludat* mutat in *ludat.*

71. *Hyrcani.* Sic etiam Dorvillii codd. duo, ad Charit. IV, 7.

74. *Si tua numina in saltus tulit:* si plenus tui numinis silvas intravit.

82. Libri, de quorum scripturis constat, in his Ultraj. et ed. Fern.: *En diva, fave.* Sola, quod sciam, Aldina: *En, diva, faves.* Quam lectionem isi cognosset Delrius, profecto a conjectando abstinuisset. Verissimi enim MSS., quos secutus ita edidit Avantius; nec contra eos testimonium satis grave ac firmum dant illi, in quibus *fave*, cum fieri facile potuerit, praesertim in scripturâ continuâ, ut pro *favessignum*, altero s omisso, quemadmodum geminatae litterae semel poni a librariis solent, exararetur *favesignum.* Ut *adesset* sibi, id est *faveret*, jam supra 54. precatus Dianam erat Hippolytus; addideratque etiam 73. et sequentibus, quibus signis indicari sibi cuperet favorem deae. Frigeret itaque istud *fave*, tanquam inutilis repetitio; cumque nec cum superioribus cohaereret, ut in quibus idem, et quidem eloquentissime, diceretur, nec ad sequentia referri recte posset, in quibus quod latrare dicuntur canes, nihil ad preces istas

pertineret: si sic in omnibus scriptum esset libris, omnes mendo laborare criticis recte viderentur. Nam quod propugnans pro eâ lectione Gruterus non opus esse ait conjectore propterea, quod infra 412. legatur:

Hecate triformis, en ades coeptis favens

(quo tamen loco Nic. Heinsius: *eja* ades, sed frustra): hoc argumentum cujusmodi sit, nemo non videt; neque vel locum eum vel tam tritam rem nescivisse existimandus Delrius, sed reposuisse *favet*, ut arguto latratu canum agnovisse favorem deae Hippolytus intelligeretur, quemadmodum ipsius adventu Nutrix infra 424. Eam igitur conjecturam, quam recte explicat Farnabius, et in ordinem Gronovius recepit, τῷ *fave* nos quoque praetulissemus, si in aliquo libro vetere inveniretur, sicut in Aldi *faves*. Nam si Flor. habuisset, profecto, ut in re controversâ, monuissent Gronovii. Accivi igitur potius id, cui subsidium esset codex vetustus.

88. *Tenuere.* Tenere solent, ut passim praeterita. Cf. infra 511, 540, 772, H. O. 1600.

89. Flor.: *peruius rostris*, quod fuit fortasse pervils r. Sed nihil muto.

98. Haud deterius foret Pudor*ve*, quemadmodum *ve* et *que* particulas misceri in libris constat.

107. Flor.: *choros*, pro *choro* arbitror cum Gronovio. Vel hoc reponendum fuerit, vel potius sequente versu *consciam facem:* nam quis ferat tot simul s litteras finales: — ar*as*, A. m. chor*is*, J. taci*tis* consci*as* sacr*is* fac*es*; N. a. cast*is* precib*us* etc.? Non tam inelegantem novimus Senecam.

113. Ult.: quid*ve* furens, minime male, si versus ferret. An fuit: quidve amas saltus furens?

126. *sui suasque.* Putidum polyptoton. Quare malim: Martis *feri* Suasque. Saepissime confusa *ferus* et *suus* in codd. Vidd. Nasonis interpp. ad Metam., nosque in Vindiciis Ovidianis.

141. Vulgo: *Obstare primum est* etc. „Sed," inquit Gron., „legendum cum optimo: *Non ista primum est velle.* Aut, ut ex hoc conjicit Nic. Heinsius: *Honesta primum est velle.* nam et infra versu 599. (*Honesta quaedam scelera*) codex idem: *Non ista quaedam.*" Nihil frequentius H et N, e et i, litteris inter se commutatis. Vidd. Ovidius Met. 11, 494, Muret. V. L. 18, 9, nos ad Plauti Capt. 812. Men. prol. 74. Trin. 786. Vulgatae lectioni nimis similia, quae paulo ante legimus: *Quisquis in primo obstitit.* Quam primam auctoris manum puto, et Florentini alteram emendatam.

142. Gruterus: „Si quid mutandum, potius legerim:

Obstare primum est, velle nec labi viâ.
Pudor est secundus, nosse peccati modum:

ut vocetur *pudor secundus* notae quidem non primariae, verum tamen haud postremae. Quippe *Sanatibus idem jus, quod fortibus.* Sic Cato cap. 1. de Re Rust. vocat *praedium primum*, quod bonitate eximium; et Terentius Eunucho *puellam primam* formae excellentis; *panemque secundum* Horatius bonitatis translatitiae. Pensitate quoque Plautus Poenulo Actu 1. sc. 2.;

— — — primum prima salva sis;
Et secunda tu secundo salve in pretio; tertia
Salve extra pretium.

Notae quoque histrionum *partes primae, secundae, tertiae.* Ceterum sciendum, MSS. omnes custodire *peccandi modum*: ideoque haud id etiam ausum mutare in *peccati.*" Conjectura ista Delrii, tentantis frustra: *Pudor est secundum, et nosse peccati modum.* Fern.: P. e. secundus. *nosce* peccandi m., quemadmodum o et s litterae confundi solent.

151. Vulgo: — *pater, Latere* etc. Sed signo interrogandi distinguendum post *pater*, ut in verbis *Quid ille* intelligatur *agit*, vel quiddam simile. Usitatissima haec loquendi forma, de quâ cf. 156 seqq., Oed. 307, nos ad Plauti Aul. 137.; neque huc pertinet illud *Quid?* sermonem ordientium, de quo nos alibi in his notis. Vid. index.

163. Plerique omnes libri: *consciae mentis pavor;* Flor. Delriani et edd. primae etiam: *conscius.* Sed recte Gruterus: consciae *noctis* pavor, quae scriptura trium minimum MSS. et Scholiastae Palat., item Aldinae editionis, quia statim sequitur de *animo.* Addi poterat, adulteriorum ac stuprorum *consciam* fere *noctem* esse, non diem (vid. Delr. ad 407), ut pavorem in ipso admittendo furto illicito dixerit poëta. Quod aptissimum. Sic *consciam diem* habes Oedip. 1001. Quid ad haec Gronovius? Nempe hoc: *conscium* (propendet enim in lectionem *conscius*) *conscium* igitur *pavorem mentis* esse trepidam et paventem conscientiam, quomodo legatur in Juvenali: *quos diri conscia facti Mens habet attonitos.* Quasi id Gruterus nescivisset, quod nemo potest.

168. *et vagi campis Getae.* Ita Flor. Voss. Ultraj., variatâ oratione. Vulgo: *vagus* c. *Geta.* Notat alibi parem mutationem Jacob. Gronovius in schedis Dietz., velut Thyest. 631. Med. 711.

170. *castificâ* mente. Amans ejusmodi adjectivorum Noster. Herc. fur. 58:

— — *superbificâ* manu
Atrum per urbes ducit Argolicas canem.

102:

— — *luctificâ* manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem.

902: Belligera Pallas, cujus in laevâ ciet
Aegis feroces ore *saxifico* minas.

Cf. Herc. fur. 58, Hipp. 996, Oedip. 3, ubi vid. Gronovius.

176. *Prodigia toties orbis insueta audiet.* Cajet.: *audient*, minime ineleganter; sed scatet ista editio vitiis typographicis. Ceterum vett. libri ubique fere *totiens*, vel *tociens*, *quotiens*, *conjunx* etc.

180. *Remeatque.* Subaudiendum ex superioribus: *in praeceps*; quasi dicas: animus in praeceps it reditque, frustra appetitis sanis consiliis.

184. cf. Misc. Obss. nov. T. 1. p. 133.

185. Ita Flor. „Vividius," inquit Gron. Et recte. Sed cur tamen servavit olim vulgatum *Quod ratio poscit, vicit* (edd. vett. Ultraj. etc.: vincit) a. r. f.? *Quid* et *Quod* quâvis paginâ miscentur in codd. *Poscit* pro *Possit* scriptum, ut *Nosce* pro *Nosse* supra 142.

186. Sic Ascens., quae lectio quanto potior est vulgatâ:
*Potens*que totâ mente dominatur deus.
Hic volucer omni *regnat* in terrâ *potens* etc.

nam *regnat* quoque hic codd. tralatitii, sed Flor. *pollet.*

187. *Laesumque.* Sic Flor. Voss. Ultraj. Vulgo: *Ipsumque*; sed sequitur 192: *Ipsumque* Phoebum. Gronovius: „An *pollet in terrâ nocens*? Cui bene succedit *Laesumque*." Non arbitror, sed vel *laesum* ab effectu dici Jovem existimo, vel reponendum *Laesusque*. Sic laesum ab Apolline Cupidinem Daphnes amore illum inflammare fingit Ovidius Met. 1, 452. Incertus poëta Anthol. Palat. ab Jacobsio edit. vol. 2. pag. 38:

*Ὁ Ζεὺς πρὸς τὸν Ἔρωτα· Βέλη τὰ σὰ πάντ' ἀφελοῦμαι.*
*Χὠ πτανός· Βρόντα, καὶ πάλι κύκνος ἔσῃ.*

Non semel autem confusae in libris s et m litterae finales. Mox mire Ultraj.: igne tam *prono* calet. Et paulo post idem: et *terris* gravis.

196. *favens.* Flor., aliquot codd. Raphelengii et Cruserianus apud Pontanum: *furens*; sed nimium hic *furoris*: cf. 179, 185, 191, 198. Male quoque Delrius, Scriverius, Gronovius, Schroederus denique: *Amorem* in personâ, quae deum esse negat Cupidinem, ut Seneca ille Octav. 559 seqq.

198. *Titulum furori numinis falsi addidit.* Mogunt. inter lineas: *dedit.* Sed nihil opus. Vid. Gron. ad Herc. fur. 1237.

203. *adscivit.* Mogunt.: *accivit.* Ultraj.: *astruit*, quod fuerit *adstruxit.*

208.:

—— non placent suetae *dapes*,
Non tecta sani moris, aut vilis *cibus.*

Verborum *dapes* et *cibus* alterum ab altero excludi senserunt Grut.

et Gron. Libri nihil variant, nisi quod Flor.: aut *ullus* cibus. Legendum conjicit Gron.: *aut humilis* vel *vilis torus.* Sententiam perspexit, verbum non est assecutus. Legendum puto secundum Jacobum Gronovium in schedis Dietz., quas penes me habeo:

— — — non placent suetae dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis *scyphus.*

*Vili* scypho (*faginum* Tibullus dixit El. 1, 11, 8.) pretiosa pocula opponit, quibus parandis delectabantur divites; simulque perstringit lautiores eorum epulas, aedes ingentes, et sumtuosam suppellectilem: nam haec quidem significatur scypho; quod propterea moneo, ne quis ejus mentionem non statim post dapium fieri miretur. Infra 518:

— *Regios luxus* procul
Est impetus fugisse. *Sollicito bibant*
*Auro superbi.* Quam juvat nudâ manu
Captasse fontem!

Sed quaenam hujus mendi origo? Eam quoque, ut similium multorum, a scripturâ continuâ repetendam puto, scribentibus primum librariis, uno s omisso, *viliscyphus*, deinde *vilis ciphus*, *vilis cipus*, *vilis cibus*, quemadmodum i et y, itemque ph p et b confundi norunt, qui libros veteres MSS. Quod *sitis* quoque reponi posse existimabat Jacobus noster, eodem, ut ait, ordine, quo Thyest. 453., fugit eum ratio.

219. Sic Flor. et Ultraj. Id est: Amoris regnum in me summum arbitror, et cui cetera debeant concedere. Oct. 952:

Quid, cui licuit *regnum in coelum*
Sperans, parens tanta Neronis?

Vulgo, parum perspicuâ sententiâ:

Amoris in me maximum regnum *fero.*

225. Duo MSS. Palatt. et Schol., item edd. vett., cum ab Aldinâ discesseris: *inveniet*, quod vel metro arguitur. Gron.: „Cave," inquit, „detrimento sensus legi censeas *invenit.* Immo elegantius pro futuro sic praesens tempus ponitur eodem, nisi quod efficaciore, sensu. Sic Medea: *Fugimus, Iason, fugimus: hoc non est novum.* Vult dicere, *Fugiemusne?* Phoenissis: *Si moreris, antecedo: si vivis, sequor.*" Recte defendit lectionem cum optimorum librorum, tum et longe numero plurium. Ceterum *invenit* non pro futuro tantum est h. l., sed praeteriti quoque vicem sustinet, significatque in genere id, quod *solet. Invenerat* negatas istas ad Tartarum Theseus vias: ergo easdem etiam retro inventurum illum sperat mulier. Frequentissimum eâ potestate praesens.

231. Delrius: „Singulares," inquit, „sunt Lugdunenses, qui:

*foemineum nomen.* nosse velim, unde id acceperint; alioquin non placet." Acceperunt autem ab Ascensio.

249. *teque ipsa adjuva.* Male vulgatae: *ipsam.* *Ipsa* sibi opem ferre jubetur Phaedra, non *ipsi* sibi. Illud dignum magno animo, quali esse vult eam nutrix; hoc additum tantum abest ut sententiam juvet, ut eam oneret deturpetque.

261. Vulgo: *Pro, castitatis vindicem armemus manum.* Id est: *Proh, castitatis* etc. quemadmodum in plerisque libris vett. legitur. Ultraj. etiam *Proch*, more librariorum ch pro h nonnunquam scribentium. Ald. eodem sensu: *Prò cast.* Sed aliena ista interjectio, cujus locum *Age* vel simile quiddam rectius occuparet. Id incommodum persentiens haud dubie Lipsius emendabat *Pro castitate*, „perspicuâ sententia," inquit Delrius. At Scaliger, ut est arrogans: „Male corrigunt *Pro castitate*, quod non magis Latinum est, quam si priore modo legas. Lege bonâ fide: *Procacitatis vindicem armemus manum.* τῆς ἀσελγείας. Quid verius?" Bona verba, quaeso! Et latinum est illud Lipsii *Pro castitate*, et carere possumus tam violentâ medicinâ. Neque id latuit Gruterum, qui tamen, editionem nescio quam veterrimam (nam Ald., in quâ sic legitur, non est in veterrimis) et Fabricianam secutus, Nutrici haec tribuit, nec nolit legi:

NUT. Proh castitatis vindicem! armemus manum.
Sic te senectus etc.

„ut anus;" inquit, „simulatque viderit Phaedram obsinatam mori, constituerit ei obviam ire argumentis persuasionum; dicatur autem *armare manum*, quae obfirmatae congreditur obfirmata, non cessura vel datura manum. Lucretius lib. II.: — *acri Judicio perpende, et si tibi vera videtur, Dede manus; aut, si falsa est, accingere contra.*" Haec tam longe repetita fieri non potuit quin displicerent perspicaci Gronovio; neque magis vel eum Lipsius ad quietem dedit, vel in commento Scaligeri acquievit; sed adscitâ Florentini cod. lectione *Proin* castitatis inserendum hunc versum conjicit post 267., ad eumque locum sic scribit: „Nolo me esse temerarium, aut mea sensa pro sensis Senecae legi: sed si quis haberet liber vetus, valde probarem: PH. *Ad vitam honesta facile revocari potest.* *Prohibere ratio nulla moriturum* (voluit haud dubie *periturum*) *valet*, *Ubi, qui mori constituit, et debet mori. Proin castitatis vindicem armemus manum.* Matrona, inquit, cui constat suus pudor, si incidat causa, cur mori velit, facile admittit blandimenta vitae. Exemplo sunt Plancina Pisonis, et melior Senecae Paullina apud Tacitum. At si ille, vel si vir sit, qui constituit mori, ob susceptum facinus etiam dignus est morte, quae ratio possit eum retinere in vita? Sequitur commodissime *Proin castitatis.* Talis quum ego sim meo ipsius ju-

dicio,' quid restat, nisi ut manum adversus me armem?" Vide, quantas turbas dederit una littera, male adjecta! Nam *vindice* pro *vindicem* reposueris, nihil praeterea mutandum erit, sententiaque optima existet haec, armatum ire Phaedram manum suam *pro* vindice, id est *tanquam* vindicem, castitatis. Sic Tacitus Ann. 14, 48. *pro testimonio* pro *ut testis;* sic passim alii similia, ut exemplis proferendis supersedere, utpote in re notissimâ, posse videar. Et huc pertinere putem etiam Florentini istud *Proin*, sed longe id aliâ, ac vulgo, ratione explicandum. Scilicet perscriptum fuisse videtur inter lineas autographi *in*, ut intelligeretur *in vindicem*, quomodo *hederas legere in thyrsos* apud Propertium et ejusmodi plura alibi leguntur. Id vocabulum Florentinus librarius minime indoctus ibi cum conspexisset, longeque id melius sententiae convenire arbitratus esset quam *Pro*, quod jam exaraverat, quia sequeretur *vindicem*, non *vindice*, haud quidem delendum τὸ *Pro* censuit, ne liturâ foedaretur codex, sed appinxit rectius sibi visum *in*, quod deinde in unum verbum cum illo conflatum est. Attigi hunc morem descriptorum atque ipsorum fortasse auctorum ad Herc. fur. 1064 et infra ad 280 seqq. Abjecto igitur consilio vel interstringendi sibi gulam laqueo, vel ex arce Cecropiâ se praecipitandi, Phaedra gladio armatum it manum pro castitatis vindice; et nunc quidem retenta a nutrice, post tamen revera id mortis genus eligit.

265. Hic quoque versus crux, quae dicitur, interpretum. Nam neque numeri bene procedunt, et ineptum est dicere, non facile quemquam ad vitam revocari posse, quae vulgo rerum omnium carissima est. Atque versui quidem prospicit Gronovius, dum vel legi jubet *Haud facile quisquam a morte revocari potest*, vel *H. f. cuiquam vita r. p.* Nam quae ejus posui in superiore notâ, harioli sunt, non justi veterum auctorum emendatoris; neque id ipse Gronovius, intelligentissimus, ut erat, harum rerum, diffitebatur. Sed quid fiet sententiâ? Ejus causâ reponendum censeo, immissâ personâ Phaedrae:

PH. At facile cuiquam vita revocari potest;
Prohibere ratio nulla periturum potest,
Ubi, qui mori constituit, et debet mori.

Recte Phaedra quemquam, i. e. τὸν τυχόντα, hominem vulgarem, mobilem atque inconstantem, revocari facile posse dicit ad vitam; nullam autem esse rationem, cur prohibeamus periturum aliquem, i. e. eum, cui stet velle se ex vitâ excedere, quominus id faciat, siquidem, qui mori constituerit, idem dignus sit morte; fere ut Gronovius hos duos versus interpretatur in superioribus. Sic *At* inferri solet in occupationibus, pro quo *Aut* vel *Haut* non semel propinaverunt nobis descriptores. Ceterum *Ubi, qui m. c.* Flor., ut legen-

dum esse viderat Grotius: nam vulgo libri, in his Ultraj. et Fern.: *Ubi quis.*

271. Vulgo: *Pejus merenti melior, et pejor bono.* Sed Ultraj.: *ac* pejor bono, quod haud dubie fuit *at* p. b. Certe hoc *et* vulgato praestat, et hae voculae saepius confusae, velut infra 604 Ult. Fern. et Caj.: Vis magna vocem emittit, *et* major tenet, ubi recte ceteri libri: *at* m. t.

277. *Impotens.* Id est nimis potens, ut monet Delrius secundum Nonium et Donatum ad Terentii Andr. act. 5., quomodo apud Ovidium dicatur *indurus* pro praedurus, et apud Lucretium *invalidus* pro validissimus. Recte quidem ille, nec opus Ascensiano *Impotens*, praesertim in scriptore recentiore.

280—283.

> Labitur totas furor in *medullas*,
> Igne furtivo populante venas.
> Non habet latam data plaga frontem,
> Sed vorat tectas penitus *medullas*.

Quis non agnoscat διττογραφίαν? Adeo res mihi videtur manifesta, ut mirer, codices nihil variare, nisi quod versus *Non habet* omissus est in Moguntiaco. Sed prius distichon potius eliminandum, ut cujus sententia minus sibi constet, proprie et μεταφορικῶς dicta miscens, cum posterius in unâ, eâque novâ, imagine totum occupetur, et quam apte ad superiora referas. Uncinis igitur inclusi primam, me judice, poëtae manum, cui adscripta altera est, ut solent imperfectioribus emendata. Cf. notata supra ad 261 circa finem.

290. *Semper errantes colonos*, id est nunquam occidentes huic orbis terrarum parti, vocat ursam et arctophylacem, sive Callistonem et filium ejus Arcadem, qui in stellas missi, tanquam coloni, sunt a Jove. Vid. Hygini Astronom. poët. 2, 4.

302. Candidas *ales* modo movit *alas.* Polyptoton, quod mireris placuisse Senecae, cum ultro se hoc vel ejusmodi aliquid offerret:

> Candidas pennas modo movit ales.

Sed ita interdum, more Ovidii, similia captat ineptitque. Sequ. versu Ultraj.: *Pulchrior voce.*

306. Bene Gronovius: „*Perque fraternos, mala regna*] Sic sequiores, e quibus octo Gruteri cum Scholiaste illo, qui: *propter tempestates.* Flor. Lips. Mog. inter lineas et primae edd. (etiam Fern.) *nova regna*, quod etsi aliis arrideat, mihi tamen coactius videtur, inquit Gruterus: neque enim tunc Jupiter mari dominabatur, cum id tauri forma tranabat, aut, si dominabatur, plus quam precario. At mihi nihil obsequentius, mollius, suavius videtur. Primum Jupiter, ubicunque est, regnat, et sive frater, sive quis alius

deorum hospitem expertus est, dominum in regna recepit. Dein annon regnabat, cui sternebantur et procumbebant undae, adspirabant venti, Neptunus tridentem et fractum gurgitem Aegon submittebant, Nereïdes et Tritones venerabundi adsultantes comitantesque hymenaeum canebant, denique serviebant omnia *domito*, ut ait, *profundo?*"

320. Vulgo: smaragdos. Vidd. interpp. ad Tibull. 1, 1, 51.

326. Vulgo: *ditisque ferax Lydia regni.* Mendose. Gronovius: „Florentinus: *Vidit Perses*" (sed Ascens.: *Persis*) „*ditique ferax Lydia regno.* Codici olim Grotiano adscriptum erat *ditisque ferax Lydia arenae.*" Ex illo facile erui *ditique ferox Lydia regno*, ut persona sit h. l. Lydia, quemadmodum Asis terra apud Aeschylum in Persis, quam elatam fingit regno suo divite propter fluvios, auri ramenta volventes, Hermum et Pactolum. Vidd. interpp. ad Herc. Oet. 624. Sequente versu Flor. et Delrii liber: *rejecta.*

333. Flor., ut olim Lipsianus: C. a., *quaeque per ipsum Candida mundum.* Lipsius: „Interpolarunt," inquit, „ii, quibus *Mundum* ἁπλῶς pro Coelo dici, novum erat." Audio, sed friget *ipsum.*

335. Vulgo: *Haec* regna tenet etc., sicut eae voculae confundi solent. Vid. ad Phoeniss. 614. Pincianus liber apud Delrium et edd. Fern. Caj.: *Hic*, quo quidem τὸ *Hâc* interpretati sunt.

340. Nonnulli codd., in his Flor., melior Vossianus, et Traject. apud Schroederum:

Venere instinctus suscipit audax  
Grege pro toto bella juvencus.

Pro quâ lectione propugnat Gronovius; sed mihi non magis placet quam Grutero, qui cum aurium eam judicio damnat, non sibilantem modo priorem versum vituperare mihi videtur, sed etiam eosdem utriusque numeros,

∪ ∪ — — — | — ∪ ∪ — —,

qui taedium lectori creant, cum vulgata variatos et sonos habeat et numeros, qui quidem tales sunt:

∪ ∪ — — — | — — ∪ ∪ —  
∪ ∪ — — — | — ∪ ∪ — —.

Mox Fern. quoque: *Et mugitus dant, concepti* etc. Vid. Delr.

348. Vulgo, collidentibus duplicibus consonis: Aper, et toto *est spumeus* ore. Sequente versu Ultraj.: P. q. terga l.

357. *Quid plura canam?* Haec verba absunt Florentino, ut monet Jac. Gron. in schedis Dietz. Ceterum Ultraj., ut vulgus librorum, perperam ista dividit in hunc modum:

Murmure saevo. amat insani  
Bellua — — — boves.  
Vind. — — — sibi.

Nihil — — — perit,
Cum — — — cedunt
Ignibus — — — canam?
Vicit — — — novercas.

Primus, puto, Scriverius, hiatu in verbis *saevo. amat* offensus, in receptum nunc ordinem digessit. Quam veniam ut damus in hoc genere, ita et nobis petimus. Vide ad 42, 968, Herc. fur. 173.

365. Ultraj. quoque: *lassae*, ut Flor., sed recte vulgatum defendit atque explicat Gronovius, comparans aliorum *oculos* seu *vultus cadentes*, *malas labentes* apud Suetonium de Augusto etc. Passim mixta haec vocabula.

366. *Nihil.* Ita Ultraj., quo numeri versus eriguntur. Vulgo *Nil.*

374. Mire idem codex, ut ed. Cajet.: nulla jam *cedis* subit; cum scholio: mortis. Mox Fern.: Jam viribus *deserta.* Vidd. interpp. ad Phaedri Fab. 1, 21, 3. Ald.: *defoeta.*

385. Ultraj. quoque et Fern.: regiae fastigia *domus*, quod non erat cur miraretur Lovaniensis: est merum glossema. Sequente versu Fern.: sedis *oneratae.* Voluit, opinor, *ornatae;* sed eo non opus.

392. *Cervix monili vacua.* Subintell. *est.* Monile ipsa solverat rejeceratque. Jam lapides pretiosos afferri vetat.

400. Frustra Grotius et Gron.: Talis, relictis etc. Optime sibi respondent *Qualis*, *Talis.*

402. *Tanaitis.* Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „Fort.: *Bisaltis*, vel *Tauritis.* Hippol. 906. (an Taurus Scythes. Cf. supra 169). Bisaltiam partem esse Thraciae, apparet ex Valesio ad Harpocrat. pag. 141.“ Fern. quoque et Cajet.: *Tanais*, aut M., ut Ultraj. codex et Gronovii, qui recte: „Vossianus,“ inquit, „*Tanaitis aut Maeotis.* Ut, quemadmodum in universum se jactabant (Amazones) Martis filias, ita haec praedicetur quasi Nympha et filia Tanais aut Maeotidos. *Aut certe, ex urbe Tanai vel populis Μαιώταις oriunda.* Strabo lib. II.: Ἐπὶ δὲ τῷ ποταμῷ καὶ τῇ λίμνῃ πόλις ὁμώνυμος κεῖται Τάναϊς τῶν τὸν Βόσπορον ἐχόντων Ἑλλήνων. νεωστὶ μὲν οὖν ἐξεπόρθησεν αὐτὴν Πολέμων ὁ βασιλεὺς ἀπειθοῦσαν. Hoc teneamus. Sic *Memphitides puellae.*“

421. sequ. Flor.: *alternâ vice*, quocum Gron. comparat illud in Medeâ:

Nitidusque certas mundus evolvet *vices.*

Sequente versu Nic. Heinsius: „Scribe,“ inquit, „*eia ades.*“ Sed latissime patet *en* adverbii potestas, τοῦ *eja* arctioribus limitibus circumscripta est.

416. Hunc versum superiori anteponit Ultraj.; qui male: *Difficiles aures.* Fern. et Cajet.: Det *faciles* aures. Fortasse fuit *Faciles det aures*, quod vulgato non deterius.

417. *Innecte.* Istud *Inverte*, quod etiam Gruteri quidam liber habebat MS., editionum non Basileensis anni 1629, sed prima ostendit Aldi, ex quâ et illa et aliae sequiores plurima adsciverunt. Sed, ut alibi jam monui, Aldinam Delrius non usurpavit. Ceterum vulgo omnes: Sic te lucidi *vultus* ferunt, quod quid sibi velit, scio cum ignarissimis: nam quis audiat interpretantes: Sic lucida fulgeas, precor etc.? Novi haec et similia, *Dare classibus austros*, sed ut vultus *ferre* dicamus, non *ferri*, id quidem plus quam ὑπαλλακτικόν. Quomodo qui locutus sit, dum quis proferat auctorem idoneum, interim legam: Sic te lucidi *currus* ferant. Currus Dianae lucidos, candidos, nitidos, quis non dixit? Cf. vel Nostrum supra 311, infra 788. At, inquiat quispiam, hoc ipso loco, quem laudas, legitur de Dianâ:

Et nuper rubuit, nullaque *lucidis*
Nubes sordidior *vultibus* obstitit.

Respondeo, *lucidos* deae *vultus* recte ibi dici, unde huc primum, ut fit, transscripti inter lineas, mox in ipsum ordinem recepti esse videantur.

424. Cf. supra 82. cum notâ. Ceterum edd. quoque Fern. Caj. Ascens.: *favet*, ut plerique omnes codd. Gruteri et Delrii. Nihilominus ineptum est.

429. *Audire* etiam Fern.; Ascens. *Adire*. Cf. Delr.

439. Ascens.: — *tui. Quid te ipse poenis gravibus infestus domas?* Et similiter legendum conjecit Nic. Heinsius: — *tui. Quo te ipse* p. g. i. d.? Sed recte se habet vulgata lectio.

445. *noctibus festis facem Attolle.* Bene Gron. „*Motus* illi *festi* non sunt ab auctore. Liber optimus cum Lipsiano: *noctibus* festis. Et sunt non Triviae," (ut Lipsio placuerat), „non Eleusiniae matri" (ut Dan. Heinsio), „sed Como, Baccho, Veneri et hujusmodi lepidis diis sacratae. Comissantes adhibuisse pueros, qui funali praelucerent, notissimum est" etc.

450. Vulgo: Nunc *luxus* rape. Rectissime item Gron.: „Immo *lusus*, quod vitium etiam in Livio animadvertimus. Flor. *cursus*. *Rape*, ut Trogus in oratione Mithridatis: *rapienda incrementa vitium.*" Saepissime autem s et x litterae inter se commutatae deprehenduntur a librariis, velut Metam. Ovid. 1, 43 *Juxit* pro Jussit legitur in libro MS., qui adservatur in bibliothecâ Academiae Berolinensis, et rursus in eodem paulò post *Vis* nunc obsistitur illis, *Vis* ita limitibus pro Vix etc. Cf. Taubm. ad Plauti Trin. 3, 3, 90. Noster Agam. 327:

Nil acre velim magnumque modis
Intonet altis; sed quale soles
Leviore lyrâ flectere carmen
Simplex, *lusus* cum docta tuos
Musa recenset.

Naso Epist. ex Pont. 1, 4, 4:

Nec, juveni *lusus* qui placuere, placent.

*Lusus* h. l. alter Traject. apud Schroederum, quo Gronovii emendatio firmatur.

455. Vix usquam *necare* legitur μεταφορικῶς, saepe *enicare*. Terentius Andr. 4, 1, 36: *Cur me enicas?* Ubi Donatus recte: Excrucias. Quare malim:

Quid te coërcens enicas rectam indolem?

i. e. Quid te enicas, coërcens rectam indolem? Mox Ultraject.: *vegeta libertas agit*.

466.

Et | saeva | bella | Marte | sanguineo gerunt.

Numeri pravi: vid. ad Herc. fur. 592. An fuit: Et saeva Marti bella sanguineo gerunt? *Marti*, auctore Marte, vel in ejus honorem, quia bellis praeest et gaudet. Cf. 551.

497. Sic Ultraj. Fern. et Caj., quod concinnius vulgatâ lectione, quam primus, opinor, Aldus protulit, hâc: — *pavet. Haud verba fingit*.

505. Ultraj. quoque et Fern.: corpus *eliso* fovet. Ortelian. apud Raphel.: corpus *in rivo* f. Mogunt.: L. *juncto* c. I. f.

508. Ita vett. edd., cum ab Aldi discesseris, quae *pelluoet*, ut vulgo. Sequente versu *hic*, non heic, vett. edd., et sic semper, haud scio an magis ex more argenteae, quae dicitur, latinitatis.

510. *Ramique* — Vetereseque *fagi*. Videtur esse ἓν διὰ δυοῖν, sed parum placet, ut haud invitus reposuerim: *Ornique* ventis etc. Sequente versu *juvit* valet ἀορίστως, ut idem sit ac *juvare solet*. Vidd. Vechneri Hellenolex. 1, 2, 14, 3, nos ad 88 et Plauti Stich. 717. Mox Fern.: *Def*fundit undas, et 519. cum Flor. Ultraj. Caj. et Ascens.: Sollicito *bibunt* etc.

540. Vulgo: deder*ant*. Etsi usurpatur nonnunquam, praesertim apud vetustiores, plusquamperfectum pro perfecto, quâ de re vide nos ad Oedip. 811 et Plauti Amph. prolog. 81: tamen non convenit, in eâdem sententiâ nunc poni perfectum (*Pavere*), nunc plusquamperfectum; nec silvae herbas, fraga, poma et id genus alia priscis illis hominibus deder*ant*, tanquam id, quo semel dato defungaris, quemadmodum semel aggere et turri cinguntur urbes (533), semel ferum portae balistis franguntur (536), semel in antra te conferas,

quibus pro domibus utaris (540); sed *dederunt* istas opes suas nativas, id est dare solebant. Reponendum igitur perfectum, cujus loco, suppositum a descriptoribus, haud raro legitur plusquamperfectum, praesertim si cui melius quam illud congruere visum esset metro. Quanquam et forte id accidit nonnunquam, ut fieri facillime potuit in tantâ u et a litterarum similitudine. Vidd. J. Livinejus ad Propert. 3, 10, 65, nos ad Plauti Mil. 11.

559. *Mitius nil est feris.* Hoc verbo totius humani generis notatur crudelitas, quam tantam tamque abominabilem esse dicit tragicus, ut jam mitius nihil videatur quam ferae; cumque homines scelerati omnes sint, duces tamen malorum esse feminas, scelerumque pessimas inventrices. Haec non explicanda mihi putassem, nisi adhaerescere ad ea viderem viros eruditissimos. Ceterum Ultraj.: M. nihil e. f. Mox autem Flor., teste Jac. Gronovio in schedis Dietz.: cujus *incesti* stupris, ex quo ille faciebat: c. incestis stupris. Tantundem est.

563. *Et versa.* Sic non solum Eguian., ut putabat Delrius, sed Ascens. quoque et Ald. Statim plerique Pall. Flor. et Ultraj.: *Medea reddet*, male quidem.

574. *feminae.* Videri potest genitivus; quae ambiguitas ut tollatur, haud nolim legi *feminis.* Sic supra 564:

— — — sola conjux Aegeï
Medea reddit *feminas* dirum genus.

Et mox:

Solamen unum matris amissae fero,
Odisse quod jam *feminas* omnes licet.

589. Perperam Ultraj. et Fern.: *alumnus.*

590. *Excideram mihi* dictum videtur pro eo, quod est, deliquium animi pati. Vid. Nic. Heins. ad Ovid. Rem. Amor. 548.

592. Vulgo haec Phaedrae tribuuntur, indecore et Hippolyto et Nutrice ad gravem Phaedrae quaestionem obmutescentibus. Recte itaque Lipsius, qui juveni assignavit. Cui obloquens, more suo, Lovaniensis: „Mihi," inquit, „necesse non videtur, invitis libris omnibus hoc loco personas variari. Seipsam animumque suum alloquitur." At primum de libris respondeo, sic plane se haec habere in Ultrajectino Codice, cujus penes me sunt lectiones. Deinde ut subito ex odio vitae in contrarium affectum revolvatur mulier, sequentia tamen videamus. Num ea melius quam superiora hisce congruunt, si quidem a Phaedrâ dicamus pronuntiata? Minime; neque quod ibi dicit, *Aude, anime! tenta!* ad voluntatem vitae servandae pertinet, sed ad scelus tandem illud, quod meditata diu est, admittendum. Plane igitur inconveniens oratio est sub personâ Phaedrae, sub Hippolyti vel Nutricis aptissima. Adolescenti autem recte haec dare puto Lip-

sium et Ultraject. librum propterea, quod is modo complexam tenuit novercam, et prope illam restiterit, ut ex versu 600. apparet. Nutricem decebat accurrente Hippolyto recedere, ut libere cum hoc Phaedra colloqueretur. Mox idem liber: Si coepta exsequar, et: *Nam* honesta quaedam etc. quod glossatoris. 602. recurrit Herc. Oet. 485.

605. Fern. quoque, et uno quidem versu: *Vos testor omnes, coelites, hoc me nolle, quod volo.* Recte Lipsius: „Phaedra aperire amorem cupiens, vim ejus primo aperit. Et dii mihi testes, inquit, cupere me quod non cupio, velle quod nolo. sed adigit saevus et invictus ille deus. Nimium sane haec bona. Sed versus, inquies, spernit. Jam ante (ad Phoeniss. 318.) monui, inseri interdum dimidiatos versiculos, sententiâ poscente, nec sine graviorum vatum exemplo etc." Vide de hujusmodi versibus ad Thyest. 101. Scaliger sequentem se meliorum codd. vett. fidem sic ait legere: — volo, *Me nolle.* HIPP. *Cupiens aliquid effari nequit?* Sed quinam isti libri fuerint, non dicit; neque ullos fuisse puto, sed ex ipsius cerebro haec profecta. Quod cum aliis Gronovius quoque ad eam sententiam inclinat, ut interruptum ab Hippolyto censeat Phaedrae sermonem, et ab interprete aliquo adjecta verba *Me nolle:* neque erat quod novercam interpellaret modestus adolescens, et argutum oxymorum modulum glossatoris superat. Cf. 658.

620.

Muliebre non est regna tutari urbium.

Sic plerique omnes codd. MSS., in his Lipsii, Delrii, Flor. Voss. Cruser. Contra Palatini et vett. edd.: M. n. e. r. t. patris, pro quâ lectione propugnans Gruterus: „non est quidem," inquit, „muliebre tutari urbium, sed minus adhuc muliebre tutari regna patris (imo: mariti), ubi patri filius superest adultus; adde ex aliâ matre: ut ne opus quidem habeat ei cedere ob reverentiam." Hanc rationem merito sophisticam vocat Gronovius, qui tertiam profert lectionem, adscriptam a viro docto in margine codicis Voss., hanc: *tutari virûm.* Eam sive ipse excogitaverit vir ille doctus; sive in libro aliquo antiquo repererit, prorsus egregia est et ea, quam ex alterâ illâ optimorum librorum haud difficulter elicias.

636. Flor. et Ultraj.: *Satisne dixi?* Mox Fern. et Caj.: *Quidnam istud malum est?* Fuit fortasse: Quidnam istud mali est?

642. Vulgo:

— — — — Intimas saevus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Visceribus ignis mersus et venis latens,
Ut agilis altas flamma percurrit trabes.

Sed Flor.: *Intimis ferit ferus Visceribus ignis mersus*, exclusis

mediis, *τῷ ferit* autem punctis subnotato, et ad marginem perscripto *vorat.* Voluit itaque librarius: *Intimis vorat ferus* etc. Sed iambus cum a quintâ senarii regione abhorreat, servandum sane *saevus*, ceterum obtemperandum codici est, nisi quod pro *venis* rescripserim *venas*, quod referas ad *percurrit:* nam absolute *percurrere* eâ, quâ hic opus est, potestate non dicitur, dicitur *vorare*; id quod ignorans fortasse quidam adscripserit *medullas*, et versum facturus *Penitus* et reliqua e proximis petita; qui idem et 280. 281., aeque quidem bellos versiculos, nobis, opinor, fabricavit. Gronovio placuit: *Intimis saevit ferus Visceribus ignis mersus.* Grotius satis habuerat reponere *et membris latens.* Sed hoc est laterem lavare.

645. Sic Fern., quemadmodum usurpari *Nempe* solet in interrogationibus. Vulgo tamen haec affirmari putant, minus quidem apte.

652. Vulgo: Et ora *flavus* tenera tingebat *pudor.* Sed apparet, ante oculos habuisse Nostrum, cum haec scriberet, aliquam tabulam, in quâ pictus esset, et flavâ quidem caesarie, Pudor deus, quem apud Athenienses pariter ac Lacedaemonios cultum fuisse constat. Alioqui facile esset reponere Et o. *flavi* ten. t. p., quemadmodum apud Horatium est Ganymedes flavus etc. Qui protulerunt h. l. flavum *ruborem* vett. editores, supererat ut et candorem nescio quem rubrum vel nigrorem purpureum nobis propinarent. Quem putidum errorem, cum Gronovium sequi se professi essent, recoluere tamen, pro sua sapientiâ, hybridae Bipontini. Ceterum scriptos libros habere ait Delrius *pingebat.* Ipsius intelligo; quanquam sic etiam, ab Isacio Pontano adhibitus, Basini codex. De Florentino id tantum monet Gron., eum facere cum illis, qui *pudor;* nec male confert Claudiani illud in sexto Consulatu Honorii: *Cui simplex calet ore pudor*, et Laevii Auroram *pudoricolorem* apud Gellium 19, 7.

654. sequ. Vulgo, commutatis inter se *que* et *ve* particulis, quemadmodum saepe factum est in libris:

Tuae*ve* Phoebes vultus, aut Phoebi mei,
Tuus*que* potius.

656. *Cum placuit hosti.* Parrhasius Epist. 16. Lamp. Gruter. 1, 743: „De Minoë dictum puto, quem Teneus Chius auctor est, et repetit Athenaeus, inimicitias adversus Athenienses deposuisse, Theseï amore inductum: quo potius, inquit, ei Phaedram matrimonio filiam junxit: ut Phaedra dicat, Hippolytum referre Theseï vultus eos, quibus Minos captus est." Decebat ista explicatio Parrhasium *κερτίζοντα.* (vidd. Strabo lib. 10. pag. 736. edit. Almelov., Maximus Tyrius dissert. 10. etc.) Cujus commento cum calculum Commelinus adjecisset, dignus erat, cui aurem, quamvis presso nomine, velleret Scali-

ger, qui tamen ne ipse quidem recte de Antiope haec existimabat dicta potius quam de Ariadne, quam intelligendam esse, vel versus 661 et sequens sunt indicio.

658. Vulgo: — *decor, Et genitor in te totus* etc., quasi huc pertineret *τὸ refulget*, cum in Hippolyto magis quam Theseo, quo tempore Cretam olim appulerit, refulgere Phaedra dicat *incomtum* decorem. Separanda igitur haec, neque adolescentis laudi propriae admiscendus pater, sed legendum, nisi omnia me fallant, sic est:

> In te magis refulget incomtus decor.
> *Est* genitor in te totus; et torvae tamen
> Pars aliqua matris miscet ex aequo decus.

*Et* pro *est*, et contra, saepe scripsisse oscitantes librarios, secundum alios monui in Vindiciis Ovid. ad Metam. 3, 29.*) Terentius Eun. 3, 1, 9:

> Labore alieno magno partam gloriam
> Verbis saepe in se transmovet, qui sal habet,
> *Quod in te est.*

Ceterum Ultraj. quoque et Fern. Caj. Ald.: Et genitor in te *torvus*; sed Ascens. recte: *totus*, ut fere MSS., cum a Palatinis discesseris. Cf. Commel. et Delr. Mox Flor.: quácunque *siderea* poli.

668. Vett. edd., in his Fern., et sequiores nonnullae, ut Delrii: Respersa null*á la*be, numeris quidem τραγικωτέροις, sed sono insuaviore. Pessime Ascens.: R. nulla labe, intacta et innocens. Sequente versu Fern. quoque perperam: *mittor*.

671. Fern. et Caj.: *O magne* etc. Et efficax sane interjectio, ut minime reclamârim, si quis reponat: Miserere amant*em*. HIPP. O magne etc. Erratum passim in extremis vocabulorum syllabis, praesertim iis, quae per compendia scriberentur. Antoninus Liberalis fab. 23. extremâ, semper frigidum significaturus lapidem indicem: καὶ αὐτὸν, inquit, οὐκ ἐκλείπει κρύος οὐδὲ καῦμα, quae inepta sententia est, sed aptissima, si legas, οὐδὲ καύματι, ne in aestu quidem. Et ita scripsit Graeculus.

677. Vett. edd.:

> — — tuque sidereum caput,
> Radiate Titan; tu nefas stirpis tuae
> Speculare; lucem etc.

Quo offensus Gruterus, ne Sol juberetur adspicere flagitia stirpis suae, signum interrogandi immisit, ut fieret *tu nefas stirpis tuae Speculare?* id est *specularis*. Hoc Catone contenti fuerunt usque

*) Apud Lucanum quoque 3, 356 legendum puto: cum turbato jam prodita vultu Ira ducis, tandem testata *est* (non *et*) voce dolorem.

ad Gronovium, qui ex Florentino dedit, quod hodie legitur: *tuque sidereum caput Radiate, tantum ne nefas stirpis tuae Speculere, lucem merge.* „Res ipsa," inquit, „loquitur." Idque adcredere illi sequiores non dubitaverunt. At reliqua hujus lectionis ut bene habent, ita non placet in locum nominis *Titan* suffectum *tantum*, quod, ex interpretatione, puto, adscitum, facile subauditur, cum illud necessarium sit sententiae, ut intelligamus Solem dici: nam radiati capita siderea dii superi finguntur omnes, ut vel Fabri Lexicon conferenti v. Radiatus liqueat. Herc. Oet. 1518:

O decus mundi, radiate Titan!

Hoc primum. Sed illa quoque conjuncta *sidereum caput radiate* nescio quid habent ambitiosi et supervacanei. Moguntiacus codex: Speculare, *luge*, *merge*, et tenebras fuge, id est: Spec. *luce*, merge etc. Ocius rescribamus:

— — — tuque sidereum caput,
Radiate Titan, ne nefas stirpis tuae
Speculere *luci*, merge, et in tenebras fuge!

Caput mergere Oceano jubetur Sol, et in tenebras fugere, ne Phaedrae suae flagitium luce adspiciat, quomodo obvoluto capite vel adstare, vel etiam fugere solebant adspectu aliquo diro atque acerbo conterriti. Cicero Orat. 22.: Si denique pictor ille vidit, cum immolandâ Iphigeniâ *tristis* Calchas esset, *moestior* Ulysses, *moereret* Menelaus, *obvolvendum caput* Agamemnonis esse, quoniam *summum illum luctum* penicillo non posset imitari. Plautus Most. 2, 1, 75:

— — TRAN. Quin etiam illi hoc dicito,
Facturum, *ut ne etiam adspicere aedes audeat*,
*Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu*,

ad quem locum vidd. Lambinus et interpp. *Luci* potius quam *luce* excudi jussimus cum versus causa, qui sede impari spondeum amat, tum quia sic sôlent Plautus, Terentius, Cicero denique, quos imitatum puto Nostrum, a doctâ vetustate minime abhorrentem. Charisius pag. 182 Putsch.: „*Luci.* Plautus in Amphitryone (10): *Hoc luci.* ubi Sisenna: Quaecunque nomina e littera ablativo singulari terminantur, i littera finita adverbia fiunt, ut *mani.*" De commutatis inter se c et g litteris vid. ad Phoen. 363.

682. *me fige.* „Unus," inquit Gruterus, „*in me fuge*, quod alicui forte allubescet." Dii boni, adeone quemquam invenustum videri, ut tam inepta ei lectio placeat? — Ceterum *in me fige* etiam Ferr. Mogunt.: *Tu me tona*, ut Virgilius Aen. 9, 542: Tonat ore deos Erebumque.

687.

O scelere vincens omne femineum genus!

O majus ausa matre monstriferâ malum,
Genitrice pejor!

An bis idem dicitur? nisi forte aliam ob causam matre Pasiphaë pejorem Hippolytus vocat Phaedram, quam quod majus illius in se scelus admiserit. Atque aliam non habuit causam. Cave igitur dubites, interpolatum esse locum. Reliquerat, opinor, Tragicus:

O scelere vincens omne monstriferum genus!
Genitrice pejor!

In his nescio quis male sedulus primum sibi putavit explicandum, quod esset illud genus monstriferum. Perscripsit inter lineas: *femineum.* Dein declaraturus quoque, cur genitrice pejor audiret Phaedra, cum supra legisset 114:

Fatale miserae matris agnosco *malum*;

et 638 sequ.:

— — HIPP. Quodnam istud *malum* est?
PH. Quod in novercam cadere vix credas *malum*.

et infra 697:

Colchide novercâ *majus* hoc, *majus malum* est:

cito addidit: *majus ausa matre malum.* Hactenus sistat nefas: Pium est, inquam cum illo Nuncio Thyest. 744. Sed accessit alius etiam stupidior, qui τὸ *femineum* a poëtâ profectum censens fecit: *omne femineum genus*, et rursus genuinum *monstriferum* ad alterum illud interpretamentum referens mutavit, ut esset *monstriferâ*, et, praefixâ interjectione, quam in hoc ipso loco sublegisset, novus etiam, si diis placet, versus existeret, sed ingenio tali dignus, hic:

O | majus | ausa | matre | monstriferâ malum.

quem versum ex similibus judicabis, de quibus supra ad 466 et Herc. fur. 592. Quare uncinis includendum existimavi tanquam spurium.

696. Fern.: Odium *dolorque*. Profecto non deterius. Mox Ultraject. quoque et edd. Caj. Ascens. Ald.: amens *agar*. Fern.: sequar. 704. Basini codex apud Pontanum: *Prô* impudicos. In sequentibus formula *Quid hoc est*? quo pertineat, significavimus ad Thyest. 421.

719. Vulgo:

NUTR. Deprensa culpa est. animo, quid segnis stupes?
Regeramus ipsi crimen etc.

Sed Nutrix cur, quaeso, deprehensam esse dicat dominae culpam, eoque dicto dolorem impotentis feminae etiam augeat, qui sedandus potius ei est, si quidem satisfacere officio suo velit? Et fac, tam inutile verbum jactare mulierem prudentissimam, quid sequentia sibi volunt illa: *Anime, quid segnis stupes*? Estne probabile, conciliatricem vafram atque experientem in tanto herae discrimine tempus eo

terere, ut *animum compellet suum*, *segnemque stupere* agilem ministram? Minime vero, neque sic unquam personae secundarum partium. Sed postquam ense projecto se abripuit Hippolytus, Phaedra secum, pudibunda: *Doprensa culpa est, anime!* quemadmodum supra 113: *Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?* et 593: *Aude, anime! tenta! perage mandatum tuum!* et 600: *En, incipe, anime!* (Cf. Agam. 108; Oedip. 932, 951, 1023; Troad. 666; Med. 41, 883, 913, 925, 964, 976. Eurip. Med. 1243: Ἀλλ' εἶ', ὁπλίζου, καρδία etc., Gron. ad Med. 913.) At Nutrix illis dictis ubi immobilem et quasi exanimatam dolore adstare alumnam videt: „*Quid*," inquit, „*segnis stupes? Regeramus ipsi crimen* etc."

728. *abit.* Ultraj. et vett. edd.: abit. Recentiores, corrupto metro, abiit. Vid. ad Herc. fur. 49.

733. *Perferte in urbem.* „Nempe ipsam reginam, jacentem et attonitam pudore et metu," inquit Gronovius. Sed vix, et ne vix quidem, sic dici latine arbitror. Adcucurrerant famuli et cives, a Nutrice appellati. Quibus postquam breviter indicavit, quid actum sit, jam ad famulos conversa: *Hanc*, inquit, *moestam prius recreate! Crinis tractus et lacerae comae, ut sunt, remaneant, facinoris tanti notae;* et ad Athenienses: *Perferte in urbem!* id est: nunciate, ne mussantes tantum facinus ipsi non abesse a culpâ videamur. Illo quidem sensu, qui placet Gronovio, servaverim potius veterem lectionem, quam et Fern. habet, *Referte in urbem.* Sed praestat sane altera. Mox quod dedi, *omnium adspectus*, Florentino acceptum fero: nam vulgo libri, sono graviore: *omnium adspectum.*

758. *Neu.* Ita Gron. Flor. Voss. Ald. etc.: Ne. Vulgo: Nec. Mox vett. edd. verbis transpositis: N. a. vere novo prata d. 767, quod MS. Commel. et edd. Fern. Caj. etc.: *Sed* noctem, τῷ *et* s littera adhaesit ex praecedente di*es*. Scribitur autem fere *set*, non *sed*, in libris. Ceterum Flor. et Ultraj.: *noctes.* Gron. haud nolebat *praecipitant*, παθητικῶς.

768. Recte Gruterus non recipiendam censuit Lipsiani [et Flor.] codicis lectionem *folio ut lilia*, quae a glossatore male feriato profecta est; sed rursus fallitur, cum intelligendum in his censet *non sic*, quod fieri nullo modo potest. Παρενθετικῶς haec accipienda, quibus describitur caloris effectus aestivi. Et hoc assecutus est Schroederus. Sequente versu Flor. *comae* pro *rosae.* Quod tuens Jac. Gron. in schedis Dietz.: „Erant enim," inquit, „et coronae ex foliis arborum aliisque floribus, non ex rosis omnes. Oedip. 412, Agam. 362, Thyest. 945." Sed obstat ambiguum.

775. *te.* Ita Flor. et Voss.; ceteri fere MSS. et vett. edd.: *sed*, Bibian. apud Delrium *si*, quae voculae saepissime confunduntur; un-

de Gruterus legendum conjiciebat *se*, quia tempus se ipsum subruat, ideoque assimuletur serpenti caudam devoranti.

783. sequ. Ita plerique MSS., in his Pall. Eguian.; ex editis autem Herbip. Fern. et Veneti, nisi quod: Montivagive, quod minus forte. At Etruscus: — *deae*, *Panas quae Dryades montivagos petunt*, altero horum versuum in modum asclepiadeorum redacto. Accessere, qui utrumque hoc metro esse vellent. Inde Moguntiacus:

Lascivae nemorum multivagae deae
Panosque Driades montivagos petunt,

quibus similia dederunt Fabricius, Delrius et alii sequiores. Nec defuere, qui novo etiam versu ditare sibi viderentur Tragicum, velut in Aldinâ legitur:

Lascivae nemorum montivagae deae,
Montivagique Panes,
Panes quas Driadas montivagi petunt.

Haec omnia cujusmodi essent, probe intellexit Gruterus; neque erat, quod Gronovius ex iis faceret *Lascivae nemorum deae*, *Panes quas Dryades montivagi petunt*. Recte Dan. Heinsius: „Non raro," inquit, „Seneca aliis metris choriambicos dimetros catalecticos inserit; ut ecce! ultimo hujus Tragoediae choro:

*Insani Boreae minas*,
*Imbriferumque Corum*" etc.

790. Flor.: At nos soll. *numine* turbido.

791. *Trahere* verbum sollenne in re magica, ut graecum ἕλκειν. Vid. Nic. Heins. ad Ovid. Epp. 6, 88. Theocr. II, 17 sq.

799. Caj. Ascens. Ald.: *supercili*. Vid. ad Herc. fur. 49.

805. *arceas*. Flor.: audeas. Sed illud recte defenderunt Grut. et Gron. Ille etiam sequente versu: Hercul. *nam* juv. t., secundum Pall. Mogunt. et Ascens. Alioquin haec arena sine calce, nisi potius legendum putes: *Aequans* Herc. jam etc. Sed equidem in librorum lectione persto.

818. Fern.: *trepido*, non male. Herc. Oet. 708. — cor attonitum salit, Pavidumque *trepidis* palpitat *venis* jecur etc. In sequentibus cum pro vulgato *afferes* Flor. praebuisset *afferent*, neque id spernendum Gron. putavit, et recte suasit *auferent*, Martialis utens illo: *Stymphalidas astris Abstulit*. Sponsorem emendationis dabo ipsum Senecam Herc. Oet. 1654., ubi sic plane:

— — — — sive *de mediâ* voles
*Auferre volucres nube*, descendent aves,
Et certa praedae tela de coelo fluent.

Statim idem codex: secula *perspice*, quod aeque bonum atque alterum. Ultraj. autem 823:

Deformis senii limina transigat,

quemadmodum vett. edd., nisi quod *transeat*, et Fern. Caj.: *lumina* pro *limina*, frequentissimo errore. Lectionem Lips. et Flor. recte explicat Gron. Hippolytus apud Ovidium Met. 15, 531:

Vidi quoque luce carentia regna,
Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in undâ;
Nec nisi Apollineae valido medicamine prolis
Reddita vita foret. Quam postquam fortibus herbis
Atque ope Paeoniâ, Dite indignante, recepi:
Tum mihi, ne praesens augerem muneris hujus
Invidiam, densas objecit Cynthia nubes;
*Utque forem tutus, possemque impune videri,*
*Addidit aetatem, nec cognoscenda reliquit*
*Ora mihi* etc.

820. *Saecula prospice.* De Rooy spicil. crit. pag. 110. legendum censet, *S. respice.*

829. Sic duo Pall. Vulgo: regium *in* vultu, quo servato continuos versus sex habebimus iisdem caesuris:

Nefanda juveni crimina | insonti parat.
En scelera! quaerit crine | lacerato fidem,
Decus omne turbat capitis, | humectat genas;
Instruitur omnis fraude | feminea dolus.
Sed iste quisnam est, regium | in vultu decus
Gerens, et alto vertice | attollens caput?

Quod certe invenustum. Flor. versu quarto: *omni*, et mox *pallore canderent*, quod praestat vulgato *candore pallerent*. Ald. ibidem: *Nisi* languido.

831.

Ut ora juveni paria Pirithoo gerit.

Delrius, si minus germanam perspiciens lectionem, certe sententiam loci assecutus: „Herbipolensis," inquit, „et Veneti omnes: *Pirithoi.* *) Saepe multumque suspicatus fui legendum *Hippolyto*, admisso hiatu. nec despero olim aliquem id MS. confirmaturum. Sane sensus postulat. Ait enim ex Orco pallidum venisse Theseum, et in hoc Pirithoo dissimilem. atqui id utrique commune, si Pirithous remeasset. nunc nec remeavit: occisum enim a Cerbero tradunt omnes, solumque Aegeï filium ab Alcide reductum. — Et cur, quaeso, Pirithoo similem Theseum dicat? cur Pirithoum, aequalem Theseï, ejus comparatione juvenem appellet? Omnia Hippolyto conveniunt. Simillimus ille Theseo, Phaedrâ judice. sed pallidior nunc Theseus, quia ab Inferis reversus; juvenis Hippolytus, pater Theseus." Recte,

*) At plerique Pall. Delriani et Flor., alios ne commemorem, *Pirithoo.*

inquam, de sententiâ; recte item, quod nomen *Pirithoï* labefactat. Mordicus tamen id retinens Gruterus, τὸ *juveni* potius mutatum it in vocem aliquam, quae notet socium, contubernalem, amicum, vel aliquid, ut ait, adhuc conjunctius. Cui secundas faciens Gronovius: „Scribendum," inquit, „est:

Ut ora *comiti* paria Pirithoï gerit.

Hoc est ipsi Theseo, militi audacis proci. Et supra legimus: *Aderit maritus.* PH. *Nempe Pirithoï comes.*" Spectate confidentiam! nam istud *comiti* librorum scripturae dissimillimum et id, quod quomodo depravatum fuerit, nemo dicat. Aliam igitur ipse medicinam circumspiciens in hoc incidi, quod genuinum mihi videtur:

Ut ora juveni paria *perituro* gerit.

Hippolytum chorus vocat *periturum* vel propterea, quod mortem instare illi censet a novercâ; vel potius quod ipse perire cupiit supra 682 seqq.: nam hujusmodi participia non tam rem futuram saepe significant, quam rei perficiendae voluntatem. Supra 266:

Prohibere ratio nulla *periturum* potest,
Ubi, *qui mori constituit*, et debet mori.

et sic passim. En habemus Hippolytum, et quidem sine numerorum detrimento! Nam quod quispiam dicat, minus jam dignum Tragico sibi videri versum, in quem tot breves syllabae sint constipatae: si veterum aliquem Tragicorum, praesertim Graecorum, versaremus, aegre id etiam ipse ferrem, etsi haud ignoro Aeschyli illud (sed in nomine proprio) Pers. 282.:

*Ὦ πλεῖστον ἔχθος ὄνομα Σαλαμῖνος κλύειν.*

et ista Sophoclis atque Euripidis, Philoct. 1377:

*Ἀθάνατον ἀρετὴν ἔσχον, ὡς πάρεσθ' ὁρᾶν.*

Hecub. 345.

*Θάρσει· πέφευγας τὸν ἐμὸν ἱκέσιον Δία.*

Orest. 248:

*Εἰ δ' ἄλοχον ἄγεται, κακὸν ἔχων ἥκει μέγα.*

de quibus similibusque non male disputat G. Hermannus in Programmate De graecae linguae dialectis pagg. 9 seqq. Minime omnium Noster talibus abstinet, cujus haec sunt (ut in unâ tragoediâ subsistamus) supra 176:

*Prodigia toties* orbis insueta audiet.

460 seqq.:

*Effluere prohibe!* *propria* descripsit deus.
— — — —

*Laetitia juvenem*, frons decet tristis senem.
— — — —

*Ingenia melius* recta se in laudes ferunt.
— — — —

Ut damna *semper sobole repararet* novā.

— — — —

Sed rure vacuo *potitur et* aperto aethere.

et infra 1019:

Provolvitur. *Nescio quid onerato* sinu.

Non igitur metuo, ne in eo reprehendar, quod similiter hoc loco scripsi:

Ut ora juveni *paria perituro* gerit.

Superest, ut paucis ostendam, facilem esse hanc correctionem. Et primum quidem Aldus aliquantum juvat, qui non Pirithoö, sed habet *Perithoo.* Deinde notum est, nec majusculis fere litteris initialibus scribi nomina propria in codicibus, et pro t passim exaratam th, et contra, ibi deprehendi. Fecerat igitur, ut opinor, aliquis librarius *perithuro.* Id reperiens alius quispiam reddidit per compendium *perith˝o:* nam eiusmodi signo *ur* indicari ab eâ natione solet (vide Chronic. Gottwic. 1, pagg. 50 sequ.). Jamque illud accedens tertius vel male legens, vel nonnihil affectum reperiens, facile mutavit in *perithoo* seu *Pirithoo*, quod certatim arripuere sequiores.

843. Ita haec interpungenda secundum Commelini, Scaligeri, Gruteri denique libros, quos sequitur etiam Scriverius. Nihil agunt, qui aliter. Cicero Tusc. Disput. I, 12.: Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos *Cascos* appellat Ennius, *esse in morte sensum*, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret etc. In vincula conjecto sibi apud Inferos nihil superfuisse Theseus queritur praeter sensum; ceterum et viribus corporis debilitatis, neque in spem aliquam erecto animo, tanquam mortuum se jacuisse. Statim Flor.: *revulso*, quod fortius vulgato *revulsum.*

853. *Auspicia.* Ita Grotius et Gron. Libri: Hospitia, quasi domi quis suae hospes dicendus esset, nisi forte per ridiculum. Cf. infra 1147, quo loco facete dictum *sedis patriae hospitium.* Similiter, alia monstra ne commemorem, *homine* scriptum in Attii loco Astyanacte ap. Non. v. obscoenum, cum legendum sit:

Hunc auspicem fac religione exercitum morarier
Desistat, nec med ab domuitione arceat obscoeno *omine.*

859. *gravet.* Fern.: Effare aperte. quis gravat mentem dolor? quod non minus efficax et δραματικόν. Cf. infra 875, 894, Oed. 597, Tro. 979, Ag. 412. Idem liber et Caj. infra 997: Proloquere, quae sors adgravat quassam domum. Flor. Tro. 976: Cui famula *trador*, ede, quem dominum *voco?* Vide Gronovii Observatt. 4, 20.

868. Vulgo: E.? PH. *Eheu*, p. t. *sceptrum imperii.* Sed priorem syllabam brevem habet *Eheu*, ut hodie vel tirones sciunt. Dein Fern. Caj.: *sceptra*, quod elegantius vulgato *sceptrum;* et Ascens. Ald.: *imperi*, non imperii, ut vulgo. Vid. ad Herc. fur. 49.

881. Fern. quoque et Ascens.: *lacrimandum suis.* In sequentibus quod legitur, *Verbere ac vinclis anus Altrixque prodet, quidquid haec fari abnuit,* non adducor ut sincerum putem, si quidem non duae mulieres dicuntur, sed una, vetus Nutrix. Ergo debuit esse *anus altrix*, non *anus altrixque.* At illo posito claudicat posterior versus, neque vel huc faciat *reprodet*, etiamsi usitatum sit, ut *Altrixque prodet* male scriptum dicas pro *Altrix reprodet,* quomodo apud Tibullum 1, 11, 51 *e lucoque vehit* pro *e luco revehit;* vel aliud quidpiam simile invenias, quod ita corruptum esse videatur. Sanum igitur hoc existimandum, et quaerenda in superioribus est menda. Neque dubito, quin depravatum sit *τὸ anus*, et reponendum:

TH. Silere pergit: verbere ac vinclis *opus;*
Altrixque prodet, quidquid haec fari abnuit.

Sic o et a litterae interdum miscentur, ut observavi in Vindiciis Ovid. ad Met. 12, 481; *onus* autem et *opus* similiaque saepius confundi propter magnam n et p litterarum similitudinem, sciunt, quicunque scriptos usurpavere.

899. Vulgo:

Regale *parvis* asperum *signis* ebur.

Gronovius: „Circumscribere videtur, quae propriâ voce *Sigilla* dicebant." At *magnis* signis non fuisse locum in vaginâ ensis, per se intelligitur. Otiosum igitur *τὸ parvis.* Et quo tandem argumento agnoscit Theseus, *regale* hoc esse ebur, id est regalis filii, Hippolyti? num *parvis* signis, id est sigillis? Minime: nam iis et aliorum haud dubie ornatae erant vaginae. Ergo legendum, ut legi jussit Dan. Heinsius, *patriis.* (Vid. ad Tro. 594.) Nomen aliquod vel factum suae gentis incisum ebori conspicit Theseus, indeque ensem filii esse colligit. Nam *cerno* vel *intuor* intelligendum in his ex superioribus, nec cogitandum cum Gronovio de nescio quâ hypallage, quâ haec cum sequentibus jungamus ita, ut sigilla ex ebore, ornamentum peculiare regiae familiae Atheniensium, refulgere dicantur in capulo gladii; sed hic vagina ensis significatur, isto nomine vel facto ornata gentis regiae; et sequente demum versu capulo refulgere dicitur ornamentum quoddam Atheniensium, aurea fortasse cicada, ut placet Delrio, cui frustra obloquitur vir summus. Virgilius Aen. 9, 303:

— — — Humero simul exuit *ensem*
*Auratum, mirâ quem fecerat arte* Lycaon
Gnossius, atque habilem *vaginâ* aptarat *eburnâ.*

Cf. Clar. G. G. S. Köpkii librum de re militari Graecorum aevo heroïco pag. 119. Legitur autem vulgo *gentis Actaeae*, non male, nisi Flor. haberet *generis*, ut voluerit *generis Actaei*, cujus illud est

glossema, sublectum, ut opinor, infra 1148. Mox Ald. quoque: Et qui secundum in fluctibus regnum *moves*.

909. Vulgo: *Est prorsus iste gentis* etc. pravis numeris, de quibus vid. supra ad 687. Ceterum Ald. *armiferae*, ut Delriani Flor. et Voss. Mox Ultraj. et vett. edd.: *Non ulla vinctum lege* etc. metro quidem proculcato; sed fortasse fuit: *Nullâ revinctùm lege*, ut Catullus: mentem amore *revinciens*, et proprie Noster Phoen. 507: *nec suâ laetas faces Vittâ revinxit*, et Herc. Oet. 789:

Canâ *revinctus* populo horrentem comam.

De *que* in *re* mutato vid. supra ad 881.

917. *affectus graves*. Id est molestos. Ita Flor., et recte, puto, neque ei lectioni vel vulgatam praeferam hanc *adspectu grave*, vel Gronovii conjecturas *adspectus graves*, *effatus graves*. Phoen. 309: Sola tu *adfectus* potes Mollire *duros*. Agam. 224: Comprime *adfectus truces* etc.

937. *sceleribus poenas dabis*. Similiter quidem Oed. 936: *Itane tam magnis breves Poenas sceleribus solvis?* Sed aliter tamen hoc explices, nec scio an satis latine dicatur *sceleribus poenas dare* pro *scelerum*. Augent suspicionem non belle composita *frementes* et *furentes*, ubi alterum horum sufficiebat. Malim itaque:

Gelidi frementes liqueris Boreae minas
Post te, furentem sceleribus: poenas dabis.

Sic *irâ furit* Oed. 957, *bello* Phoen. 484;

*Ardore sacrae virginis* jam tum *furens*

Agam. 177 etc. Verbo *furentē τὸ s* in sequente syllabâ se agglutinasse puto.

943. Jac. Gron. in schedis Dietz.: „Flor.: *terna*, ut Herc. fur. 796." Sic et Mogunt. In fine scenae plurimi libri, etiam Fern.: *tumidos*. MS. Delr. Herbip. Ascens. Lugd.:

Fluctusque tumidos ipso ab Oceano voca.

*Tumidus* h. l. est *iratus*, ut passim alibi, nec magis alterum probo quam unius codicis Gruter. scripturam *omni* pro *ipso* vulgatorum. Et hoc et illud e glossematis videtur irrepsisse.

959. *Deûm*. Gronovii coniecturâ *rerum* jugulari versum monet Jo. Schrader Emend. praef. p. 35, laudatque Jortinum Ephemer. britann. Matii Tom. XVIII. p. 94.

964. *Cur tibi tanta est cura*. Flor., teste Jac. Gronovio ubi supra ad 943: *Cur tanta tibi c.*, sub ictu positâ voce graviore *tanta*, quod efficacius.

968—977. Ita haec digesta in edd. vett.; nam vulgò ita habent:

Nudent — arbustis
Redeant — aestivi etc.

Vid. supra ad 42. Legitur autem 972.: *Sed* cur idem etc. sententiâ refragante, siquidem in eo reprehenditur Olympi ille rector, quod idem astrorum cursus regat, hominesque prorsus negligat. Ergo simplex conjunctio requiritur, neque *sed* istud aliunde ortum puto quam ex continuâ scripturâ, in quâ τὸ *s* in *annus* cum forte geminatum esset, *annussetcur* habitum est a librariis pro *annus sed cur*, idque eo facilius, quod *set*, non *sed*, scribere solebant. Extremo cantico etiam Ultraj. in margine: *Rigatqnè.*

996. Flor. et Mogunt.: *fero*. Mox Fern. et Caj.: *adgravat*, de quo cf. supra 859, et 1000: *Nam* raptor obiit, quod fuisse dicas *Jam* r. o.

1008. Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „*tumuit.*] Agam. 408 et 469. Nicol. Heinsius (ad Claudianum): *tonuit*. Sed tonuit demum 1025: *en, totum mare Immugit*. Deinde non dicunt Graeci, prius datum esse sonitum." *Tonuit* Mogunt., et ceteri MSS., inquit Delrius; ipsius intelligo; item Ultraj. et ex vetustis edd. Ascensiana. Scriptos etiam Heinsius secutus, ita legendum censuit.

1013. Vulgo: *Nec tam furenti pontus exurgit sinu Regnante Coro*. Jacob. Gron. ibidem: „Fortasse," inquit, „N. t. f. *Ionius* e. s. Ita cum Leucate convenit. Alias Corus regnat circa Brutios: Thyest. 577. (Cf. de hoc vento) Med. 412. Agam. 506: *Sed* trunca *toto* puppis *Ionio* natat." Sane nec post speciale *Siculorum fretorum* illatum placet generale nomen *ponti*, et statim sequitur:

> Consurgit ingens *pontus* in vastum aggerem.

Malim autem:

> Nec tam *furens Ionius* exurgens *sinus*:

nam *Ionium* per se significare pontum Ionium, quemadmodum *Ionium* dicitur pro Ionio mari, non memini. Ionius sinus cum alibi legitur, tum apud Horatium in epodis.

1017. *terras*. Ita Flor. Mogunt. Ultraj. Vulgo *terram*, frequentiore litterâ mugiente. Mox vett. edd. *Epidauri*, non Epidaurii, ut vulgo. Vid. ad Herc. fur. 49.

1027. undique scopuli. Vide nos ad Plauti Aul. 108 seqq., et cf. Herc. fur. 950, Oedip. 404.

1034. Vulgo: *terras*. Mog.: *terrâ*, id est *terram*, ut unum uni opponatur. Mox *Herculea*, non *Caerulea*, septem MSS. et Schol. Pall., item Ultraj.; cujus lectionis meminerunt Bernard. et Ascensius. Et hic quidem non male explicat *tam alta ut Herculea*. Herc. fur. 70:

> — — — Subdidit mundo caput,
> Nec flexit humeros molis immensae labor,
> *Mediusque collo sedit Herculeo* polus.

De colli colore caeruleo statim dicitur, quod nec Gruterum fugit.

1040. Vulgo: *cornibus* varius color. Cujus scripturae incommodum Gron. sentiens: „Quare," inquit, „*cornibus*? Plinius lib. II. cap. 37. varios lusus naturae in his animalium armis notans colorum nullam differentiam facit. Columella in bubus et vaccis cornua requirit *nigrantia*, lib. 6. cap. 1. et 21. Itaque etsi in tam accuratâ descriptione aliquid de cornibus dici velles, dubites tamen, an hoc sit satis aptum. Et alio vocant optimae membranae, in quibus *orbibus* varius color. Quasi hic jam oculos describere incipiat, fingatque in illis et torvum illud, quam *majestatem boum* Varro vocat, et glaucum vel caeruleum, quod proprie est deorum et monstrorum maritimorum. Hoc si esset, vix appellandi mox videntur fuisse *Oculi*. An igitur ea vox ex margine irrepsit, deletâ, quam ibi Seneca posuerat? Refert lib. 9. c. 5. Tiberio principe ad littus Gallicum belluas mirae varietatis et magnitudinis ab Oceano destitutas, interque reliquas elephantos et arietes, candore tantum cornibus adsimulatis. An igitur ex hac recenti et notâ tum historiâ sumpsit Seneca de colore, quo sub undis natorum insignia cornua? et retinendum τὸ *cornibus*? Sed pro *candore* quidam codd. habent *tumore*." Ita vir praestantissimus, tangens certe ulcus, quod ne animadverterunt quidem ceteri interpretes atque editores. Quem, sententiam dum in omnes partes versat, verum non reperisse saepe miratus sum, cum praesertim id prope monstrasset Florentinus. Sane legendum *oribus*, quo nihil vel aptius ad sensum reperias, vel optimi libri similius scripturae. Quin hoc ipsum voluisse videatur librarius Etruscus, et cum forte scribere coepisset per oscitantiam, i litterâ omissâ, *orb*, animadversum vitium ut tolleret, nec tamen liturâ codicem deturparet, fecisse *orbibus*; quem morem ejus generis hominum attigi ad Herc. fur. 1343. Utut est, tenendum *oribus*, ut *oris colore* et terrestrem taurum et vitulum marinum retulisse dicatur monstrum. Non insolens autem esse *oribus*, recte monet G. J. Vossius Etymolog. lat. pag. 66. Ad quod vocabulum referenda, quae sequuntur, *hinc* flammam *vomunt* (nam sic iterum Etruscus, non *vomit*, ut vulgo), Oculi *hinc* relucent, id est: *ex ore*, quo loco Gronovius: „Videtur scribendum: *hinc flammam vomunt Oculi*, *hinc relucent caerulâ insignes notâ*." Quod hactenus probandum, ut *insignes* legamus pro *insignis*, oculosque coeruleos dici existimemus potius quam coerulam cervicem, non quo talis abhorreat a belluâ marinâ, sed quia coerulei oculi ad rem faciunt, relucentes non faciunt, ut qui nec proprii sint talis monstri, et in parte pulcritudinis numerentur. Sufficit autem ad tollendos arduos toros *opima* cervix, id est carnosa et lata. Festus: *Hostiae opimae, praecipue pingues*. Atque sic quidem haec expedita puto.

1050. *frangit*. Ita Moguntiacus et Flor. Vulgo: *reddit*, quasi reddere soleat, quodcunque sorpsit, pistrix. Imo *frangit* dentibus

et devorat. Illud Charybdi convenit. Thyest. 580:

Ac mare in portu timuere nautae,
Quod rapax *haustum revomit Charybdis.*

Nec legendum *aut* frangit, sed *ac*, propterea quod haec tantum non eodem simul fiunt tempore, ut vix distinguas. Saepissime autem *ac at aut ad et* similesque voculae confusae.

1071. Ita Flor., nec reponendum, quod suadet Gronovius, *rapidos*, cum praesertim in proximis legatur equi *rapuere* currum. Mox idem liber: nam *toto* obvius Incurrit ore. „Recte," inquit Jac. Gron. in schedis Dietz.: „nam *torvo* (quod vulgati codd. habent) ore jam occurrerat antea."

1097. Impetrare a me non potui, ut vulgatos libros sequerer, in quibus: multo *vulnere.* Significantur quidem vulnera 1094, 1096, 1098 et toto loco, ut rei convenit; sed quominus hic etiam appellata putem, obstant sequentia: Haesere bijuges *vulnere*, quae frigent, si idem, et fortius quidem (*multo* vulnere), in superioribus dicatur. Graviter jam laesa scopulis lapidibusque erant Hippolyti facies et corpus; sed *vulnus*, κατ' ἐξοχὴν sic vocandum, id est, *letale* vulnus, trunco isto arboris inflictum ei est, ut quo vulnere *ruptus* et per virgulta et stipites distractus perierit. Eam membrorum omnium lacerationem infra Theseus significat, cum dicit 1265:

Hoc quid est formâ carens
Et turpe, *multo vulnere* abruptum undique.

Ibi sublecta puto verba *multo vulnere*, et in ipso principio narrationis sine judicio posita, quae ad finem ejus pertinerent. Quoque magis ita esse existimem, Homerus facit Iliad. 22, 401 seqq., ubi non semel, sed bis terve, inculcatur, *pulvere* foedatam esse, cum ante pulcerrima fuerit, tracti ab Achille circa muros Trojae Hectoris faciem (*Τοῦ δ' ἦν ἑλκομένοιο κονίσαλος· ἀμφὶ δὲ χαῖται Κυάνεαι πίλναντο· κάρη δ' ἅπαν ἐν κονίῃσι Κεῖτο, πάρος χαρίεν. — Ὣς τοῦ μὲν κεκόνιτο κάρη ἅπαν.*); quem locum principis poetae ante oculos habuisse, ut in simillimâ re, Tragicum, prorsus mihi persuadeo. Scripserunt autem, ut opinor, gliscente depravatione *bulvere*, *vulvere*, *vulnere*, quemadmodum p b v, itemque v et n, litterae misceri solent. Sequ. v. etiam Ult. et Fern.: *per*volvunt, rotae.

1119. Male haec dantur Nuncio, quem de precibus Thesei nihil audivisse tota ipsius narratio ostendit. Chorus interloquitur, ut passim apud Hunc et, quos imitatur, Graecos: cf. 559, 1244 etc. Mox male edd. divise: *Et si* odia servas.

1140. Quae post hunc versum leguntur, uncinis a me inclusa, verba *Circa regna tonat*, ea comparent quidem in plerisque omnibus

MSS. et edd.; sed inutilitate ipsa suâ convincuntur, ut quae sensu nihil differant a superioribus istis *Metuens coelo Jupiter alto Vicina petit:* nam de altis *proprie* dictis cum ante cecinerit *Admota aetheriis culmina sedibus* et quae aequuntur, isto loco, quem significavi, *μεταφορικῶς* loquitur chorus, et *vicinis coelo* opponens *humilia plebejae domus tecta* nihil aliud vult, quam res publicas aeque ac privatas plagis patere Jovis et Fortunae. Atqui unus Palatinus ista non hoc loco habebat, sed supra post ipsa illa verba *Metuens — petit.* Quis dubitet, iis adscripta esse a glossatore? quis ferat Gruterum, ibi ponere tentantem, ubi magis etiam offendunt propter vicinitatem genuinorum, quorum explicandorum causâ adscripta sunt? Quanto rectius Chemnicensis, qui omittenda haec putavit, ut ad sententiam nihil facientia! Quem quidem exagitans tanquam interpolantem Delrius risum debet eruditis. Quare miror, emunctae naris Grotio adeo placuisse istum pannum, ut purpurae eum tragicae insueret hoc modo, cum ante oculos haberet fortasse Oedip. 523, vel Med. 863:

> Plebeja domus. Circa *reges*
> *Et* regna tonat. Volat ambiguis etc.

Longe alium colorem habet simile hemistichium, quod est Tro. 405. Mox Ultraj.: Nitidumque diem *morte* relicta. — De verbis *Sedis patriae* videt *hospitium* cf., quae supra ad 853. — In ipso fine scenae rursus Ultraj.: *quae* ferro parat? quod vulgato non deterius, et fortasse verum.

1164. O nunquam *tuis* Tuto reverse. Sic Delriani Flor. Ultraj. et quidquid est editionum veterum, quas et Lovaniensis sequitur. Vulgatae lectionis *nunquam ad tuos* T. r. quae sit auctoritas, ignoro.

1179. Ἓν διὰ δυοῖν. Mox vulgatae edd.:

> O mors amoris una sedamen mali,
> O mors pudoris etc.

sed Avantius, ut nos; et recte, puto: nam haec *O mors pudoris maximum laesi decus* ad Hippolytum conversa dicit Phaedra, ista *O mors amoris una sedamen mali* se ipsam respiciens, et haec ea mors est, ad quam illam confugere deceat, non altera.

1195. *incesto.* Sic Flor. Sordet prae hâc vulgata lectio:

> Juvenisque castus crimine *incestae* jacet.

Ceterum vulgo: — *jacet, Pudicus, insons. recipe jam mores tuos.* Quae explicaturus Gron.: „Potest," inquit, „fieri, ut pluribus titulis innocentiam Hippolyti testatiorem reddi per Phaedram poëta voluerit. Nec mutant quidquam codd. Potuisset alioqui: *castus crimine incestae jacet, Sontis pudicus.*" Vide, quanta res sit despecta

plerisque interpunctio! Nam conjungenda haud dubie verba *Pudicus* — *tuos* hâc sententiâ: Pudicus et insons cum sis, Hippolyte, recipe jam mores tuos, id est castitatis tuae famam, ut recte Farnabius. Infra 1220:

Crudus et leti artifex,
Exitia machinatus insolita, effera,
Nunc tibimet ipse justa supplicia inroga!

Et sic passim.

1198. Monachus Lovaniensis: „Post hunc versum in meo MS. habetur iste:

*Nulla latus comitante quid dubitas dedit.*

sed adscriptum in margine: *hoc carmen in originali commentato non invenitur.* ex quo originali postea omissum. *hulcus* (sic ille) forte aliquod latet incognitum mihi. nam unde versus ille erepserit, nescio, et constat sine illo sententia. ideo non duxi edendum." Specta oscitantiam hominis, qui non meminerit haec supra se legere in hâc ipsâ tragoediâ 426. Sed sic ille erat: in numerato quidvis habebat potius quam scriptorem, quem illustraret. — Statim Flor. *a noverca*, quod recte tuetur Gron.; et tamen ipse, ut vulgo: *ex* nov.

1201. Vulgo: *Pallidi* fauces Averni, quo fere modo Ditis profundi *pallida* regna dixit Lucanus 1, 455. „Pallidum ab effectu vocat," inquit ὁ δεῖνα: „nam lacus est Campaniae propter tetrum odorem creditus limen inferorum." At, o bone, quid hoc ad rem? Gravi odore nares offenduntur, non genae. Reponendum videtur *Squalidi* etc. quae vocabula sexcenties fraudi sibi fuisse in MSS., ostendunt Nasonis interpretes ad Metam. 1, 374. *Squalidum* et *atrum* est, quidquid pertinet ad Inferos. Terribili *squalore* Charon dicitur Virgilio Aen. 6, 299; *squalidus* senex audit apud Nostrum Herc. fur. 765; *squalidae* item Furiae Agam. 759 et Herc. Oet. 1004. Herc. fur. 701 de regno Inferorum:

Sterilis profundi vastitas *squalet* loci,
*Et foeda tellus torpet aeterno situ.*

Mox malim:

Meque ovantem scelere tanto *capite* in altos gurgites!

non *rapite*, quod praecessit. Infra 1238: *recipe* me, o dirum chaos etc.

1213. Pessime libri:

In hoc redimus? patuit ad coelum via,
Bina ut viderem funera et geminam necem?

Nihil interrogandum in rebus certis, quemadmodum nimirum certum erat rediisse Theseum in istud regnum, puta ad Superos, et cadavera adspicere filii atque uxoris. Per σαρκασμὸν haec dicta.

1232. Jactat Schroederus Trajectini codicis lectionem *abluens*, quam frustra firmare studet Herculis fur. 753, ad quem locum vide quae notavimus. Ceterum *abluens* exstat etiam in Ald. et Lugd.

# ANNOTATIONES
## IN OEDIPUM.

Vers. 1. Quod in plerisque libris tam scriptis quam impressis, etiam Fern., legitur, hoc:

*Jam nocte pulsâ dubius effulsit* (vel *emersit*) dies,

nihil aliud est quam *διττογραφία* et prima, ni fallor, manus Tragici, quam post, iterato *dies* offensus, emendavit. Sequente versu non est quod obtemperemus Gronovio imperanti *moestus*, quo recepto nive frigidius est *τὸ jubar*, et vix sustentari potest. *Gerens lumen* rectius diceretur Titan, fateor; sed neque inepte *jubar*. Statim *Prospiciet* etiam Mog. Fern. Caj. Sed Burdigal.: *Perspiciet*.

10. Flor.: verberat.

13. *vacans*. Ita Flor., quod minime spernendum duxi, id est otiosum, quod in parte felicitatis. Vulgo *vagans*. Sed *vagari* per se non id est, quo redactus quispiam praeclare secum actum esse dicat, ut facit hoc loco Oedipus; neque huc pertinet, id quod videtur Jacobo Gronovio in schedis Dietz., per devia lustra *vagans venator* Narcissus apud Ovidium Metam. 3, 370. Nihil frequentius horum vocabulorum confusione. Ennius Hectoris Lytris ap. Non. v. vagas, non *vagant*, ut vulgo, sed legendum est:

Constitit, credo, Scamander; arbores vento vacant.

34. *Incolumis adsto*. Sic Ortel., a Lipsio et Raphelengio usurpatus, et duo Pall. Reliqui: *Incol. ergo*, *Incol. ego*, *Inc. oro*. Mire Gronovius: „Haec *omnia* provenerunt ab hominibus *temere* atque *indocte* supplentibus, quod deerat. Delrius conjicit: *Incol. ergo tu licet*. Gruterus: *Inc. erro*. Melior natio et vetustatis reverentior relegant *τὸ scilicet*, versumque habent curtum, *Inc. ergo tu Phoebi reus*. Defectus in libris etiam antiquissimis sincerissimisque frequens. Nimirum secundam vocem hauserunt ultimae literae vocis primae, et scribendum: *Populi struem Incolumis unus?* Dictum admirando et interrogando per ellipsin verbi substantivi. Dein: *ergo tu Phoebi reus Sperare poteras*." Fugit ratio virum doctissimum, cum haec scriberet, *omniaque* ista suppleta temere atque indocte esse pronuntiaret. Sententiae convenit *τὸ adsto*: ergo temere non est

dictum. Sed nec indocte, siquidem ita loqui solent optimi auctores, praesertim dramatici. Plautus Aul. 465:

Solearii *adstant, adstant* molochinarii.

Ibidem 480: Impransus miles *adstat*. Most. 507: Sed tu etiamne *adstas?* Pseud. 865:

Si iste ibit: ito; *stabit? adstato* simul.

Menaechm. prolog. 74 ex nostra emendatione:

Modo hic *adstat* (MSS.: *modonicaditat*) leno, modo adolescens, modo senex.

Terentius Heaut. 5, 2, 7: Hic patrem *adstare* aibas. Phorm. 4, 3, 2: Patruum video cum patre *adstantem*. Et sic passim. Jam tres tantum codd. genuinam scripturam servavisse, quid id mirandum, quae non nisi in uno saepe superstes est: velut ipse Gronovius ceteris omnibus libris opponere solet Florentinum suum; et recte. Deinde *ergo* illud (quorum *ego* commutatum, ut passim) glossatorum est, melius id quam *scilicet* poni in interrogatione existimantium, vel huic pro interpretatione adscriptum. Raptum autem fuerit τὸ *asto* a syllabis utrimque vicinis — *issci* — vel — *isci* —, quod facillime fieri potuisse concedent, qui scriptos excusserint; quemadmodum et CTO, id est STO, in ORO mutatum puto, postquam prior verbi syllaba a praegresso rapta periisset. Utut est, supersedebimus conjecturis.

39. Vulgo: *sed ignes auget aestiferi Canis Titan*. Sed Flor.: *igne friget*, in quo vel *igne fervet*, vel *igne saevit* reperire sibi Gronovius videbatur. Sed recte filius in schedis Dietz.: „Voluit haud dubie *frigit*. Elegantissime. Vide Nonium pag. 7, Nic. Heins. ad Medicam. fac. 70.“ Ceterum Mog. *aestigeri*.

45. *novo*. Mog. *vano*, syllabis verbi inter se permutatis, ut non semel factum est. Vidd. a nobis jam edendae Vindiciae Ovidd. ad Metam. 15, 364. Lipsian. et Flor.: *nubilo pallet die;* sed dictum in superioribus *igne frigit aestiferi Canis Titan*, ut non sit cogitandum de nubilis, quibus interdiu obtentum coelum fuerit; sed nocte tantum dicit gravem atque atrum vaporem et terrae incubuisse, et lunam stellasque nubilo *novo*, id est insolito, texisse. Cf. infra 170. Quod legendum conjicit Dan. Heinsius, Gronovio adstipulante, *nubilo pallet Jove*, id est aëre, elegans quidem, sed minime necessarium.

50. *tremat*. Egregia emendatio Gronovii, cum in omnibus libris haberetur *cremiat*. Sic, ipso monente, Homerus Ἰλ. β'.:

Ὡς δ' ὅτε κινήσει ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθών,
Λάβρος ἐπαιγίζων.

Et ibidem ψ'.:

—— —— *ὡσεὶ τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση*
*Ληΐου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι.*

Herc. fur. 699:

Adulta leni *fluctuat zephyro seges.*

Ovid. 4. Fast.:

Et *tremat* in summa lene cacumen humo.

56. *Planctuque.* Vulgo:

*Fletuque* acerbo funera et questu carent.

Quo admisso locus non est sequentibus:

Quin ipsa tanti pervicax clades mali
*Siccavit oculos;* quodque in extremis solet,
*Periere lacrimae.*

Scriptum puto *phlanctuque*, *phlāctuque*, *flatuque*, *fletuque*, quemadmodum p et f litterae saepe sibi invicem offecere.

72. *praecurram ut prior Patriam ruentem.* Supervacaneum τὸ *prior*, neque ferendum mihi videtur in scriptore sequioris aevi, et elegante. Quare malim: praecurram, *precor,* P. r. *Matura* i. e. festina, ut etiam Troad. 600. Vid. Heins. ad Ovid. Epp. 2, 143.

78. *Linque lacrimas.* At supra dixit, siccatos esse Thebanorum oculos, lacrimasque periisse. Reponam igitur minimâ mutatione *lacrimans.* 52.:

Inter ruinas urbis *et semper novis*
*Deflenda lacrimis funera* ac populi struem
Incolumis adsto.

Mox Flor. et alter Traject. *labet*, ut in superioribus: quôque *sit* dubius magis Status.

96. Reprehendunt edentes: *Aptaret alas, verbera et caudae movens;* vel *Aptaret alas, verbera et caudam m.*, cum sit indubitatum Scaligeri hoc: *Apt. alas verbere, et caudam movens.* Silium dicere lib. 2.: *nova tegmina latis Aptat concutiens humeris.* Acceperunt itaque istud *verbere* pro *verberi*, quod haud scio an non liceat; neque sic Scaliger, sed is quidem, quâ solet, arrogantiâ: „Quid est," inquit, „*aptare verbera?* Scribe *aptaret alas verbere.* Omnes aves verbere alas aptant, ut cuivis notum. *Prius enim plaudunt, antequam eas componant dorso, ut gallus ante cantum.* Satis de emendatione constat." Sic ille nimium securo, cum non meminisset, *aptare* etiam pro *parare* nonnunquam dici, quemadmodum, monente Fabro in Lexico, Pomponius apud Nonium:

Heus, *aptate*, pueri, munde atque ampliter convivium.

Neque hic sermo de alis Sphingis tergo componendis, tanquam otio-

sae, quae alas plauderet in pugnam, ut item solent aves. Quidquid est librorum vett.: Aptaret *ales verbera*, et sic legendum.

108. Ita haec distincta in altero Traject. Delrii et edd. Fern. Caj. Ascens. Avantius reperit vulgatam interpunctionem, minus quidem commodam, hanc: — *perdit una. jam* etc.

113. *ille*, Bacch*e*. Ὁμοιοτέλευτον. MS. et Schol. Pall., item edd. Fern. Caj.: Bacch*i*. Fortasse fuit *Bacchou*. Vid. Athen. pag. 78. Sic etiam spondeum pro trochaeo habebimus in extremo versu sapphico, qui hunc fert, illo gaudet.

118. Recte Gronovius: „Ita explico: *et versas sagittas equitis Parthi, terga metuenda fallacis.* qui fallit decipitque homines dato tergo, sic vincere putantes, quum ea ipsa terga seu fugae Parthorum maxime sint metuendae."

138. *Patuit sub ictu Ponderis vasti resoluta cervix. Si* intelligit vir summus; nec male, modo abesset ambiguitas. Hanc vitaturus interrogationem feci, ut Herc. fur. 577., ad quem locum vide quae notavimus. Ceterum *pondus vastum* dicitur corpus magni ponderis. Troad. 415:

Pellacus axis, *pondere Hectoreo* tremens.

*Resoluta* est pro simplici. In sequentibus vel servaverim *Nec* cruor, id est *Ne cruor quidem*; vel potius legerim eodem sensu *Ne* cruor. Vidd. Ernest. Clav. Cic. v. Ne, et, qui ibi laudatur, Burmannus ad Sueton. Aug. 35. Nec elegans et dissimilius vulgato est Gronovii *Non* cruor, etsi hae voculae nonnunquam miscentur. Mox Flor.: Incubant *agris*.

162.

Phlegethonque suâ motam ripâ
Miscuit undis Styga Sidoniis.

Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „An Phlegethon potest *Styga* miscere aquis Thebanis? Imo *suam* aquam fortasse potest. Flor.: *suam mutat ripam.* An fuit: Phlegethonti suam mutat ripam; Miscuit" etc. At hoc metro adversatur, nec placet lectio Florentina, ut quae conjungi cum sequentibus nequeat. Scribendum puto:

Phlegethonque suâ motam ripâ
Miscuit und*am* Styg*e* Sidoni*â*.

Eleganter Styga Sidoniam vocat Ismenum fluvium, calore solis (vidd. supra 39 seqq.) arescentem et corruptione aquae tam perniciosum factum, ut igneus admixtus ei Phlegethon, ipseque conversus in Stygiam paludem esse videatur. Thyest. 665:

Fons *stat* sub umbrâ tristis, et *nigra* piger
*Haeret palude. Talis est dirae Stygis*
Deformis unda.

Saepissime erratum in libris circa extremitates vocabulorum. Fern.: sidonis. Mox Burdig.: turbam *portare*.

173. *Errare*. Sic Flor., „ut etiamnum fieri intelligatur," inquit Gron. Quod fortius vulgato *Errasse*. Mox *navis aduncae* dictum pro eo quod est *navis aduncae factae*, sive ejus, cujus apex depressus sit, ut vel morbo vel senio debilitatis evenire solet.

192. Flor. Fabric. Delr.: *jamque amplexu*; sed id κακόφωνον. In fine cantici Ascens. et Ald.: *Creon*, vulgatae *Creo*. Vid. ad Thyest. 783. Rara sunt casu recto *Tiresia* infra 289, *Marsya* apud Ovidium Met. 6, 400.

207. *afflictu*. Sic Flor., cum in vulgatis sit *eventu*, quod minus aptum. Recte Gron.: „Hinc et inde medium pectus affligitur ac tantum non effligitur." Mox idem liber cum Mog. Cruser. aliisque: Ambage *flexâ*. Διττογραφίαι.

221. *Et quis*. Sic itidem Flor., ut etiam Fern. Cajet. Ascens., non *Ecquis*, ut vulgo. Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „Haud dubie," inquit, „norant esse occisum, sed ignorabant, a quo. Ergo *Et quis*, et sic Flor." Mox idem codex *fremitum*, ubi vulgo: *sonitum*.

230. Incipit *Lethaea* vates. Flor.: Incipit *loeta* vates, versu manco, quem sarciens Nic. Heinsius, cujus litteras transpositas non curo, faciebat: I. *repleta* vates. „Quae aliis solet dici *Plena deo*," inquit Gron., symbolamque suam dat: *per colla*. Heinsii conjecturam refellens Jacobus ubi supra: „At sic plane sibi pugnat auctor, qui infra demum ait passam esse Phoebum. An *luctata*, ut saepe omissa est par syllaba? An *Letoa*, ut Ilia Trojana, de qua Heins. ad Ovidii Amor. 3, 6, 65.? Cf. de formâ eundem ad 3. Trist. 2, 3. D. Heinsius ad Silium pag. 451: *vittata*." Sane *Lethaeâ* ineptum est, parumque recte *Letoa* dicitur sacerdos pro *Apollineâ*. Jam *repleta* praeterquam quod longius recedit a scripturâ codicum, per se potestatem eam non habet, quam affingunt ei duumviri eruditissimi. Danielis Heinsii et J. F. Gronovii conjecturas sciens praetereo, ut neque ad sententiam multum facientes, et prorsus omni librorum auctoritate destitutas. Sed egrègia mihi videtur Jacobi emendatio *luctata*: nam Florentini istud *loeta* si fuit, ut opinor, *laeta*, vel *lacta*, quid verisimilius in tantâ olim a et u litterarum similitudine, quam, omisso altero — *ta*, ita scriptum esse pro *lucta*, id est *luctata*? Et nonne luctari recte dicuntur Pythiae et Phoebades? Virgilius Aen. 6, 77:

> At, *Phoebi nondum patiens, immanis* in antro
> *Bacchatur* vates, *magnum si pectore possit*
> *Excussisse deum. Tanto magis ille fatigat*

Os rapidum, *fera corda domans*, fingitque *premendo*.

Sane sic existimo, nec jam placet, quod aliquando arridebat, hoc: Incipit *perlota* vates, perlota fonte Castalio, quo corpus purgare ejusque aquis *labra proluere* solebant istae sacerdotes, antequam vaticinarentur. Videbatur tum mihi rapta praepositio a simili syllabâ praegressâ, *τὸ lota* vero facile mutatum in *loeta*, quod habet codex. Sed (iterum dico) herbam do Jacobo.

262. Quod Raphelengio, idem et mihi aptius: *nam* quid etc. Mox vett. edd.: *marte aperto*, meliore versus loco positâ voce graviore *aperto*. Mox nec mihi margarita istud codicum Lips. Mog. Flor. *arva* pro *ima*; nec spernam obducentes versum 283., ubi idem vocabulum.

283. *Olenia in arva*. Gronovius: „Mira," inquit, „hic Senecae geographia. Olenus non poteat esse Boeotiae, quam faciunt: nam Corinthus contrariâ Boeotiae viâ aditur. Est ergo Olenus Achajae, quam intelligit." Ad quae Jacobus in schedis Dietz.: „Perinde est, sive de Boeoticâ sive de Achaicâ accipias. Nempe ut Achajam aut vicina Corintho loca denotaret Seneca, debuit extremam Achajae urbem petere, non Sicyonem, non Patras etc.! Immo nihil nisi Corinthum dicere potuit. Lege igitur *Aeolia* in arva (Med. 105, Hippol. 1231), vel *Lernaea* in arva, quum scriptum esset Lenîa (?), ut saepe. ab Lerne, fonte Corinthio." Nec nihil haec, ut ille ait, nec omnia sunt: nam recte habet, quod dicit Joannes Fredericus, Corinthum contrariâ Boeotiae viâ perveniri. Nec tamen propterea Olenum Achajae intellexerim, multo minus probaverim Jacobi *Aeolia* arva, vel *Lernaea*. Legendum censeo:

At una bimares Sisyphi terras adit
*Olenio ab arvo*.

Viam dicit, quae Oleno et ex Boeotiâ duxerit Corinthum. Nihil planius. Neque rarum est, o et a litteras inter se permutari. Ovidii Metam. 8, 634. Ms. Berolin.: feren*da*, ubi rectum est feren*do*; rursusque supra 225. libri fere: horr*ido*, at Flor. bene: horr*ida*; et sic saepius erratum.

285.

Gelidumque dirimit amnis Eleï vadum.

Gron.: „Quid sibi vult hic," inquit, „*amnis Eleus*, quem nisi Alpheum interpretari non possumus? At eadem via, quae e Phocide Corinthum ducit, etiam ducit in Elidem, in remotiore Peloponnesi parte positam. Pausanias (in Phocaïcis) *Σχιστὴν* vocari ait viam, in quâ Lajus occisus, et sic dirimi, ut alia in Boeotiam, alia Corinthum,

alia in Atticam vertatur. *) Ergo Atticae nominari hic amnis debet, et aut fallor, aut is est *Ilissus:* ut scripserit forsan: *amnis Ilissi vadum.* Cujus *errantes* dicit aquas, quia et in Hippolyto Maeandro eum comparaverat. MSS. quidam non *Elei*, sed *Elidis* vel *Ellidis.* Valde autem vereor, ne Ilissum acceperit pro Cephisso, in quo γέφυρα et γεφυρισμοί."

Jacobus Gron. in schedis Dietz.: „*Eleï.* Commeliuus ait MStos habere *Elidis.* An montem Edylium Cephissus praeteriens potuit vocari Edylius? Polyaenus pag. 12. Aut fortasse mons Ἥδυλος, ibi Cephissus amnis Edylius. Sic ergo *amnis Edylii vadum*, quasi Grentemesnilianum (Palmerii) *Pindique amnem* in Graeciâ pag. 144."

Sic illi. Et recte quidem, quod vulgatum *Eleï* rejiciunt. Ceterum et Jacobo gratiam facimus de monte Edylio, et, Atticae amnem quaerentes cum Joanne Frederico, in scriptorum illo *Elidisuadum* non *Ilissum* reperimus, sed *Eridanum*, Atticae fluvium, de quo Pausanias in Atticis, cujus fluvii, praesertim ex quo cum Ilisso conjunctus fluit, etiam ipsius *aquae* recte dicuntur *errantes.* Fuerit autem exaratum *eridāi.* Id cum per se non ita dissimile sit librorum scripturae *elidiſ*, accedit r et l, itemque a et i, litterarum minime insolens confusio: velut Metamorph. Ovid. 5, 83 MSS. habent In*fli*gitque pro In*fre*gitque, et ibidem 13, 135 *videtur* pro *fatetur*, similiterque 237 Berolinensis re*fri*xi pro re*tra*xi, quorum mendorum similia etiam alibi reperias. Jamque versus pulcerrimus existit hic:

Gelidumque dirimit amnis Eridani vadum.

295. *Carenti — latet.* Sic etiam Fern. Ascens. Mox iidem et Veneti: *fatifici* pro *fatidici*, cum vellent haud dubie *fatiferi.* 307. recte vett. edd.: *Quid flamma?* largas etc. Vid. ad Hippol. 151.

309. *nitidus.* Tres Delr. Cruser. et MS. G. J. Vossii: *viridis*, quod non male defendunt Pontanus et Vossius, ille ob ταυτολόγον verborum *clarus* et *nitidus*, hic cum aliis de causis, tum maxime propter Flacci *flammam virentem* Epod. 17, 33. Sed is quidem locus in controversis est, nec tamen propterea damnanda ista lectio, cum *virere* et *viridis* vigorem saepe significent, quemadmodum dicuntur *virentia genua*, *viridis aetas*, *viridis sanguis* supra 297. Cf. Schroedero laudatum Burm. ad Valer. Flacc. 1, 205. Justo audacius Wakefield. ad Lucret. IV, 679 emendat *rigidus st.*

312. *circumserpit.* Ita plerique Delr. Vulgo *circa serpit.* Mox ceteri libri *mobilis*, sed Ascens. *mobili*, quod ambiguitate vacat.

---

*) Euripides Phoen. 37:
—— καὶ ξυνάπτετον πόδα
Ἐς ταὐτὸν ἄμφω Φωκίδος σχιστῆς ὁδοῦ.

320. pleriquе omnes libri *ultimum*. Sed Gron.: „Optimus," inquit, „elegantius: *ultima in tenebras abit.* Ut apud Terentium *prima fabula*, apud Ciceronem *prima provincia* pro primis partibus vel locis fabulae et provinciae." Quod scripsi *abit*, vid. ad Herc. fur. 49.

329. Vulgo *vagos.* Gron.: „Idem *vagus.* Ego nimirum vagus et incertus, ubi consistam, quid statuam, quid teneam." Longo hoc illo exquisitius.

339. Lipsian. et Flor.:

Trepidusque vultum solis et radios fugit.

Sed itidem recte Gron.: „Hoc," inquit, „mihi magis suspectum, quam quod antea vulgabatur: *vultum obliquat et radios fugit.* Primum ipsum hoc non est tale, ut indocti correctoris videatur. Sic Thyeste: *Obliquatque oculos oraque comprimit.* Deinde videtur sublatum ab illis, qui *radios* non putabant intelligi, si vox *solis* abesset. Non enim hoc plebejum. Ovidius lib. 7. Metam.: *contraque diem radiosque micantes Obliquantem oculos.* Statius prima Thebaïde: *inadspectos coelo radiisque penates.* In epithalamio Stellae: *Excludunt radios silvis decussa vetustis Robora.* Audacius etiam Graeci ἀκτῖνα. Aristophanes Av.: *Οὐδ᾽ αὖ θερμὴ, πνίγους ἡμᾶς, Ἀκτὶς τηλαυγὴς θάλπει.* Libanius decl. 6.: *ἡδὺ μὲν, ὦ βουλὴ, τῆς ἀκτῖνος ἀπολαύειν καὶ τρυφᾶν.* Idem in Juliani necem: *γεγυμνωμένον μέσου θέρους ἐν μεσημβρίᾳ ταῖς ἀκτῖσι πιεζόμενον.*" Attius Oenomao apud Non. v. segetem:

Ferte ante Aurorarn, *radiorum* ardentem indicem.

341. *opposito.* Lipsian. Delr. Flor. Voss.: *imposito*, aeque bene ad sententiam, non item ad verba propter *in* repetitum in vocabulis continuis; quod invenustum. Vid. etiam Gruterus in libro peculiari de expositionibus infantum. *Opposito* Pall., Delriani, praeter ipsius proprium, qui *imposito*, item vett. edd., in his Fernandi.

362. Vulgo:

Sed utrumque caesum tenuis abscondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans.
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit.

Hoc si verum est, membrana eadem abscondere dicetur capita jecinoris, et non abscondere, siquidem *res* illae *occultae*, si ad superiora referantur, ista ipsa jecinoris capita indicent necesse est. Atqui haec ἀσύστατα. Conjungenda igitur cum sequentibus verba *Latebram rebus occultis negans*, ut, cum *familiaris* extorum pars eum membranâ istâ tegeret capita jecinoris, resque turpes (puta Laji cae-

dem, et Oedipi cum Iocastâ nuptias) in lucem protrahi vetaret, contra *pars* eorum *hostilis* sive *inimica* iisdem *rebus*, ab alterâ parte *occultis*, dicatur latebram negare, magnoque robore insurgens septem venas tendere; in quibus apparet intelligi infelicia Oedipi peccata, bellumque ejus filiorum, in quo uterque occidit. Vidd. de haruspicina Delrius ad h. l. et, quos laudat, inprimis Cicero in libris de Divinatione et de Nat. deorum.

386. *Solent suprema facere securos mala.* „Cf. infra 834, Agam. 146, 182, 227." Jacob. Gron. in schedis Dietz.

397. Sic Fern. et Caj. Vulgo: *Ede, cui mandes sacrum.* Alterum vividius, quod mutatum videtur a grammatistis, ut passim similia, de quibus ad Hippol. 859. Mox Ascens.: *te hic, Creon, poscit labor.* Vid. ad Thyest. 783.

404. 405. Hoc ordine versus leguntur in codd. MSS. et vett. edd. At Dan. Heinsius: „Juvant," inquit, „opinionem de hoc loco nostram, *quae se ipsa satis tuetur*, emendatiores libri, in quibus legitur *armatae*. Non dubitamus ergo, ita transponendos esse hos versus:

Effusam redimite comam nutante corymbo,
　Lucidum coeli decus, huc ades votis,
Mollia Nisaeis armatae brachia thyrsis
　Quae tibi nobiles Thebae, Bacche, tuae
　Palmis supplicibus ferunt.

Quis enim magis hic rationem versuum, qui confunduntur, quam in monostrophis Graecorum choris, reddere se postulet? Quare nemo mirari debet, si plusculum hic permisit sibi indocta audacia." Cui sic imperanti obtemperaverunt sequiores. At Gronovius dubitare se dicit, adductum Florentini codicis auctoritate, in quo et antiquo haec ordine legantur, neque aliter scripta quam in vulgatis libris, nisi quod hi fere *armati*, ille *armatus*, ut uterque versus de Baccho intelligatur, cujus non minus quam Thebaïdum *mollia* dicas brachia. Verissime sic vir summus, nec causam istius transpositionis reperire ullam potui, nisi quod libris fortasse istis nobis incognitis, in quibus *armatae* legi dicit, nimium Heinsius tribuerit. At editi scriptique, cum ab uno discesseris, Lugdunensi, qui anno 1536. excusus est: *armati*, iste non *armatae*, sed *armate*. Verissimum hoc, utpote sententiae conveniens, neque a metro abhorrens, cum postrema verbi syllaba sequentibus duabus consonis recte producatur more Graecorum, quem nonnunquam Latini imitantur. Vidd. G. J. Vossii Prosod. lat. pag. 119, Taubmann. ad Plauti Mercat. 26, nosque ad Aulular. 108 et Hippol. 1027. Ejus tamen moris ignari cum essent, ut

opinor, librarii, versui prospicientes perperam fecerunt *armati* vel *armatus*, quorum utrumque alienum.

Ceterum hoc canticum, ut similia, quae sunt infra 707 et in Agamemnone 588 et 810, ex variis constat metris, quorum qui innumerabiles formas esse dicunt apud poëtas Graecorum Lyricos et Comicos, Marius Victorinus et Atilius Fortunatianus pagg. 2622. 2684. Putsch., Tragicorum obliti sunt, qui illis in hoc genere non concedunt. Latini, nec tam felici ingenio praediti, et ipsâ linguâ impediti, quid in genere lyrico praestiterint, quo tempore maxime florebant inter eos litterae, indicio nobis est Horatius, Graecorum ingeniosissimus prudentissimusque imitator. Scenicorum tot tamque celebrium poëtarum hodie tres supersunt, quorum quidem integrae fabulae habeantur; e quibus poëtis Plautus, more vetustiorum, in canticis eorumque similibus locis luxuriare solet metris, quae explicare nuper studuimus; Terentius, temperamentum quoddam rei difficillimae adhibens, simplex magis est atque uniformis; cumque vix singula verba jaciat, bacchiaco, cretico, vel etiam dactylico atque choriambico metro conscripta: tamen sic quoque modum excessisse videtur Quintiliano Institut. orat. 10, 1, qui scripta ejus plus habitura gratiae putat, si intra versus trimetros stetissent; quod equidem non tam proprium rhetóris litteratissimi judicium dixerim, quam commune populi tardioris et ab ejusmodi elegantiis alienissimi fastidium. Recentior his Seneca totus quidem pendet e Graecis; sed, Flacci exemplo monitus, etiam ipse artem suam angustis finibus circumscripsit, et in novem illis tragoediis, quas ejus superstites nunc habemus, praeterquam hoc loco et Agamemnonis illis, quae indicavi (quibus addas licet χορικὸν illud, quod est Med. 852) nihil tentat paulo λυρικώτερον, sed fere usitatissimis iambici trochaïcique generis contentus metris, in canticis non nisi anapaesticum usurpat, vel sapphicum, vel denique glyconium atque asclepiadéum; ipso autem hoc loco et eo, qui infra est, duobusque Agamemnonis perpauca habet, quorum simile apud Plautum atque Horatium non extet. Nihilominus laudanda, ut in re pene novâ ac spinosâ, etiam voluntas. Jamque singula cantici venustissimi perlustremus.

405. Similis hic versus illi, qui mox sequitur:

Te decet vernis comam | floribus cingi.

Nam quod hic brevis syllaba est in commissurâ, nihil ad rem in asynartetis versibus, quorum et hi sunt et infra 471, 473 seqq., 481, 486, 488 seqq., 493, 503. Est autem ex clodis, ut 473 sequ., 482 sequ. Cui similem hunc profert Victorinus pag. 2589:

Tollor in montes, vagus | entheus, repente.

406. Asclepiadéus inversus. Ejusmodi lusus poëticus est metrum encomiologicum, de quo, secundum Hephaestionem, Plotinus pag.

2662 Putsch.; quod quidem genus metri ex alterâ parte respondet iambelego, ut ex hisce exemplis intelligetur, quae profert grammaticus latinus:

*Iambelegus.*

Amore cogis | scribere versiculos.

*Encomiologicon, vel Elegiambus.*

Mollibus in pueris, | aut in puellis.

Similia sunt metra illa, quae a Platone et Pindaro appellantur, de quibus vidd. Hephaestion pag. 51 edit. Paris. anni 1553 et G. Hermann. in libro de Metris Gr. et Rom. pag. 386; apud Hunc autem ipsum praeter istum versum alcaïcus inversus Agam. 596, 845, 857.

410. Asynartetum vulgo non agnovere, ut nec infra 413. et 490.; unde factum est, ut quique horum versuum in duos divelleretur. Hujus similem laudat Victorinus pag. 2592 Putsch., qui versus talis est:

Cantu continuit feros | et impios gigantes.

compositus ille quidem e glyconio et anacreontéo, cum noster item e glyconio constet, cui subjecta est penthemimeris iambica. Versum 413. vel habeas pro composito ex iambo hyperc. et archilochio, vel illis adnumeres licet, quos per deminutionem fieri monet Victorinus pag. 2548, siquidem ortus e Pindarico videri potest, usurpato choriambo pro penthemimeri dactylicâ. Denique 490. constat ex trochaeo hypercatalectico clodo et glyconio, cui versiculo similis est 475, neque multum ab eo abludit ille apud Victorinum 2593:

Nunc deos adesse dico, | postquam res Asiae,

utpote conflatus ex troch. dim. et penthemimeri dactylicâ.

412. Sapphicus soluto spondeo, quemadmodum infra 476. et saepius. Quod fieri debere negans, ut opinor, G. Hermannus in libello de Metris pag. 398: „Qui in Senecae," inquit, „tragoediis Sapphici occurrunt, mentione indigni sunt." Bona verba, quaeso! Nam hujus scriptoris, quem tu carpis, *claritudinem studiorum* laudat, maximi vir ipse ingenii atque judicii, Tacitus; *multas et magnas virtutes* praedicat Quintilianus; eloquentiam alii passim, cum veteres, tum recentiores; ex quibus (recentiores dico) Julius Caesar Scaliger Poëtices 5, 6 nullo Graecorum majestate inferiorem dicit in tragoediis Senecam; *cultuque ac nitore etiam Euripide majorem.* Qui vero instar multorum unus est, M. Antonius Muretus Var. Lect. 2, 4: „*Est* profecto," inquit, „*poeta ille* (Seneca) *praeclarior*, et vetusti sermonis diligentior, *quam quidam inepte fastidiosi suspicantur.*" Cf., quae infra ad 713, 728, 733 et 735.

427.

Te senior turpi sequitur Silenus asello.

Cur autem *turpi?* Turpine asino vehi praeceptorem Bacchi et comitem? Idque dici in dithyrambo? Quidvis potius crediderim. Peccatum deprehendere mihi videor, non poëtae, sed descriptorum, litteras inter se similes commutantium, reposuerimque *tardo*, cum u pro a saepe scriptum constet, et d litterâ forte versâ *tarpo* a *turpi* non valde discrepet.

448. Victorinus, quo loco agit de metro dactylico tetrametro, pag. 2563 Putsch.: „*Archilochium,*" inquit, „dicitur spondeo clausum, ut

Certus enim promisit Apollo;

*Alcmanicum* dactylo." Hephaestion pag. 22 edit. Paris. quae excusa est 1553.: *Ἀλκμὰν δὲ καὶ ὅλας στροφὰς τούτῳ τῷ μέτρῳ κατεμέτρησε·*

*Μῶσ', ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διός,*
*Ἀρχ' ἐρατᾶν ἐπέων· ἐπὶ δ' ἵμερον*
*Ὕμνῳ καὶ χαρίεντα τίθει χορόν.*

Unde ratio nominis apparet. Terentianus Maurus in libello de Metris pag. 2430 Putsch.:

„In tragicis junxere choris hunc saepe diserti
Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.
Tale dedit nobis Pomponius:
*Pendeat ex humeris dulcis chelys,*
*Et numeros edat varios, quibus*
*Adsonet omne virens late nemus,*
*Et tortis errans qui flexibus.*
Reddo pedes binos, qui nunc desunt, tetrametro:
Rursus de mutilo redit integer:
Pendeat ex humeris dulcis chelys, *apta choreis,*
Et numeros edat varios, quibus *ecce! propinquum*
Adsonet omne virens late nemus, *arvaque juxta*
Et tortis errans qui flexibus *effugit amnis.*"

Prius Attius Antig. ap. Non. v. expergite:

Heus, vigiles, properatim expergite
Pectora tarda sopore! exsurgite!

nam sic legendum puto. Item apud Cic. de Div. 1, 31. Terentius quoque Andr. 4, 1, 1:

Hoccine credibile aut memorabile?

Ad Nostrum quod attinet, etiam Herc. Oet. 1646 — 1664 hoc metro conscripti sunt, atque eo quidem, quod solis dactylis et spondeïs constat. Contra Hipp. 763. consonâ clausum item sequitur consona. Quod quidem rarius fieri visum G. Hermanno libri de Metris pag. 263; sed non est ita, ut vel ex hoc loco intelligitur, ubi de 17 ver-

sibus cretico finiuntur sex, et duo Terentiani Mauri; totidem vero Senecae etiam hiatum, quamvis in extremâ sententiâ, habent: ut contemnere solent grammatistarum febriculosas regulas poëtae. *)

449. *Et tumidum Nereus posuit mare.* Flor. et membranae Gronovii, errore tralaticio: *timidum.* „quasi reverentiâ Bacchi," inquit vir summus, cui non adsentior. *Timidum* etiam Cajet., quae editio una omnium, quas vidi, maxime scatet vitiis typographicis.

450. *Caerula cum pratis mutat mare.* Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „Hoc," inquit, „nemo dixit ab Nereo factum, sed ab ipso Baccho. Leg. *mutas* vel *mutant* neutrale pro *mutantur.*"

471. *Zalacûm.* Vulgo: *te Dacûm*, ut reponendum censuerant Raphelengius, Scaliger et Delrius. Hujus liber unus: *Zadacum*, ceteri fere cum illius tum aliorum: *Zedacum;* Mogunt.: terrae *Bacchum* ferocem: „ut repetatur vox, quae in praecedenti," inquit Lovaniensis, additque, si quis hoc amplectatur, multis eum se molestiis liberaturum. Fateor; sed id quidem noluisse Tragicum, in aperto est; quod et ipse sentiens homo multae ac diffusae lectionis, varia tentat conjectanea, ut ipse ait, et, si vis, mera mapalia: *Sagarum, Sedochum, Siracum* vel *Sydrachûm*, *Zabium* vel *Gazium*, *Sidacum*, denique *te Dacûm* aut terrae *Issidûm*, admisso hiatu, id est Essedonum, qui Stephano Ἴσσιδοι τρισυλλάβως. Nullo horum expletus Jacobus Gronovius in schedis Dietz.: „MSS." inquit „*zedacum* aut *zodachum;* Flor. *zalacum.* Nonne clare sunt Stephaniani *Ζαλαταῖοι*? Aurelius Victor in Trajano: *Zalacis*que nationibus." Notae quoque *Zalace* et *Zaliches*, urbes Mediae et Paphlagoniae, de quibus vid. Mannertus in Geographiâ vetere; item *Zalacus* mons in Mauritaniâ Caesareensi, cujus montis extat mentio apud Ptolemaeum. Rectum haud dubie, quod praebet Florentinus, *Zalacûm;* idque in ordinem recipiendum esse existimavimus. Vulgata quidem lectio *te Dacûm* ne metro quidem satis convenit, siquidem id ejusdem generis est, cujus infra 481, 486, 500, 712, 731, et Agam. 632, 826 etc. Quo metro, quod *Sapphicum* appellat Victorinus pag. 2552 Putsch., *Anacreontéum* scriptor libelli de Metris, qui Censorino tribui solet, ibidem pag. 2727, et Graecorum poëtae dramatici sunt usi, et Plautus nonnullis locis, quae indicavi ad Amphitr. 422.

472. Bentlejus ad Lucan. II, 296: *Dahûm.* Sed *Dahae*, non *Dahi*, audit iste populus Persidis in provincia Sogdiana, de quo alibi pluribus in his notis.

*) Similiter et in fine versus Aeolici creticus est Agam. 587.

473. Versus asynartetus, qui constat e duplice basi trochaïcâ hypercatalecticâ et clodâ:

— ∪ — — — | — ∪ — — —.

Similes sunt sequens, et 482, Agamemnonis autem 620, 811 seqq.; neque a Plauti usu abhorrent, ut ostendimus ad Bacch. 584; quanquam is fere clodis abstinet, ut ex his versibus, qui leguntur Bacchidum loco laudato, perspicias (— ∪ — ∪ — | — ∪ — ∪ —):

Omnibus probris, quae inprobis viris
Digna, dignior nullus est homo.

474. *frigido.* Sic fere libri vett., in his cusi, quos versavi, omnes; neque alio spectat Florentini *rigido.* Vulgo tamen *frigida*, quo servato nudum videbitur *τὸ fluctu.* Versus similis superiori.

475. Metri genus item conflatum e basi troch. hypercat. clodâ et adonio; cui metro ex alterâ parte respondet Agam. 621, quem versum praecedit ejusmodi clausula trochaïca, quae et aliis est in locis, velut 482, 723, 736. Asynartetos versus iambicos, quibus pariter subjectus adonius, habes 489, 493, et Agam. 605, 610, 615; clausulamque iambicam, sed post asclepiadeum, infra 726. Praeposuit etiam semel adonium, sed dochmio, Agam. 604, quemadmodum Attius hephthemimeri dact. Bacch. ap. Macrob. Sat. 6, 5. Qualibus metrorum lenociniis demulcere Seneca voluit, ut opinor, Neronis animum, Graecarum in hâc poësi venerum minime ignarum.

481. *Positisque.* Ita Flor. et Ferr. Vulgo, versu corrupto, *Positis.* Vid. ad 471.

483. Iambicus trimeter brachycatalecticus clodus, quo et similibus trochaïcis etiam infra 717, 730, et in Agamemnone non semel Noster utitur. Nota res ex Metricis vulgaribus.

484. *Amphioniâque.* Bene sic Jacobus Gronovius in schedis Dietz., qui confert in eam rem supra 179 (Amphionios canes) et inprimis Herc. fur. 268, ubi similiter olim libri: *ciuis atque Ophionius.* „Ophion iste," inquit, „unus Spartorum, quem intelligunt, nimis est ignobilis." Violentius Hugonis Grotii *Echioniâque caede.* De metro dixi in Anacreonticorum editione et in libello vernaculo, qui sic inscriptus: Grundzüge der Metrik, Berol. 1817, pag. 32.

488. Asynartetus versus, qui constat e basi troch. hypercat. clodâ et ithyphallico, seu trochaïco dimetro brachycatalectico soluto, ut vocatur Plotino p. 2648 Putsch. Similem habet Agam. 801, nisi quod hoc loco molossus, quo claudi solet ista basis, solutus est in choriambum, ut Agam. 811:

— ∪ — — — | — ∪ — ∪ — ⏓
— ∪ — ∪∪ — | — ∪ — ∪ — ⏓

Ejusmodi trochaïco et adonio constat ille Attii apud Varronem de L. L. lib. 6:

Mystica ad dextram per vada vecti.

De sequente versu vide ad 475.

490. Similis etiam hic asynartetus, ut qui item constet e basi troch. hypercat. clodâ et glyconio. Versum compositum ex ithyphallico et glyconio hypercat. Victorinus habet pag. 2595 Putsch. hunc:

Mente concitatus | tollor in scopulos repente.

ex quo factus hic esse videatur per deminutionem utriusque membri. Ceterum vulgo:

Pumice sicco
Fluxit Nyctelius latex.

Sed Palatt. et vett. edd., in his Fern.: Pumice ex sicco, quod magis latinum est, modulumque habet rei dictae longe quam alterum convenientiorem: ut jam trochaïcus clodus glyconio, vivido metro, eodem fere modo opponatur, quo pumex aridus laetissimo Bacchico liquori. Scriptum forte *Pumiceessicco*, ut x et s litterae confundi solent, praesertim in codicibus Italicis, transiisse videtur, omissis similibus, in *Pumicessicco*, *Pumicesicco*. Quod versum distraxerunt, vid. supra ad 410.

492. sequ.

Combibit dulces humus alta succos,
Niveïque lactis candida fontes.

Pall. Flor. Voss. et Heinsianus minor, item uterque Traject., veteresque edd.: *candidos*. Schroederus: „Sane," inquit, „illud *candida* durum est, et perplexum." Imo suavissimum est et tam planum, quam quod maxime, ut quo indicetur humus candicans infuso lacte: nam ab effectu dictum est. Contra *lactis*, et quidem *nivei*, *candidos* esse fontes adeo per se intelligitur, ut offendat.

496 sequ. Male item libri:

Solemne Phoebus carmen
Edit, infusis humero capillis,

sententiâ prioris versus in alterum temere pertractâ, metris autem mutatis in anacreontêum clodum, quod nescio quid languidi afflictique habet, et sapphicum, cujus generis satis atque abunde est hoc loco. Quid usitatius lyricis vegetiusque jambico dimetro hypercatalectico? quid glyconio suavius decentiusque? Uterque Tragico reddendus.

508. *Exprome.* Ita Flor. Vulgo libri, minus eleganter, *Expone.* Mox Burdegalensis apud Delrium, minime inepte:

Nescire cupies, *scire* quae nimium expetis.

*Τὸ nosse* videatur esse correctorum, a repetitione verbi non inerti abhorrentium.

519. Delrius: „Fuit haec," inquit, „impia Caiphae sententia de Christo Iesu D. N., digna quae puriore linguâ diceretur. Fuit etiam Silvii Othonis apud Xiphilinum: *πολὺ γάρ που καὶ κρεῖττον καὶ δικαιότερόν ἐστιν ἕνα ὑπὲρ πάντων ἢ πολλοὺς ὑπὲρ ἑνὸς ἀπολέσθαι.*" Quo loco Delrius, errore vulgari: *καὶ πολλούς*. Statim Flor.: ulla libertas minor A rege petitur? Miro autem Ascensius 522: *Saepe quàm linguax magis Regi* etc. Fern.: *Saepe villi lingua*, Caj.: S. *vili lingua*, id est S. *vel lingua*. Vid. Commelinus.

533. Verba *Hujus abrupit latus Edax vetustas* etiam a Fern. absunt. Sequente versu, quod frustra defendit Gronovius, Florentini *spissa* certum videtur e scripturâ obsoletâ *phessa* vel *pessa*: nam f ph p, b denique confunduntur. Mox Ascens. Ald.: et per immensum mare Motura *ramos* alnus, quam scripturam facile defendas.

543. *lucis et Phoebi.* *Ἐν διὰ δυοῖν*, neque hoc facit *lucus* codicum Cantabrig. Cruser. et editionis Ascens.

550. Recte Lipsius: „Frontem quatere moesti aut irati solent: nec disconvenit infero huic sacro." Infra 911:

Moestus, en, famulus, *manu*,
Regius, *quassans caput.*

Ad quae Gruterus: „Qui heic invehunt frontem" (ut etiam Fern.), „nondum ostenderunt, *quomodo quati queat frons.* At *frondem* quatiit, quam tenebat manu, insigne tantum non vatum peculiare." Et ad alterum locum: „*Quassare manu caput* insubidum semper duxi: quatitur enim caput motu nervorum." Sic delicias nonnunquam facit vir doctissimus, dum vel meliores libros carpit, vel ingeniosis eruditisque interpretibus obloquitur.

555. *Retro trahuntur.* *Ἀν ἐρύονται*, ut recte Gron., id est mactantur per synecdochen. Non hic agitur de discrimine deorum superorum et inferorum.

566. *citat.* Ita Flor. Vulgo *ciet.* Idem codex, monente Jac. Gronovio in sched. Dietz.:

Latravit Hecates turba per valles cavas.
Sonuere moestum.

Sed similiter Hic Thyeste: Saepe *latratu* nemus *Trino* remugit. Et Medeâ: *Ter* latratus Hecate dedit etc. ut observat ad hunc locum Lovaniensis. Mox idem liber *comas*, non *comam.*

583. *Noctem veram* dicit Inferorum caliginem luci non cedentem interdiu, sed velut propriam et perpetuam. Paulo post in verbis *Avidumque populi Pestis Ogygii malum* recte Sphingem intelligere mihi videtur Gron. 598. etiam Ald. plane ut Flor.

607. Efficacius sit: *Tremente* primus emergit solo. Conf. 568. *Pavidae trementes* friget. Statim Flor. et Heinsianus minor: *Tuto sup. fert caput fastu grave*, prae quo sordet vulgatum *gravi*. Sed istud *Bacchis* ejusdem codicis 615. sphalma est, quod cum verbo conjungi posse per hellenismum, ἕπεσθαί τινι, temere existimabat vir doctissimus. Non semel a et i litterae permutatae inter se sunt a librariis, ut supra monui ad 285.

622. Parum placent tam vicina *horreo* et *horridus*, neque sic, puto, Seneca. Fortasse fuit:

Stetit per artus sanguine *et fuso oribus*,

id est *in ora*. Τὸ h temere nunc additum, nunc omissum esse multis in locis librorum constat; nec semel in hâc voce lapsi sunt descriptores: vid. ad Hippol. 1039.

642. Sic Flor., et in sequentibus *sonantem*; non, ut vulgo, secundum Scaligerum, Erin*nys* (ἐριννῦς) pronu*bas* — sonan*tes*. Sed etiam verber*a* emendandum fuit, ut soloecum atque ineptum. Mox Pontanus malebat impi*os* Marte obteram; sed bene habet vulgata. 647. Fern. Caj.: *florigero*, et sequ. versu MS. Colon.: spiritus *puras* dabit Vitalis *auras*, quod Grutero arridebat. Vid. Gron. 656. Flor. *E*ripiet, non *Prae*ripiet. Antecessit *prae*tentans.

673. Male vulgo: *liceat*, et *libeat* infra 837. Cur illud pondus exuere Oedipo non *liceat?* Et rursus illud *Si nosse libeat* quid in eo, qui nosse parentes suos unice cupit? Imo: Si nosse *liceat*, si iste senex adhuc in vivis sit, ut faciat me certiorem. Nihil clarius; et saepe haec vocabula confusa, ut observat Henr. Stephanus Epist. ad Jacobum Dalechampium pag. 100. Sequente versu frustra Flor.: *nec* recedentem. Mox Eguianus: sponte deponam me, τῷ *ut* excluso.

700. Flor.: *quod obvium est, eat.* Unde Gron.: *omne, quod dubium est, eat*, ut τὸ *eat* sit idem quod pereat, quemadmodum Liv.: Sic *eat*, quaecunque Romana luxerit hostem. Fortasse scriptum *quod burum ostitit*, pro *quod purum obstitit*, litterâ p versâ, sic degeneravit. *Purum*, sanctum, quodque abest a culpâ: quod, purum cum sit, ei obstitit.

712. Vide de hoc metri genere supra ad 471. Qui sequitur, asclepiadeus versus loco prioris choriambi habet molossum ἰσόχρονον. Quidni enim? Similiter 728, soluto spondeo et rursus contracto choriambo, glyconius existit hic:

Caeruleum erexit caput,
comparandus ille quidem Horatiano
Aurarum et silvae metu

Od. 1, 23, 4, ubi minime opus scribi *silŭae*, ut vulgo, siquidem neque hic neque alii poëtae ejusmodi vel solutionibus longarum syllabarum vel contractionibus brevium, ex regulâ factis, abstinent. Scripsi tamen *Caerulum*, quia dactylum primo loco talium glyconiorum alibi non habet Noster (conf. infra 884 seqq. et quae supra ad 412, infra ad 733), neque alia quam dissyllaba verba usurpari solent in mobilibus versuum locis illis, quos bases perperam appellant metrici hodierni. Vid. ad Agam. 587. Rarissimi versus, quales ibid. 589. et 633.

717. Vid. ad 483. Qui sequitur asynartetus versus, compositus ex iambicâ penthemimeri et dochmio, dramaticis poëtis graecis, inprimis Tragicis, usitatus est, cui versui ex alterâ parte respondet 720, nisi quod ibi molossus dochmii solutus est in choriambum *); quâ solutione nihil tritius. Conf. superiorem notam et Agam. 612. Metro dochmiaco minime abstinere Nostrum, ex canticis, quae sunt Agamemnonis 587 et 799 sequentibusque versibus, intelligas, ubi et dochmius est (824) pro clausulâ usurpatus: nam pro dochmio versiculum eum habeo potius quam pro choriambico dim. brachycat., quia choriambicis raro sic Tragici et poëtae utuntur, dochmiis saepius; quomodo et penthemimeris iambica adhibita est Agam. 807. et 816.

723. Hoc metri genus etiam supra habuimus. Vid. ad 475, et cf. 736. Ceterum vulgo haec usque ad 726, itemque quae 731 — 736, aliis conscripta leguntur metris, sed vel manifesto perversis, ut hoc loco, ubi vett. edd. sum secutus, vel durissimis et iis, quae vix explices. Sic enim vulgo libri:

Protulit tellus. aut anguis imis
Vallibus editus, annosa supra
Robora sibilat, supraque pinus;
— — — —
— — — —
Effudit arma.
Sonuit reflexo classicum cornu,
Lituusque adunco stridulos cantus
Elisit aere. ante non linguas,

---

*) Similis his versibus ille Attii Aegistho apud Nonium v. celebri, qui versus constat penthemimeribus iamb. et dact.:
Celebri gradu gressum adcelerasse decet.

Agiles et ora vocis ignotae
Clamore primum hostico experti etc.

Quorum versiculorum ultimus et antepenultimus quo nomine appellabuntur? Nisi forte non elisis verbis *aere* et *primum*; quod contra artem, certe Senecae, habeas pro iambicis trim. brachycat. clodis. Sed id fieri non potest. Reliqui hujus generis iambici (dico versus *Sonuit*, *Lituusque* et *Agiles*) cur ab anapaesto incipiunt omnes, ut alibi Hic non solet, velut 730 et Agam. 595, 814, 862? Sentisne, aliud metrum sub his latere? Sic est, neque id difficilius fuit eruere, quam in superioribus alcaïcos illos venustissimos

Aut anguis, imis vallibus editus,
Annosa supra robora sibilat,

quibus subjectus, ut clausula, est iambus hypercatalecticus, quo versuum genere et choriambo dim. brachycatalectico alcaïci constant. Cf. Agam. 824. et quae nos supra ad 475.

733. 735. Sapphici, in quibus contractus choriambus est in molossum, ut Agam. 614, 800. Vid. supra ad 412, 712. His ita digestis, correctorum male feriatorum esse intelligas, quod habent vett. edd. 734: *Non ante linguas* etc. Hiatum sic isti auferebant, qui nullus erat. Ceterum hoc versu vulgo legitur, *et ora vocis ignotae*, quae quid sibi velint, si quis docuerit, nae! is erit mihi magnus Apollo. Quod dum fiat, interim legamus suadeo et *auram* v. i., id est spiritum, Virgilius 7, 646.

Ad nos vix tenuis famae perlabitur *aura*.

An et o, ipsaque vocabula *aura* et *ora*, saepius confusa. Extremo cantico Fern. et Caj. non *zephyris*, ut vulgo, sed *zephyro*, quo recepto numerus τῶν finitarum vocum minuitur.

767. Fern. Caj.: *Redit memoriam*. Scribam: *Redeo in memoriam*. Locutio aeque bona, numeri validiores.

786. *Edissere agedum*. Conf. Herc. Oet. 1617, quem versum laudat G. Fabricius. *Cadat* valet *ceciderit*. Conf. 805, 847, Stat. Theb. 1, 255. etc. Nihil hâc enallage temporum frequentius in poëtis utriusque linguae, quam enallagen mirari miror virum doctissimum. Mox Burdegal.: mollis *excivit* sopor.

793. Vulgo: *Repetam paterna regna*. Meliore versus regione posui vocem graviorem.

803. Vulgo:

Regnum, superbam liberi adstringunt fidem.

in quibus explicandis ne ipsi quidem sibi satisfaciunt interpretes. Recte, me judice, illi, qui: *Regnum superbum*, id est magnificum, de quâ verbi potestate vidd. Gron. ad h. l. et lexica. Merito sic vocatur potens et dives regnum Corinthiorum. Jam, quod

sequitur, *liberi adstringunt fidem* eam habet sententiam, morte Polybi liberos factos Corinthios fidem subjectorum Oedipo praebere. Nam nomen populi repetendum ex praecedente verbo *regnum*, quomodo *turba ruunt* et similia dicuntur. Supra 783:

*Corinthius* te *populus* in regnum vocat.
Patrium.

Praemium suppositionis regina ab Oedipo expectat magnificum Corinthi regnum, ut cujus possidendi etiam sibi ipsi spes sit, ubi rerum potitus fuerit filius adoptivus. Ceteras hujus loci lectiones atque emendationes enarrare longum est.

810. *adice*. Vid. ad Phoeniss. 426.

831. Vulgo: *Ut nil lacessas*. Sed Flor. et vett. edd.: *Nihil lac.* vel *arcessas*. Repone, numero vividiore: *Nihil ut lac.* Sequentibus adscripserat Scaliger: *Τὸ κακὸν εὖ κείμενον οὐ κινητέον*, cum vellet *Τὸ καλόν*. Sed ad verbum illud exscripsit, ut solet, *ὁ δεῖνα*. Restitue versum poëtae alicujus dramatici vel gnomici:

*Εὖ κείμενον τὸ καλὸν οὐ κινητέον*.

837. Vulgo: Si nosse *libeat*. Nimis quidem tyrannice. Dixi de his supra ad 673. Mox Ascens.: Huic aliquis a te *traditus* etc. Vid. ad 786. 852. Flor.: munus infantis.

862. Vulgo, secundum Mog. et Etruscum:

, — — — — fidem.
Per tam cruentas vera quaerenti vias
Ignosce, quaeso, si ferus videor tibi
Et impotens, parata vindicta in manu est.
Dic vera.

Omnia sub Oedipi personâ. Male, si quid sentio. Nam quid attinet, ipsum vias suas dicere cruentas? Et fac dixisse, cur dubitanter addit: *si* ferus videor tibi? Jam quis ferat tormenta minitantem subjicere *Ignosce*, *quaeso?* Haecne res ea, quam ignoscas? Et quam bella ista simul *parata vindicta*, et *in manu est*, ubi alterum sufficiebat! Neque sic MSS. et olim cusi; quanquam nec illi recte, ut temere personarum nomina vel addi vel deleri solent in fabulis; sed utrique, cum a duobus illis discesseris: *Et impotens. jam parta vindicta in manu est. Dic vera.* Recte, modo sic distinguas: — *et impotens: jam parta vindicta. In manu est: dic vera.* Id est: Si ferus et impotens tibi videor: jam habes, quo me ulciscaris, vera dicendo, quod est in manu tuâ. Med. 25: *Parta jam, parta ultio est: Peperi.* Qui locus huic est simillimus, nec male intellectus a viris doctis. Istud *parata* mera est interpretatio. Sed *quaerentur* scribendum fuit pro *quaerenti*, quod alteri, praesertim per compendium scripto (*quaerent~*), non dissimile.

870. *incestum.* Ita codex Tosanus apud Delrium. Alii *infestum*, vel *infandum*.

877. Vulgo:

Redde nunc animos, parens,
Nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.

Sed nihil hic negotii Lajo, vel Iocastae. Lege animos *pares*. Similes reddere, id est edere sive ostendere, se ipse jubet Oedipus animos, quam quibus patrem occiderit et cum matre concubuerit.

884. Vid. supra ad 712. 901. *suum* Burdegal. Vulgo: *suam*, quod ineptum in mare. 907. quod libri habent, *Comes audacis viae*, versum non implet. Putabam τὸ *ad* raptum ab *aud*- sequente. 912. *quassans* plerique vett. In praegressis Moestus *et* famulus (nam sic vulgo) frigidum mihi videbatur. Ceterum vide ad 550.

921. Vulgo: *Gemitus, et altum murmur.* Arena sine calce, quod ille ait. Lege: *Gemitûs et altum murmur*, id est: Murmur gemitûs altum est, verbo substantivo repetito e superioribus.

930. *tuas*, Sic Flor. Pall. Fern. Caj. Vulgo: *tuis*. 941. bene Grotius *Solvendo non es. Solvendo*, ultimâ brevi, ut *Vincendo* in Troadibus etc. Vid. Gron. 943. *supplicis*. Vid. ad Herc. fur. 49. 953. vim nullam habet vulgata lectio. Reponendum hoc vel quiddam simile: *Hem*, flere satis est? 943. Oedipoda. Recte sic scribitur, non *Oedipodâ*. Vid. Nic. Heins. ad Ovid. Epp. 3, 28.

960. *Tantum eruentis.* Tanta scelera in lucem protrahentis. Cf. supra 826, 915. 969. vulgo *sat* est, pravo numero. Sequor vett. edd.

999. rectius sit per*f*udit. Mox libri soloece: *En, ecce*, rapido. *Et ecce* valet Ecce, etiam. 1008. malim cum Lipsio: *Sed* haeret. 1019. libri ταυτολογικῶς: et *parce* auribus. *Parco*: parcam. Cf. Herc. fur. 1295, ubi simile vitium. Sic passim praesens, praesertim apud scriptores dramaticos. Vide, si tanti est, Vechneri Hellenolex. pag. 246 edit. Heusinger., nos ad Plauti Bacch. 859.

1038. Vulgo:

Hunc, dextra, hunc pete
Uterum capacem, qui virum et gnatum tulit.

Gronovius: „Flor. Voss. et omnes fere: *ét gnatos*, ut voluit Gruterus. Sed frustra κακόφωνον in verbo quaerit. Immo, si quid video, scripsit Seneca: *qui virum e gnato tulit.*" At si hoc verum esset, non filio nimirum nupsisset Iocasta, sed nepoti. Nec tamen temere est, quod adhaesit loco vir doctissimus: nam verba *qui virum et gnatum tulit* ambigua sunt, ut qui etiam ita explicari possint, ut Iocasta se et Lajum (*virum*) peperisse dicat et Oedipum (*gnatum*); quod absurdum est. Nullum vulgarius librariorum

scelus, quam intrusae conjunctiones. *) Legendum: *qui virum gnatum tulit*, qui tulit gnatum, qui idem vir futurus esset, seu maritus. Dan. Heinsius ad Phoen. 367: „Illustre est illud Sophoclis, quod Rhetores notant (Oedip. Tyr. 1375):

*κἀπεδείξατε*
*Πατέρας, ἀδελφοὺς, παῖδας, αἷμ' ἐμφύλιον,*
*Νύμφας, γυναῖκας, μητέρας.*"

Quae, sublatis virgulis, sic legenda sunt:

*κἀπεδείξατε*
*Πατέρας ἀδελφοὺς παῖδας, αἷμ' ἐμφύλιον,*
*Νύμφας γυναῖκας μητέρας.*

*Πατέρας ἀδελφοὺς*; et *Νύμφας μητέρας*, plane ut *virum gnatum*.

1046. Flor.: *fallentes*. „Erroribus te committe," inquit Gronovius. Mox MSS. et vett. edd.: *Ingredere* praeceps. Sed concinnior vulgata.

1058.

Violenta Fata et horridus Mortis tremor.

Gruterus: „Blanditur," inquit, „admodum auribus, quod restat in quinque scriptis nostris et Scholiaste, *horridus morbi tremor*, quo signaret *febrim querqueram*, Eumenidum quartam." Et Gron.: „Si blandiebatur admodum *morbi tremor*, cur receptum non est? Certe sic et liber optimus; et profecto non mortui tremunt, sed infirmi." Hocne est cavillari? Si non mortui, at morientes certe tremunt. Sed habeant sibi Furiam suam quartam, quam dignam censuere, quae ipsis Fatis comes adderetur. Nos, repudiatâ febriculosâ istâ lectione, vulgatam servabimus.

---

*) Naevius, ut putant, Lycurgo apud Varr. lib. 6.: Diabathra in pedibus habebat, atque amictus erat epicroco, cum legendum haud dubie sit, restituto troch. tetram. cat.:

Diabathra endo pedibus habebat, amictus erat epicroco.

Attius Decio ap. Non. v. adauctavit: rem summam *et* patriam, ubi similiter reponam:

Quibus rem summam patriam noster quondam adauctavit pater.

# ANNOTATIONES
## IN TROADAS.

In Argumento fabulae sic scripserat versu 2. Hieronymus Balbus:

Evertére dei, longisque oppressa ruinis
Troia domus divum tandem consedit in ignem:
Antiquam in patriamque exoptatosque penates
Argolici remeare etc.

quorum aliud cum mihi videretur inusitatum, aliud minus perspicuum, totum prolixum; limam adhibui; pariterque et in aliis locis horum Argumentorum vel manifesto vitiosa tacitus correxi, velut *fortes* scriptum pro *sortes*, et *percarum* pro *Parcarum* in Argumento Oedipi, et *Exilio* pro *Exitio* in Hippolyti; vel versui prospexi, ut in Argumento Thyestae, ubi apud Balbum est;

Proh scelus indignum! parvos *trucidare* nepotes,

cum non advertisset, produci secundam syllabam in *trucidare*; vel denique nunc addidi de meo necessaria, ut Argumenti Medeae versum ultimum, nunc recidi otiosa et ea, quae non nisi implendorum numerorum gratiâ accita essent, ex quibus est *hunc* illud in Argumento Oedipi versu 4., qui versus sic se habet in editione Caroli Fernandi:

Damnat, et umbrosis jubet *hunc* exponere silvis.

Sed haec hactenus. Cf. argum. Herculis Oetaei. Etiam in argumentis harum fabularum solutâ oratione scriptis inutilia nonnunquam delevimus.

---

Versu 10. cum *prorsus* legeretur, minime male reponendum Grotius censebat *pronus*, id est solem adorans, Persarum more. Quam conjecturam a Dan. Heinsio vehementer laudatam, cum in ordinem recepissent, vicit tamen simplicior Florentini libri lectio. Statim quod habent codd., *ferit*, referendum ad ungulas equinas, quibus campos pulsarint Amazones, ut quas equitatu non minus quam peditatu valuisse narret Diodorus Siculus 3, 54. Nec tamen nolim *terit*, quod utrumque significet. Herc. fur. 539;

Intonsis teritur semita Sarmatis.

Metamorphoseon Ovidd. 13, 237, MS. Berol. *refrixi* pro *retraxi*, et ita saepius erratum.

15. Flor.: *congestis jacent Tectis adusti.* Sed nihil mutem. *Congesti tectis adustis* valet *congesti in tecta adusta;* neque interpretandum cum Gronovio: „Ille excelsus et pinnis turribusque decorus et minax murus jacet inconditus acervus, aedificiis in cinerem versis;" vel sic, secundum Florentinam lectionem: „Illud altum et pulcerrimum muri opus jacet adustum, aedificiis in rudera et informem acervum redactis."

36. *Prior Hecuba.* Proceleusmaticus. Vid. ad Thyest. 289.

46. Flor.: *Aeacis*, unde recte Gronovius: *Ajacis*. Sed non recte jungit *Ajacis armis*, et sic explicat: „Scelus ad aras majus Ajacis armis, id est majus scelere, quod inter arma ad aras patravit Ajax." Quo quid fingi potest durius? Neque huc faciunt, quae vir doctissimus Observat. 4, 8. Distinguendum post *Ajacis*, ut ad ipsas aras majus admissum dicat scelus *Ajacis*, id est Ajacis scelere, quali ellipsi nihil usitatius, Cicero De Officiis 2, 25 §§. 2, 3: Nam et corporis commoda cum externis, et externa *cum corporis*, et ipsa inter se corporis, et externa cum externis comparari solent. Cum externis *corporis* hoc modo comparantur: valere ut malis, quam dives esse. *Cum corporis* externa hoc modo etc. Noster Med. 749, si recte divinavimus: Gravior *horum* poena sedeat conjugis socero mei, id est Poena gravior horum poenâ. Sic passim. Jamque intelligitur, *τὸ armis* pertinere ad *ferox*, et aptissime his verbis significari Neoptolemum potius, quam nomine appellari propterea, quod ejus nomen tanto odio est apud Hecubam, ut etiam pronuntiare palam vereatur. Infra juvenis Agamemnoni 309:

*Hâc dextrâ* Achilli victimam reddam suam.
Quam si negas retinesque: *majorem dabo,*
*Dignamque, quam det Pyrrhus.* Et nimium diu
A caede nostra regiâ cessat manus,
Paremque poscit Priamus.

Estne hoc *armis ferocis* et ejus, in quem cadat, quod ait Agamemnon 253:

Juvenile vitium est *regere non posse impetum?*

*Furentem caede* dicit Virgilius Aen. 2, 499. Cf. Dan. Heinsius infra ad 255. — Sequente versu malim *comis tortis*, ne duplice dativo ejusdem numeri offendamur. Mox Fern. non *e jugulo rediit*, ut vulgo; sed *e j. redit*, id est *rediit*, quod in versum quadrat. Vid. ad Herc. Fur. 49.

59. *despondet.* Cruserianus codex: *deposcit*, quod tuetur Isacius Pontanus; sed frustra.

65. Jacobus Gronovius in schedis Dietz.: „An: *et justa Trojae: facite jamdudum sonet* etc. Med. 905: faxo sciant. Oed. 698: facitis exemplum." Sed hoc est in plano labi.

Ceterum de primis quatuor hujus scenae versibus, similibusque aliorum scriptorum linguae utriusque locis ἠθικῶς disputat Muretus Var. Lect. 16, 15; qui magnam partem hujus tragoediae versibus graecis animi causa expresserat.

72. Male libri: Cybele, vel Cybelle, secundum Avantium. Res in vulgus nota. Mox Flor.:

*Decumas* secuit messor aristas,

ubi vulgo *Decies;* bene quidem, sed jam similiter malim in superioribus:

*Decumis* nivibus canuit Ide.

Sic longe haec concinniora.

82.

Non indociles lugere sumus.

Huic simile est, sed elegantius, illud supra:

Non rude vulgus lacrimisque novum
Lugere jubes.

Dormitavit bonus Seneca.

87. *remissâ.* Commemorant aliam omnes lectionem hanc, *revulsâ*, quae in quo tandem libro exstet, cupiam edoceri. Nam quod Fabricii sic habere ait Lovaniensis, quo libro careo, Fabricius ipse laudat, tanquam ab se perscriptum in suâ editione, *veste remissâ*, monetque tantum esse in aliis *revulsâ*.

103 sequ. Vulgo: *cadat*, *tegat*, et haec omnia usque ad 117. sub Hecubae personâ. Sed recte Gronovius: „Liber," inquit, „optimus *Cadit* et *imumque tegit*, non *utrumque tegat*. Suspicor haec verba esse Chori, non Hecubae. Illa jam ante imperaverat, ut crinem solverent cineribusque adspergerent, ut veste pectora nudarent. Ad prius respondent Iliades versu 98. *Solvimus crinem* etc. ubi mentione cineris factâ interloquitur Hecuba: *Complete manus. hoc ex Trojâ sumsisse licet.* Pergunt Iliades exsequi imperatâ priora, et vestem dejiciunt dicuntque simul: *Cadit — latus.* Rursus Hecuba: *Jam nuda* etc. Nihil commodius. *Imum latus suffulta* est utero tenus substricta." Ceterum 107 libri fere:

*Exprome dolor tuas*,

immissâ interpretatione, quae turbat metrum. Sequimur nos Ascensium et Aldum. Mox Flor., monente Jacobo Gronovio in schedis Dietz.: *Pulsu pectus tundite vasto.* In proximis autem Fern. et

Cajet.: *Tibi dextra ferit nostra*, non, ut vulgo: *T. nostra f. dextra*; quo forma orationis variatur. Flor., notante Jac. Gronovio in iisdem schedis: *Haec tibi ferit*, quod fuisse videatur *Ferit haecce tibi dextra lacertos*. Sed eo nihil opus. Idem codex 121 sequ. *fluat*, *manet*, „melius plane," inquit ibidem Jacobus, „ut Med. 808." Sed non persuadet.

135. Male edd.:

Bis pulsata Dardana Grajo.

Ferendus trochaeus in versibus anapaesticis extremis, non mediis, ut monui ad Thyest. 832. Vitium metricum animadvertentes, puto, fecere *pulsari*, quod pleraeque edd. habent vett. Delrius transponit:

Dardana Grajo bis pulsata.

Sed seorsim poëta posuit verba *Bis pulsata*, ut totius sententiae gravissima. Vid. infra Ascensius ad 404.

150. Vulgo libri:

Non ille duos *vidit* Atridas,

quasi nunquam vidisset illos Priamus. Flor.: *videt*, „bene," inquit Jacobus Gronovius ubi supra: „nam saepe vidit, sed non tali victoriâ superbos." Sic etiam Ascensiana editio. Et sane, si alterutrum horum servandum sit, servabimus τὸ *videt*. Sed neque hoc sanum, nisi cui forte placeant ταυτολογικῶς composita *videt* et *cernit* in eâdem oratione:

Non ille duos *videt* Atridas,
Nec fallacem *cernit* Ulyssem.

Fallor, an reliquit Tragicus:

Non ille duo *vilis* Atridas,
Nec fallacem cernit Ulixem.

*Vilis*: captivus, neque ullius pretii senex, oppositus ille quidem magnificis regibus, a quibus victus fuit, Agamemnoni et Menelao. Supra de se ipsa Hecuba 58: Praeda quem *vilis* sequar? Thyest. 996: Omnis in *vile hoc caput* Abeat procella. L et d, itemque s et t, extremae praesertim vocabulorum, litterae similes nonnunquam in MSS. Infra 166. Lips. et Flor. *tulit* pro *videt*, quod rectum, ut vel 160. conferenti liqueat, etc.

153. Recte, ut opinor, Gron.: „Non videbit statui de se tropaeum; vel inter triumphi fercula se portari instar tropaei cum suâ imagine sedentis supplicis et nudi et alligati." Plura vide apud ipsum, et cf. G. G. S. Koepkii, viri doctissimi, librum vernaculum De re militari Graecorum aevo heroïco pagg. 233 seqq. Mox Fern. Caj. Ald. *Latis* — Mycenis.

167. *O longa*. Sic Flor. Vulgo: *Quam longa*, quod minus

viridum. Optimum secutus librum sum etiam infra 180, ubi vulgares: *Nec sola tellus tremuit.*

174. Vulgo: *Stringebat. ortus* etc. Sed Flor.: *Stringebat ortu. vicerat* etc. Quam distinctionem probo, sed *τὸ ortus* retinendum puto, et cum nomine *Titan* conjungendum, quia efficacius est, *diem* opponi *nocti*, quam *ortum diem nocti.*

182. Abest hic versus a Fern. et Caj. Mox Flor.:

Ite, ite inertes. *Manibus meis debitos*
Auferte honores.

ubi vulgo: *debitos manibus meis, manus* obtrudente vulgo interpretum, ubi agitur de *Manibus*, ut infra 296. Quibus interpretibus recte obsistens Gronovius: „Magnum," inquit, „vitium suspicor objectum huic loco, et scripsisse Senecam: manibus *justos* meis A. h. Ut in Medea:

Conjux socerque *justa* jam functis habent,
A me sepulti.

Cujus interpretatio, *debitos*, expulso germano in contextum migravit." Nimis confidenter hoc vir doctissimus; neque intelligo, cur mutanda sit lectio Florentina, nisi forte ad *meis μονοσυλλάβως* pronuntiandum offendit Gronovius. At ejusmodi synaeresis frequens apud poëtas, ut docent grammatici; minimeque omnium eâ Nostrum abstinere, exemplis prolatis bene multis ostendimus ad Herc. fur. 49. Velius Longus in libello de Orthographiâ pag. 2236 Putsch.: (Antiqui) „etiam," inquit, „*miis*, non *meis*, ut Terentius (Heaut. 4, 3, 21.): At non (leg.: enim) istoc nihil est magis, Syre, *miis* nuptiis advorsum." Jam cum dixerint *deis, diis, dis*, quidni simili ratione *meis, miis, mis?* Sic existimo, et apud Senecam, ejusmodi *συναιρέσεων* amantissimum, neque abhorrentem a vetusto sermone (vid. ad Herc. fur. 999, Oed. 412), sine cunctatione reponendum puto:

Ite, ite inertes! Manibus mis debitos
Auferte honores!

197. Ita Flor. (Mogunt. quoque et Herbip. et Caj.: *ac* magno, non *at*, ut vulgo); quod conjecturâ olim assecutus Dan. Heinsius: „Alludit," inquit, „operis Homerici initium, celeberrimam illam *μῆνιν*, quae, ut ibi legitur, *μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε.* — Cogitent studiosi, se audire illud,

*Ὅς καὶ πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα,*
*Ἠδ' ἔτι καὶ λύσει.*

Qui solvit, et solvet." Supersedebimus igitur Gronoviano *et magno luet, Ni sponsa nostris* etc. Mox et Fern.: *nocte divisit* diem.

209. Vulgo ante Gronovium:

Impulsa Troja corruit tandem solo,
Brevi repensans, quidquid adjecit morae
Scyros, fretumque Lesbos Aegeum secans.
Illo remoto, dubia quò caderet, stetit.

De quibus vir praestantissimus: „Quo magis," inquit, „considero, eo planius fit mihi, laciniam istam *corruit tandem solo Brevi repensans* esse inepti et audacis fartoris, Senecam autem scripsisse, ut habetur Florentiae: *cujus unius manu Impulsa Troja, quicquid adjecit morae Illo remoto, dubia, quo caderet, stetit.* Sensum en rotundum expeditumque: cujus manu in occiso Hectore labefactata Troja, quicquid superfuit post mortem ejusdem Achillis (hoc enim est *Illo remoto*), non stetit firma et nixa vestigiis suis, sed extraxit breve momentum titubando et quasi deliberando, quam in pàrtem procumbèret." — „Versum *Scyros, fretumque Lesbos Aegéum secans*, hic otiosum et alienum, eaedem membranae reddunt infra ante versum 231, ubi adhuc aenigma nemini intellectum obhaeserat." Et hunc quidem versum infra collocandum esse, quo loco exhibet eum Flor., nemo dubitare sanus potest. Sed verba *corruit — repensans* ab inepto nescio quo corruptore profecta esse, non adducor ut credam, quae neque rudia sint, et eandem fere ac Florentina habeant sententiam, hoc modo interpuncta:

—— cujus unius manu
Impulsa Troja corruit tandem solo,
Brevi repensans, quidquid adjecit morae:
Illo remoto dubia, quo caderet, stetit.

id est: cujus unius manu Impulsa Troja *brevi* corruit in solum: *nam* illo remoto dubia tantum stetit, quo caderet. Et Fernandi quidem liber: *morae. Scyros* etc. Verbosior haec lectiò et minus exquisita; altera pressior ac tersior. Dicendus igitur ille primus Tragici conatus, haec manus ultima. Scatent *διττογραφίαις* hae tragoediae.

229. nutrit. Lipsian. et Mog.: *mittit.* Mox Flor. et Delrii liber: Et *cara* Phoebo, ubi vulgo: Et *sacra.* Homerus Il. 1, 37:

*Κλῦθί μευ, Ἀργυρότοξ᾽, ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,*
*Κίλλαν τε ζαθέην* etc.

ubi vidd. Scholia. 235. minus recte libri: Alterius *esset* gloria etc. Similiter infra 361. Fern. Caj. *Dat* signa, et sic saepius erratum.

236. *Achilli.* Sic Fern. et Veneti: nam vulgo *Achillis.* Illud et elegantius, et variandae orationi. Statim Basil.: Ut alia sileam *multa*, non unus satis Hector fuisset? quod non miror placuisse Raphelengio. 241. expressi Florentinum, cujus eam lectionem lau-

dat Jac. Gron. in schedis Dietz., ut *primus* infra 255, *trucis* sequente ibi versu, *hominis* 303, *aequora* 350, *poscent* 356. Vulgo:

—— Inclitas laudes juvat
Et clara magni facta genitoris sequi.

Hanc lectionem an illam eligas, ad sententiam nihil interest, multum ad formam orationis.

247. *saeva.* Ita Flor. Ceteri libri *versa*, quod non esse de nihilo mihi videtur. Narrat Dictys 3, 15., Penthesileam, caede Hectoris territam, cum in eo esset, ut cum Trojanis copias suas conjungeret, redituram fuisse in patriam, nec nisi precibus donisque persuasam mansisse. Recte igitur *versam* dicas, et proprie. Nec non interpretari possis *in fugam versam*, non ipsam quidem, sed ejus exercitum, quem fusum a Graecis terga dedisse, relictâ reginâ, itidem auctor est l. l. Dictys. Reges pro populis, duces pro exercitibus, dici solent. Statim Flor. Etsi *ex* Mycenis, ut Fern. Caj.

253. Mog.; omissa particulâ: *solita jam facta expeto*, et in sequentibus: *impetus*, quod praestat vulgato *impetum.* 259. Pall. Flor. et vett. edd.: *nobiles* clari ducis A. *umbras*, recte probante Commelino, nec renitente Gronovio, qui laudat simile illud *Umbrae* Creontis pro Umbra Herc. fur. 495. Vide ad Phoen. 368. Paulo post Mog.: Troja nos *timidos* facit, ut volebat Lipsius; male nihilominus. 273. Flor.: *aliis.* Sequente versu recte legi arbitror, ut vulgo:

Tu me superbum, Priame, tu timidum facis.

id est: Tu me *superbum* quidem facis, sed etiam *timidum*; argutâ oppositione adjectivorum, ut in illis infra 305:

O *tumide*, rerum dum secundarum status
Extollit animos; *timide*, cum increpuit metus.

Gronovius tamen ita haec distinguebat: *Tu me superbum, Priame? tu timidum facis.* „Aliis," inquit, „haec victoria ferociam et immanes spiritus daret: me vero tu, o Priame, superbum faceres? tantum abest, ut etiam timidiorem feceris. Sic in Agam. 526. *Vehit ista Danaos classis? et Troas vehit.*" Cui adstipulatur J. Rutgersius Var. Lect. 6, 17.

277. *rapiat.* Id est: fieri potest, ut rapiat, ἀφαιροῖ ἄν. Vulgatum *rapit* alienum est, siquidem pro certo affirmare Agamemnon haud potest, ita esse eventurum. Mog. et Ascens.: *rapit;* quomodo et infra variant libri 803, ubi vid. Gruterus.

293. Vulgo: *vocem, Non patiar.* Sed Gron.: „Flor. *vocent? Non patiar.* Quasi intelligat Graecos faventes. Nam et sequitur *culpa cunctorum.*" Mox vulgares libri: *quando in inferias homo est Impensus homini?* Sed Flor.: *hominis*, quod fuisse puto *ho-*

*mini*), id est *homini est.* Certe hoc recepto et plane exauditur *homo*; vox gravissima, et elegantius collocatum est verbum substantivum. 306. idem liber, monente Jacobo Cronovio ubi supra ad 241.: cum *increvit* metus, non *increpuit*, ut vulgo, quod verbum minime huc facit, illud est aptissimum. Med. 943:

— — Ira pietatem fugat,
Iramque pietas. Cede pietati, dolor!
Huc, cara proles, unicum adflictae domûs
Solamen, huc vos ferte, et infusos mihi
Conjungite artus! — — —
— — — — —
— — Rursus *increscit* dolor,
Et fervet odium.

308. *subito.* Ferr. Caj. Ald.: *solito*; quod pertinet ad confusionem o et n, itemque b et l, litterarum, minime insolitam in MSS. Sed foedius restat ulcus in verbis *ac Veneris novae?* Gronovius: „Non," inquit, „videntur satis cohaerere cum praecedentibus. Aut igitur deest versus hâc sententia: *quoties te desiderium et cupiditas subiit*; aut sublatâ distinctione sequentibus hoc jungendum, quasi dicat: *et tune solus de nobis toties capies spolia Veneris novae?* id est rapies e domo nostrâ puellas, quas mutato amore deperire coepisti?" Sed de versu omisso fabulae; alterumque illud remedium si adhibendum videretur, legendum esset *Solus*, non *Solusne*, quia in superioribus est *jamne*, quod huc pertinet. Legendum censeo:

Jamne flammatum geris
Amore subito pectus, ac *veneres* novas?

Oedip. 944.: supplicis eadem meis *Novetur.* Agam. 183: marcet ac Veneri vacat, *Reparatque amores. Veneres*, amores, amasias. Res nota ex Comicis. Τὸ *novas* adjectivum perperam existimantes librarii mutaverint.

310. victim*am* redd*am* su*am*. Insuave ὁμοιοτέλευτον. Malim *reddo*, ut saepius pro futuro usurpatur, neque ineleganter, tempus praesens. Vide nos ad Plauti Bacch. 859, et infra in indice v. *praesens.*

321. *tremens.* Fern. Caj.: *timens*, quod melius convenit sequenti At non *timebat* etc. Sed trito vocabulo cedere nolim elegans, potiusque reposuerim: At non *tremebat* etc. Eodem verbo utrumque uti, ut iratum, valde efficax. Vid. ad Med. 852 seqq.

329. *isdem.* Vulgo: iisdem. Vid. supra ad 182, Herc. fur. 49. Mox libri: *At* nunc misericors etc. Flor.: *Et*, „acriore ironia,"

inquit Gronovius, et recte. 343. etiam Ascens. et Ald.: Scyrus animos, suaviore sono, ut monet vir doctissimus.

349. *omne* etiam Fern. Caj. Ascens., ut non sit, quod de lectionis ejus veritate amplius dubitemus. Mox Caj. et Ascens. *petit*, id est petit, non *petiit*, ut vulgo, corrupo metro. Vide quae ad Herc. fur. 49.

357. *ratis.* Sic schedae quaedam Delrianae, vitato quidem ὁμοιοτελεύτῳ, et formâ orationis variatâ. Vulgo: *rati.*

363. *Calcha.* Jacobus Gron. in schedis Dietz.: „Flor. Calchat, idemque Pelias Med. 201.“ Mox pravâ vulgo interpunctione:

Sed quo jugari Thessalae cultu solent,
Ionidesve, vel Mycenaeae nurus.
Pyrrhus etc.

Sequor Schroedero laudatum J. Rutgersium Var. Lect. 6, 17. 372. Mogunt.: turre de *dura.* Fern. Caj. Ascens.: *quaerunt dura reclusus* (Ascens. *reclusum*:) *cadat.*

382. *An toti morimur.* Jacobus Gronovius in schedis Dietz.: „Florentinus,“ inquit, „*Ac* t. m. Apparet, non interrogationem esse, sed interjectionem ai vel ah. 1014. Flor.: semper a semper. Phoen. 524: patriste. Leg.: ah triste. Med. 139: melius, ah melius; et ibidem 930: ah demens, delente interjectionem Florentino. Idem Herc. Oet. 346: manibus *avellam*, non *evellam.*“ Non male Jacobus, et h quidem in n saepe mutatum est, ut *an* pro *ah* scriptum qui contendat hoc loco, me non refragante fecerit; quomodo Terentius Phorm. 3, 3, 8: *Ah!* dictum sapienti sat est; et passim ita indignantes. Nam illud *Ac* Florentini potius *At* fuisse crediderim, quae voculae et similes saepissime confunduntur. *At* primis orationibus quam sit elegans, nemo nescit. Plautus Aul. 13:

*At* ut scelesta sola secum murmurat!

Et sic passim.

388. Jacobus Gronovius ibidem: „Florent.,“ inquit, „*bis* veniens vel fugiens. Bis lavat quotidie, vel duplici modo, refluens et accedens.“ Nobis ea lectio minus placet cum alias ob causas, tum quia sequitur *bissena.*

396. MS. Anglicanus apud Pontanum: *calidas* fumus, ut volebat Delrius. Idem liber et Cruserianus, itemque Fern., sequente versu: sordi*bus.* Nihil muto. Mox vulgo edd.:

Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,

cum pridem recte haec Avantius distinxisset.

399. *disjicit.* Lipsianus: *dissicit.* Flor., teste Jacobo Gronovio in schedis Dietz.: *dissicat.* Vett. edd.: *dissipat.* Mox liber Mogunt.: Quaeris, quo *jaceant.* Ad quem locum Ascensius: „Quae-

ris, quo loco jaceas post obitum? Respondet: Eo, quo non nata jacent, id est nusquam. quae sententia cum sit gravissima et firmissimum habere videatur argumentum ad animae extinctionem probandam, poëta datâ operâ hemistichiò clausit." Cf. supra 135, ubi item, et eâdem de causâ, seorsim posita verba *Bis pulsata*. Sic autem cujusvis moduli versus breviores, dimidiati praesertim, pro clausulis usurpari solent (vid. ad Ag. 829, Phoen. 319), nisi quod anapaestico paroemiaco nescio quam ob causam et Noster et scriptor Octaviae prorsus abstinent, quem versum Graeci et veteres Latinorum Tragici frequenter usurpant.

417. *Mihi cecidit* olim.] Gronovius: „Vitium," inquit, „versus *non tolerandum*. Sed contrahenda pronuntiatione prima vox, quasi esset *Mi* cecidit. Neque enim mavis *Mihi cadit olim*." Sic et infra versu 949. offenditur, qui sanissimus est, et Octav. 117. Sed rei metricae ignarus erat vir doctissimus. Vid. ad Thyest. 289. Ennius Cresphonte apud Macrob. Sat. 6, 2, quem locum male digerunt:

> Neque terram injicere, neque cruenta convestire corpora i. terram.
>
> *Mihi licuit*, neque miserae lavére lacrimae salsum sanguinem.

434 — 438. *Stygis — aequa mors est*. Haec Andromachae vulgo tribuuntur, neque illi vel verba *Solisne — mors est* eripi patitur Gronovius, ut eripuerant Scaliger et Scriverius; sed nescio quem impetum praetendens animi παθόντος τε et saucii, variisque permotionibus affecti et flagellati, quali nusquam in totâ hâc scenâ loquatur senex, sequi se ait h. l. Florentinum ceterosque omnes libros, sed ita, ut verba *Solisne — mors est* parenthesi includantur, tanquam suspirium indignationis, post quod continuet sermonem institutum Andromache. Haec argumentatio cujusmodi sit, non libet dicere. Certe non tale πάθος inest his versibus, ut a sene commoto pronuntiari recte non possint. Sed missum faciamus πάθος, ipsamque loci sententiam excutiamus. Cuinam, quaeso, dicat Andromache, id quod neque Graecorum neque Trojanorum quisquam ignorabat, *Stygis claustra laxata esse*, et umbram Achillis emisisse? Et fac, ista non narrantis esse, sed eventum novum atque dirum mirantis horrentisque, quid id ad rem praesentem? Totus mulieris animus defixus est in visâ per noctem umbrâ conjugis; idque somnium amicis et amicabus indicatura prodit in scenam. Quo igitur istius visi, quod ad Hectoris nullo modo pertinet, ambitiosa commemoratio? Inepta sane haec; quibus cumulum addunt verba *Solisne* etc., eidem Andromachae obtrusa, ut scilicet, an solis

Graecis pateat reditus ab Inferis, ea ipsa quaerat, quae modo conspexit umbram Trojanam, et quidem mariti sui. Quin senex, moestam videns Andromachen, ubi audivit, aliud ex alio malum timere miseram mulierem: Et quas, inquit, alias clades reperire, iisque nos afficere possit, si velit, deus? Novi quidem aliquid nunc accidit: nam Achilles perrupit Acherontem, Troësque eversos etiam umbra territat? Sed solisne id Graecis mortuis concessum est? Certe aequa mors est. Quidni etiam commune sit omnibus jus ab Inferis redeundi? Cui Andromache respondet, ceteros quidem omnes conspectâ Achillis umbrâ perculsos esse; sed aliam sibi esse metus causam. Itaque narrat somnium.

461. *expulit.* Vulgo: *excutit.* Illud et aeque bonum, et Florentini codicis auctoritate munitum est, cui codici, ut omnium probatissimo, ubicunque salvâ ratione fieri potest, obtemperandum censeo. Mox libri: *abit.* Sed requiritur perfectum. Vid. ad Herc. fur. 49.

472. Vulgo Cervice *latâ*, quae tauri magis laus est, quam hominis. Flor.: *jactâ.* Gronovius: „Haec verba pronunciantur cum gestu Astyanactis, motâ paulum cervice comam disjicientis. Quod in puero est alacritatis signum. Hippolyto:

Sic temere jactae colla perfundant comae.

Sic *Δωριέες τε τριχάϊκες* Grammaticis antiquis *οἱ συνεχῶς τὰς τρίχας διὰ τὸ δραστικὸν κινοῦντες.*" Vide plura apud ipsum.

473. Vulgo:

O nate, sero Phrygibus, at matri cito

Eritne tempus illud etc.

Sed τὸ *at* in plerisque codd. tam scriptis quam impressis non legitur; sententia autem nihili est, soloeca verba. Flor.: O n. s. Ph., o matri c. Ocius repone:

O gnate, sero Phrygibus et matri, cito

Eritne etc.

id est Serone, an cito, per hyperbaton. Nihil planius. Sic et infra 754. vulgo: o scelerum artifex; at Flor. et vett. edd.: *et* scelerum. Et sic passim compendium conjunctionis turbavit. Mox Flor.: *qui locus*, non *quis locus*, quae est illius interpretatio.

483. Vulgo: *invidiae capax.* Flor.: *inv. gravis.* Gron.: „Amplius hoc. *Capax invidiae*, cui potest invideri; *gravis invidiae*, cui jam invidetur, quod jamdudum gravatur nec ferre potest invidia." Possis etiam genitivum intelligere, ut *arx invidiae gravis* dicatur, quomodo haec et similia: *vir magni vasi, juvenis bonae spei.* Et hoc malim.

502. Malim: quae regio *seductum* invia Tuto reponet. Ita *seductior* apud Persium. Infra 518: teque *diversam* amove. Scriptum *seductū* ita degenerasse puto, ut passim a et u litterae miscentur. Longe lenius est *seposita* pars domûs Thyest. 231. Statim Flor. depravate: *Turrisque* latebras, ut monet Jac. Gron. in schedis Dietz., et 522 Cephallanum (Fern.: ceph-lanus), „dorice," inquit Jacobus. „Sic Seleucenes (?) Justin. prol. 42. (?) Herc. Oet. 777 Caphereus, 804 Capherides." 524. etiam Fern. et Veneti: *et Stygis*.

526. *Ulysses*. Quod Delrius hoc loco, idem et mihi monendum puto: „Plutarchus et latini grammatici et MSS. (item vett. edd., ut Fern. Caj.) docent latine scribendum *Ulixes*. Sed sequor consuetudinem communem." 537. Fern.: augur *hec* C. c., sed versu proximo idem et Caj. augur *hoc*. Idem sane utrobique reposuerim. Similiter Fern. infra 577: *quae* fari abnuis, et elegantior quidem est pluralis, quem et Graeci fere in hoc genere usurpant. Cf. Med. 28, Agam. 263.

546. *matri*. Matrem dici arborem propter ramos, docet J. Rutgersius Var. Lect. 4, 16, monente etiam Schroedero ad h. l. Mox quod nunquam bene jacere Ulysses dicit Trojam, significat nunquam sic jacere, ut timenda non sit amplius. Contra Andromache infra 746:

> Non sic jacemus Troës, ut cuiquam metus
> Possimus esse.

555. libera *Grajos* metu. Ita quidem Lipsian. et Etruscus; sed modo legimus: Magna res *Danaos* movet. At, inquies, supra 448 similiter:

> Non qualis ultro bella in *Argivos* ferens,
> *Grajas* petebat facibus Idaeis rates,
> Nec caede multâ qualis in *Danaos* furens etc.

Fateor, neque illum quoque locum mihi valde placere dico, sed ferendum esse, quia sic ibi omnes libri, cum hic ceteri praeter istos duo praeferant *libera nos hoc* metu. Reliquisse Tragicum puto: libera *nostros* metu, quod explicantes adscripsere *Grajos*. Virgilius Aen. 2, 149: *Noster* eris. Similes et pares numero ductus *τῶν nostros* et *noshoc*. 567. Fortuna quae *possedit?* Expectâris *possidet;* sed similiter Herc. fur. 629: regna *possedit* Lycus. Herc. Oet. 1600. secundum editionem Caroli Fernandi antiquissimam: *Passus* an pondus titubavit Atlas? passus et adhuc patiens. Ovidius Met. 1, 355: *possedit* cetera pontus. Vide et ad locum Herculis Oetaei.

573. *Ulyssen*. Sic infra 991 et 1103 ediderunt, secundum Florentinum; et recte in auctore graecissante. Quidni hic quoque,

constantiae causâ? Ceteri fere libri et hic et alibi *Ulyssem* vel *Ulixem*.

577. Ante hunc versum inculcanda mihi videntur verba *Stulta est fides* etc. quae vulgo vel ante 591. leguntur, minime quidem apte, si quid sentio; vel post 585, cumulatis sententiis, quo etiam Delrius offendebatur; nec placet Gronovius, ista inter 590. et 591. inculcans, auctore quidem codice Florentino.

594. *parvis liberis.* Cur *parvis?* Quid hoc ad rem, quamvis infantes sint Astyanax et, quem Ulysses causatur, Telemachus? Liberorum, non parvorum liberorum, causa hic agitur, et Graecorum: nam si liberorum in genere, quidni etiam ipsius Astyanactis? Legendum haud cunctanter: *patriis* liberis. Haec vocabula non semel confusa. Infra 792:

Concede, *parvos* ut meâ condam manu
Viventis oculos.

ubi item scribendum *patrios*, id est patris similes; nam 648 mulier:

Testor immites deos,

— — — — —

Non aliud, Hector, in meo gnato mihi
Placere, quam te.

Hipp. 899.:

Regale *parvis* asperum signis ebur,

ubi recte vir sagacissimus: *patriis*. Ovidius Met. 4, 283: Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores, cum legendum sit in *patrios*, in flores patriae suae, Ciliciae. Ceterum Flor.: *movet*, et 598:

Invita, Ulyxe, gaudium Danaïs dabo.

610. Male edd.: *Danaïdae credent tibi?* quasi de hoc Ulysses dubitet, cui facile quidquid credebant Graeci. Imo temere sibi credituros dicit, nisi rem meliùs exploraverit: nam matri non habendam esse fidem. Similiter Herc. Oet. 1178: femina Herculeae necis Auctor feretur; auctor Alcides quibus? Mox non male Fern. divisis verbis *jure jurando.* 618. Flor.: *Nunc* totum, ubi vulgo: *Et* totum. Vid. ad Octav. 790.

619. Libri:

—— Moeret, illacrimat, gemit,
Et huc et illuc anxios gressus refert,
Missasque voces aure sollicitâ excipit.
Magis haec timet, quam moeret.

Ergo propterea quod *moeret*, *magis timet quam moeret.* Quo quid ineptius fingi dicive potest? Atqui vett. edd., cum ab Aldi disceseris: *Sed* huc et illuc. Legendum

Moeret: inlacrimat, gemit.
*Sed et* huc et illuc anxios gressus refert,
Missasque voces aure sollicitâ excipit;
Magis *hôc* timet quam moeret.

Magis *hôc* (nam vulgo: M. *haec*) quidam apud Commelinum; id est propter hoc, eo signo. Ait Ulysses, moerere quidem Andromachen, ut quae inlacrimet et gemat; sed eandem anxiam ire et redire, verbaque alterius sollicitam captare: inde colligendum, magis eam timere quam moerere; filiolumque ejus adhuc in vivis esse. Similiter conjectantem vide ipsam Andromachen supra 526 sequ. Asyndeti autem amans Noster, si quis alius, ut monui ad Herc. fur. 649.

629. *hâc parte quaerenda est mihi.* Quid quaerenda? et quae? Andromache, quae adstat? Quis ita loquitur? aut quid huic simile habet, quod supra est, *Scrutare matrem*? Lege mecum: hâc parte quaerendum est mihi. Vid. ad 502.

662. *Hector est illinc tuus.* Sic Pall.: nam vulgo libri: *illic.* Statim: *utrinque* est Hector. Supra 647:

*Hinc* natus, *illinc* conjugis cari cinis.

687. *Vel umbra satis es.* Ita Ascens. et Ald. et ex recentioribus Delrius. Sed etiam Fern. et Caj.: Velis umbra satis es: ut non fuerit quod τὸ *es* Grotio acceptum referrent. Euripides (ut certatim monent) Hercul. fur. 494:

Ἄρηξον, ἐλθὲ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι·
Ἅλις γὰρ ἐλθὼν ἱκανὸν ἂν γένοιο σύ.

ubi Dan. Heinsius: ἱκανός.

689. Jacobus Gron. in schedis Dietz.: „Vulgo: *erue*, ac si haberet unum satellitem, cujus manu jam incepisset disjici monumentum. Flor.: *eruam*, recte: sic rursus interfatur.“ Supra 667 seqq.:

Responsa peragam: *funditus busta eruam*
—— *Pergam*, et e summo aggere
*Traham* sepulcra.

Et sic solent, quibus aliquid operis commissum est. Plures satellites fuisse, versu 682. intelligitur; unde Ascensius pro arbitrio: *Eruite* cuncta funditus. Ceterum Fern. et Caj.: An sola *cerno*?

690. Vulgo: ruinâ *mater* et gnatum et virum Prosternis unâ. Jacobus Gron. ibidem: „Indecorum,“ inquit, „et inconditum est hoc loco solum illud *mater*, quod uni respondet *gnatum*. At quum gnato junxerit virum, debuit quoque agnosse in sese duos affectus et in filium et in maritum (Hippol. 1215: Caelebs et orbus), h. e. non mater modo, sed et uxor appellari debuit. Itaque mater omnino non convenit. Corrigebam: ruinâ *pariter* et gnatum et virum. Sic prorsus Seneca Med. 757: *Pariter*que mundus lege con-

fusâ aetheris Et solem et astra vidit. Agam. 433: Splendetque classe pelagus et *pariter* latet; ubi male *partim* Grotius. Herc. Oet. 104: Cui *pariter* dies et fortuna fuit. 280: Num flamma cursus *pariter* et torrens ferent? Phoen. 327. Prohibe *pariter* et bellum et nefas; ubi nescio cur ita maluerint, quum Flor. habeat *scelus*. Agam. 756, Herc. für. 1060, Hippol. 194, 1101, 1178, Oed. 53. Justin. 12, 11: exactio pariter ac solutio difficilis erat. Et 35, 1: Victumque vitâ pariter ac regno spoliat." Sic ille, a quo prolatis locis alii bene multi addi possent, inprimis Ovidii. P et M litteras confundi monuimus ad Plauti Mil. 678. Cum igitur forte perscriptum esset *pater*, pro *pariter*, mox aeque facili errore factum *mater*. *) 695. rectius sit *Premat ve:* nam utrumque accidere vix potuit, ut et pater filium premeret, et filius patrem.

701. Commelinus: „Quicquid misero datur, id Fortunae datur: ut, si quando ipse miser fias, illa tibi beneficium acceptum referre jure teneatur." Statim vett. edd. et Delrius aliique recentiores: Solamen *hic* est. 711. Flor.:

Hic est, hic est terror, Ulixe.

720. etiam Fern. et Ald. *vulnera* pro *funera*; quae verba non ita raro confunduntur, ut observavi in Vindiciis Ovid. ad Metam. 6, 282. Cf. Octav. 944. Causa depravationis f et v litterarum affinitas. 739. vett. quaedam edd., in his Fern. et Caj. *feret;* et paulo post rectius eaedem: *Spiritus genitor facit.* (nam vulgo: facit?) ut intelligamus, objectionem esse. De versu 754 vid. ad 473.

785. Tiber. Hemsterhusius ad Luciani Dial. deor. 12. (ὁ δὲ αὐλεῖ τῷ κέρατι) ubi monuit, inconditum tibiae Phrygiae et gravem sonum adglutinato cornu exasperasse, unde κερασφόρον αὐλὸν dixerit Aristides Quintil. 3. p. 147: „Hinc," inquit, „manifestum est, cur tibiam Berecynthiam vel Phrygiam appellarint κέρας sive *cornu*; Latini quidem frequentissime. Seneca Troad. v. 785: *Revocante flexo concitos cornu modos.* Interea dum quis explanandum suscipiat, quid sit *revocare modos*, legerim equidem *reboante*, quod quam proclivi lapsu depravari potuerit in *revoante*, *revocante*, obscurum non est. Lucret. 4, 549: *Aut reboant raucum retrocita cornua bombum*" etc. Ita vir doctissimus, nec male quidem, nisi quod haec eâdem ratione dicta videantur, quâ illa et similia *revocare aliquid in lucem*, *revocare studia intermissa*, et hoc ipso loco *referens* sacrum. Cf. Herc. f. 1212.

---

*) Etiam b et m litterae miscentur, velut Thebaïdos 2, 181 non: Mox (tigris) ruit in turmas, sed legendum est: M. r. in turbas.

787. Cincinnius efficaciusque hoc fuerit:

O morte dirâ dirius leti genus.

Exaratum videtur, paulatim, ut fit, augente corruptione, *tirius*, *tisius*, *tristius*: nam d et t, itemque r et s, litteras non semel mixtas in MSS. constat.

791.

Lacrimis, Ulixe, *parva*, quam petimus, mora est.
Concede, *parvos* ut meâ condam manu
Viventis oculos. Occidis *parvus* quidem etc.

Cujusnam, quaeso, aures tam obtusae, ut versiculis tribus continuis idem inculcatum vocabulum ferant? Itane Senecam scripsisse, auctorem elegantem? Cras fortasse credam, non hodie. Et de *parvis* quidem oculis quid mihi videretur, supra significavi ad 594. Primo versu reponi possit, verbo Terentiano: *paula*, q. p., mora est.

801. *tenens*. Ita Flor. Vulgo: *premens*, quod friget sequente *frangit*. Mox libri: *Lentus et segnis jaces? Rediit Achilles.* Sed Fern. *jaces: Red.*; Ald.: *jaces. Red.*: id est Lentus jaces, cum redierit Achilles. Quod magis placet. Superiore versu Flor., teste Jacobo Gronovio in schedis Dietz., item Mog. et impressi Franconicus et Hadriani tres apud Delrium:

Servire Grajo pateris Andromachen *viro*.

814. Quomodo *meus*, qui est Hectoris? Legendum puto *merus*. Tumulus *merus* tetigisse vestem dicitur, aliâ re interjectâ nullâ: *Merum pedem* pro nudo dixit Juvenalis sat. 6, 159. Flor. rectissime: *Si quid* hic cineris latet, id est Si forte, ubi vulgo: *Quidquid* hic c. l.

821. melior*ve*. Vulgo, minus recte: melior*que*, ut confundi solent istae voculae. Mox legitur *Parva Gortyne*, quae urbs in Cretâ insulâ, quam ipsam nominavit superiore versu. Bene itaque Gronovius: „Suspicor," inquit, „fuisse *Parva Gyrtone*, quae Thessaliae aut Perrhaebiae urbs, *Gyrton* alias dicta, teste Stephano. Sed Homero quoque *Gyrtone*.

*Οἵ δ' Ἄργισσαν ἔχον καὶ Γυρτώνην ἐνέμοντο.*

Scholiastes Apollonii ad lib. 1.: *Γυρτῶνα, ἣν Ὅμηρος φησὶ Γυρτώνην· ἐστὶ δὲ πόλις Θεσσαλίας ἢ Περῥαιβίας. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Γυρτώνης τῆς Φλεγύου.*" 831. secuti sumus Florentinum codicem, cum vulgo libri habeant Virgin*is*. Solutum spondeum in sapphico 840 non magis mirabere quam contractum dactylum supra 828, memor a nobis monitorum de hujusmodi licentiis ad Oedip. 728. Frustra Avantius in Aldinâ: *rari* lapidis. Cf. 856 sequ. Statim pro *Calydnae*, quae Etrusci lectio est, MS. Delrii *Echinae*, et id pridem dederat Ascensius; quod fugit virum eruditissimum. Cf. Nic.

Heins. ad Ovid. A. amor. 11, 81, qui *Calydnae* praefert. Echinae sunt insulae Echinades, quas *ἀπὸ Ἐχίνου μάντεώς τινος* appellatas testatur Steph. Byz. Vrbs cognominis fuit etiam in Arcadia. Lectio *Echydnae* nihili est.

846.

Atticâ pendens Peparethos orâ.

Adeone hallucinari Senecam? Magis credo, reponendum esse, ut suadet Delrius, *Sypaletos*, aut *Lycabettos*; vel potius *Probalinthos*, ut Jacobus Gron. in schedis Dietz., qui laudat Strab. lib. 8. pag. 382. In sequentibus Atticam Salamina *veram* dici non male idem censet ad distinctionem alterius Cypriae, quam, a Teucro exule aedificatam, *ambiguam* vocat Horatius Od. 1, 7, 29. Cf. Lucan. 3, 183. Statim Aldus: Quasve *perfundit*; *perfundit* (non *profundit*, ut vulgo) etiam ceterae edd. vetustae, et recte. 852. mire Flor.: *physon an elmen*. In fine chori excudi jussimus *dominusve*, ubi vulgo habetur *dominusque*, et *Hecabe* pro *Hecube*, ut etiam Agam. 644. Hoc quidem neque graecum aeque latinum est; illo etiam Hyginus utitur.

872. *Fidenter*. Ita Pall., Mog. et edd. Venetae antiquae, non *Fraudetur*, ut Aldus aliique, non *Fallatur*, ut Flor. Fern. Gron. Et recte: nam si iam nunc Helena decrevit fallere Polyxenam, quid sibi volunt, quae sequuntur, verba *Quid jussa cessas agere?* quibus se ad id operis exequendum incitat? Dicit fore, ut fraude suâ fidenter concidat seu mortem oppetat virgo regia. Et hoc voluit poëta.

898. Basileensis anno 1529. in margine: nuda *cutis*, quod *cunctis* fuisse puto; sed proba vulgata lectio. Mox Fern.: *Lugendus Helenae*, non: L. H. *est*, ut vulgo. Illud elegantius, et sequitur verbum substantivum.

930. Fern.: Quantum est *hoc*, helena etc. Mox vulgati libri:

Altum vadosos Sigeon spectans sinus.

Sed recte Gron.: „Mare," inquit, „potius speculatur quam sinus suos Sigeum. Flor.: *vadoso sinus*. Lege: l. q. s. l. Altum *vadoso* S. s. *sinu*. Nam ipsum mare *Altum* vocat. *Vadoso sinu*, quia Simoïs et Scamander concurrentes in campis multum terrae hauriunt, coecumque os et lacus marinos et paludem efficiunt circa Sigeum, teste Strabone lib. 13."

945. Eleganter Gron.: *animi*, ut Tacitus 1. Ann.: Sed foemina ingens animi etc. Nam versus quidem gratiâ nihil mutandum erat: vid. supra ad 417. 959. Ita edd. vett., cum vulgo haec interrogentur; quod minus aptum in re omnibus notissimâ. 963. Pall.: oscula *et* totum. Vett. edd.: *et in totum*. Glossema est.

973.

Nos, Hecuba; nos, nos, Hecuba, lugendae sumus.

Versus latrans et ineptus: nam quorsum bis illatum nomen Hecubae, ter pronomen? Saepissime h litteram male additam turbare cum alibi monuimus, tum ad Plauti Asin. 24.; neque o et e confundi rarum est; repetitas autem litteras syllabasve semel tantum perscribi solere a librariis, tam notum quam quod notissimum. Quare hanc arbitror poëtae manum:

*Non occubans*, nos, Hecuba, lugendae sumus,

non occubans in solo patrio Polyxena, sed nos, quibus vivendum est apud hostes. Virgilius Aen. 5, 371:

Idemque ad tumulum, quo maximus *occubat* Hector.

979. Sic Flor. Vulgo: *tradar*, *ede*; quod languidius. Vid. ad Hippol. 859. Jacobus Gron. in schedis Dietz.: „Tra*dor*, ut *voco*. Muncker. ad Hygin. fab. 220, ubi nota Quintilianum." Sic passim Praesens ponitur pro Futuro. Vid. index. Idem codex sequente versu *sorti*, non *sorte*.

1007. Male edd. vulgatae: *Abreptam trahe*, quasi abripi jubente Polyxenam Hecubâ, quae ipsa interfici a Pyrrho cupit. Nec scio, quâ auctoritate legatur *trahe*, vel *trahite*, quod est in Delrianâ, nisi quod illud habet Cruser. apud Pontanum.

1013. Flor. teste Jacobo Gron. in schedis Dietz.: *Dulce et merentes*. Ascens.: *D. moerenti est*. An fuit: *Dulce moerenti es*? Sed mihi satisfacit vulgata. Statim Flor. non *simili*, ut vulgo, sed *similis*, quod recte alteri praefert Jacobus l. l. Sed 1036. mire idem liber: Naufraga *terris*, mare cum *coactos*.

1039. Suspicor legendum esse *villis aureis*, ne duo numeri ejusdem ablativi simul inferantur. Circa extremas voces saepe erratum esse in codicibus, nemo nescit. 1070. Flor.: *Per*sequere, et 1084: cujus *in* cacumine Erecta *summo*, ubi vulgo libri: e cac. Er. summos. Ibi haud nolim quoque: *Evecta*. 1089. manus illustris: *eminens*, quod minime spernendum.

1109. *cingens*. Ita Flor.; vulgo: *tangens*. Vid. Jacobus Gron. ad Phoen. 375. 1115. vett. edd.: *disjecta gravi*, exclusâ conjunctione; quod fortasse verum. Vid. supra ad 259. 1127. eaedem *Adversa*, non *Aversa*, ut edidit secundum Etruscum Gronovius. Recte illae: nam adversus sane locus fuerit necesse est; alioqui nihil vidissent spectatores. Gronovius quidem: „Frons," inquit, „promontoriorum respicit mare: altera igitur pars *aversa*, et tergi instar." Sed hoc est sophistam agere, et pro nautâ loqui. 1137. vett. edd.: *illi*, non *illic*, quae alterius fortasse interpretatio. Terentius Ad. 1, 2, 36: Ego *illi* maximam partem fero, ubi male

Guietus suadet *ibi* ad vitandam ambiguitatem. Vid. Donat. Sequente versu Ald. *face* pro *modo;* sed modo legimus: praecedunt *faces.*

1175. Vulgo: *An omnia? an me? sola mors votum meum, Infantibus* etc. Sed in solâ veterum edd. Ascensianâ ita distinguitur post *meum;* et illa quidem: *votum mihi.* Fern.: *A. o.? an meme soleam? mors votum meum, Inf.*, et recte, quod ad interpunctionem attinet; quâ usurpatâ intelligitur, id quod obscurum est in vulgatis libris, quemnam compellet Hecuba verbis *Infantibus violenta* etc. Med. 119: sedibus *solam* exteris Deserere. Et sic passim.

1181. *quam prope a Priamo steti!* Abrupta haec sine ratione perspicuâ, ut malim:

Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumsit artus, quae prope a Priamo steti.

*Meos artus, quae steti* per synthesin, de qua vid. inter alia G. J. Vossii Append. Syntaxeos lat. pag. 95.

LIPSIAE
IMPRESSIT BENEDICTUS GOTTHILF TEUBNER.

# L. ANNAEI SENECAE
# TRAGOEDIARUM

## VOLUMEN TERTIUM,

QUOD CONTINET MEDEAM, AGAMEMNONEM, HERCULEM OETAEUM.

QUIBUS ACCEDIT INCERTI AUCTORIS OCTAVIA.

PENITUS EXCUSSIS MEMBRANIS FLORENTINIS, ADHIBITISQUE CODICE MS. ULTRAJ., EDITIONE PRIMA CAR. FERNANDI, ET ALIIS SPECTATAE FIDEI LIBRIS, ITEM JOANNIS FRIDERICI ET JACOBI GRONOVIORUM NOTIS INEDITIS,

RECOGNOVIT

FRID. HENR. BOTHE,

D. PHIL. ET AA. LL. M., ARCHIDUCALI, QUAE JENAE EST, SOCIETATI LATINAE, BEROLINENSIUMQUE TEUTONICAE, HON. C. ADSCRIPTUS.

LIPSIAE

IN LIBRARIA HAHNIANA.

MDCCCXIX.

# L. ANNAEI SENECAE

# MEDEA.

## *DRAMATIS PERSONAE.*

MEDEA.
JASON.
CREON.
NUTRIX.
CHORUS CORINTHIORUM.
NUNCIUS.

# MEDEA.

## ARGUMENTUM.

Jason cum uxore et liberis post interfectum Peliam Corinthi exulabat. Ubi cum Creon rex illum generum legisset, Medea res suas sibi habere a marito, ab rege aliud exilium quaerere jubetur. Illa, unius diei impetratâ morâ, Creusae sponsae pallam et monile magicis venenis infecta mittit; quibus indutis ignem corripuit palla, misereque nova nupta, unâ cum patre in natae auxilium accurrente, combusta est; Medea denique filiis, quos Jasoni pepererat, in patris conspectu trucidatis, per aera aufugit.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Jam manus Argivûm surrepto vellere Colcho
Tandem puppe novâ dulces remearat ad Argos,
Medeamque tori sociam praeclarus Iason
Junxerat infaustis taedis atque omine laevo.
Ille etenim thalamos mutatâ mente priores
Sprevit, formosae correptus amore Creüsae.
At Medea ferox, stimulis accensa profanis,
Ira ardet, magicasque amens decurrit ad artes.
Quid non herba potest? Male concidit ignibus atris
Regia, cum miseroque usta est genitore Creüsa.
Nec satis est (pronus semper muliebris in iras
Est animus, sceleriaque ferax seges atque malorum):
Proh pudor! illa suos miserando vulnere natos
Opprimit, in partesque calentes consecat artus;
Dein sublimis abit, serpentibus acta, per auras.

# ACTUS PRIMUS.

## MEDEA.

**Medea deserta superos inferosque Iasonis ultores invocat.**

Di conjugales, tuque genialis tori i. s.
Lucina custos, quaeque domitorem freti
Tiphyn novam frenare docuisti ratem,
Et tu profundi saeve dominator maris,
Clarumque Titan dividens orbi diem,
Tacitisque praebens conscium sacris jubar,
Hecate triformis, quosque juravit mihi
Deos Iason; quosque Medeae magis
Fas est precari, noctis aeternae chaos,
Aversa Superis regna, Manesque impios,
Dominumque regni tristis, et dominam fide
Meliore raptam, voce non faustâ precor:
Adeste, adeste! Sceleris ultrices deae,
Crinem solutis squalidae serpentibus,
Atram cruentis manibus amplexae facem,
Adeste, thalamis horridae quondam meis
Quales stetistis! Conjugi letum novae,
Letumque socero et regiae stirpi date!
In pejus aliquid, quod precor sponso malum,
Vivat: per urbes erret ignotas egens,
Exul, pavens, invisus, incerti laris;
Me conjugem optet; limen alienum expetat,
Jam notus hospes, quôque non aliud queam
Pejus precari, liberos similes patri,
Similesque matri. Parta jam, parta ultio est:
Peperi. Querelas verbaque incassum sero.

19. Vulgo: Mihi pejus aliquid, q. precer sponso malum: Vivat.

Non ibo in hostes, manibus excutiam faces,
Coeloque lucem? Spectat hoc nostri sator
Sol generis, et spectatur, et curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli?
Non redit in ortus, et remetitur diem?
Da, da per auras curribus patriis vehi!
Committe habenas, genitor, et flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari juga:
Gemino Corinthos littore opponens moras
Cremata flammis maria committet duo.
Hoc restat unum, pronubam thalamo feram
Ut ipsa pinum, postque sacrificas preces
Caedam dicatis victimas altaribus.
Per viscera ipsa quaere supplicio viam,
Si vivis, anime! si quid antiqui tibi
Remanet vigoris; pelle femineos metus,
Et inhospitalem Caucasum mente indue!
Quodcunque vidit Phasis aut Pontus nefas,
Videbit Isthmos. Effera, ignota, horrida,
Tremenda coelo pariter ac terris mala
Mens intus agitat; vulnera, et caedem, et vagum
Funus per artus. Levia memoravi nimis.
Haec virgo feci; gravior exsurgat dolor:
Majora jam me scelera post partus decent.
Accingere, ira, teque in exitium para
Furore toto! paria narrentur tua
Repudia thalamis! Quo virum linquis modo?
Hoc, quo secuta es. Rumpe jam segnes moras:
Quae scelere parta est, scelere linquenda est domus.

## CHORUS.

Chorus e mulieribus Corinthiis Jasonis et Creusae nuptiis epithalamium praecinit.

An regum thalamos numine prospero, asclep.
Qui coelum Superi, quique regunt fretum,

Adsint, cum populis rite faventibus!
Primus sceptriferis colla Tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido;
Lucinam niveï femina corporis
Intentata jugo placet. Et, asperi
Martis sanguineas quae cohibet manus,
Quae dat belligeris foedera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenerâ mitior hostiâ.
Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dexterâ,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Praecingens roseo tempora vinculo!
Et tu, quae gemini praevia temporis
Tarde, stella, redis semper amantibus;
Te matres avidae, te cupiunt nurus,
Quamprimum radios spargere lucidos.
Vincit virgineus decor glycon.
Longe Cecropias nurus;
Et quas Taygeti jugis
Exercet juvenum modo,
Muris quod caret, oppidum;
Et quas Aonius latex,
Alpheosque sacer lavat,
Cedent Aesonio duci,
Si formâ velit adspici,
Proles fulminis improbi,
Aptat qui juga tigribus;
Nec non, qui tripodas movet,
Frater virginis asperae;
Cedet Castore cum suo
Pollux caestibus aptior.
Sic, sic, Coelicolae, precor,
Vincat femina conjuges,
Vir longe superet viros!
Haec cum femineo constitit in choro; asclep.

Unius facies praenitet omnibus.
Sic cum sole perit sidereus decor,
Et densi latitant Pleïadum greges,
Cum Phoebe solidum lumine non suo
Orbem circuitis cornibus adligat.
Ostro sic niveus puniceo color
Perfusus rubuit; sic nitidum jubar
Pastor luce novâ roscidus adspicit.
Ereptus thalamis Phasidos horridis,
Effrenae solitus pectora conjugis
Invitâ trepidus prendere dexterâ,
Felix Aeoliam corripe virginem
Nunc primum, soceris, sponse, volentibus!
Concesso, juvenes, ludite jurgio!
Hinc illinc, juvenes, mittite carmina!
Rara est in dominos justa licentia.
Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei hexam. her.
(Multifidam jam tempus erat succendere pinum),
Excute solemnem digitis marcentibus ignem!
Festa dicax fundat convicia Fescenninus;
Solvat turba jocos. Tacitis eat illa tenebris,
Si qua peregrino nubit fugitura marito.

---

# ACTUS SECUNDUS.

## MEDEA, NUTRIX.

Audito Hymenaeo furit Medea, quam sedare nutrix laborat, sed frustra.

MED. Occidimus: aures pepulit hymenaeus meas! i. s.
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.
Haec facere Iason potuit? erepto patre,
Patriâ atque regno, sedibus solam exteris

Deserere? Durus merita contemsit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci et mare?
Adeone credit omne consumtum nefas?
Incerta, vecors, mente vesanâ feror
Partes in omnes, unde me ulscisci queam?
Utinam esset illi frater! Est conjux; in hanc
Ferrum exigatur! — Hoc meis satis est malis?
Si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae
Novere facinus, quod tuae ignorant manus,
Nunc est parandum. Scelera te hortentur tua,
Et cuncta redeant: inclitum regni decus
Raptum, et nefandae virginis parvus comes
Divisus ense; funus ingestum patri,
Sparsumque ponto corpus; et Peliae senis
Decocta aheno membra. Funestum impie
Quam saepe fudi sanguinem! et nullum scelus
Irata feci; saevit infelix amor.
Quid tamen Iason potuit, alieni arbitri
Jurisque factus? — Debuit ferro obvium
Offerre pectus. — Melius, ah melius, dolor
Furiose, loquere! Si potest, vivat meus,
Ut fuit, Iason; sin minus, vivat tamen,
Memorque nostri muneri parcat meo.
Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Conjugia solvit, quique genitricem abstrahit
Gnatis, et arcto pignore adstrictam fidem
Dirimit. Petatur solus hic; poenas luat,
Quas debet! Alto cinere cumulabo domum!
Videbit atrum vorticem flammis agi
Maléa, longas navibus flectens moras.
NUTR. Sile, obsecro, questusque secreto abditos
Manda dolori! Gravia quisquis vulnera
Patiente et aequo mutus animo pertulit,
Referre potuit. Ira, quae tegitur, nocet;
Professa perdunt odia vindictae locum.

129. Fort.: N. e. patrandum.

MED. Levis est dolor, qui capere consilium potest,
Et clepere sese; magna non latitant mala.
Libet ire contra. NUTR. Siste furialem impetum,
Alumna: vix te tacita defendit quies.
MED. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
NUTR. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
MED. Nunquam potest non esse virtuti locus.
NUTR. Spes nulla monstrat rebus adflictis viam.
MED. Qui nil potest sperare, desperet nihil.
NUTR. Abiere Colchi; conjugis nulla est fides;
Nihilque superest opibus e tantis tibi.
MED. Medea superest; hic mare et terras vides,
Ferrumque et ignes et deos et fulmina.
NUTR. Rex est timendus. MED. Rex meus fuerat pater.
NUTR. Non metuis arma? MED. Sint licet terra edita.
NUTR. Moriére. MED. Cupio. NUTR. Profuge! MED. Poenituit fugae.
Medea fugiam? NUTR. Mater es. MED. Cui sim, vides.
NUTR. Profugere dubitas? MED. Fugiam; at ulciscar prius.
NUTR. Vindex sequetur. MED. Forsan inveniam moras.
NUTR. Compesce verba; parce jam, demens, minis,
Animosque minue: tempori aptari decet.
MED. Fortuna opes auferre, non animum, potest.
Sed cujus ictu regius cardo strepit?
Ipse est Pelasgo tumidus imperio Creon.

## CREON, MEDEA.

**Creon Medeam in exilium propere abire imperio urget; illa diei unius moram vix impetrat.**

CR. MEDEA, Colchi noxium Aeetae genus, i. s.
Nondum meis exportat e regnis pedem.

Melitur aliquid: nota fraus, nota est manus.
Cui parcit illa; quemve securum sinit?
Abolere propere pessimam ferro luem
Equidem parabam; precibus evicit gener.
Concessa vita est; liberet fines metu,
Abeatque tuta. Fert gradum contra ferox,
Minaxque nostros propius adfatus petit.
Arcete, famuli, tactu, et accessu procul!
Jubete sileat! regium imperium pati
Aliquando discat. Vade veloci fugâ,
Monstrumque saevum, horribile, jamdudum avehe!
MED. Quod crimen, aut quae culpa multatur fugâ?
CR. Quae causa pellat, innocens mulier rogat.
MED. Si judicas, cognosce; si regnas, jube.
CR. Aequum atque iniquum regis imperium feras.
MED. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.
CR. I, querere Colchis. MED. Redeo. Qui advexit,
ferat.
CR. Vox constituto sera decreto venit.
MED. Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,
Aequum licet statuerit, haud aequus fuit.
CR. Auditus a te Pelia supplicium tulit?
Sed fare; causae detur egregiae locus.
MED. Difficile quam sit animum ab irâ flectere
Jam concitatum; quamque regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Quâ coepit, ire; regiâ didici meâ.
Quamvis enim sim clade miserandâ obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, undique
Adflicta: quondam nobili fulsi patre,
Avoque clarum Sole deduxi genus.
Quodcunque placidis flexibus Phasis rigat;
Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt,
Palustribus quâ maria dulcescunt aquis;
Armata peltis quidquid exterret cohors

191. Fort.: — fugâ! Monstrum superbum, horr.

Inclusa ripis vidua Thermodontiis:
Hoc omne noster genitor imperio regit.
Generosa, felix, decore regali potens
Fulsi. Petebant tunc meos thalamos proci,
Qui nunc petuntur. Rapida Fortuna ac levis
Praecepsque regno eripuit, exilio dedit.
Confide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat et illuc casus. Hoc reges habent
Magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere. Solum hoc Colchico regno extuli,
Decus illud ingens, gloriae florem inclitum,
Praesidia Achivae gentis et prolem deûm,
Servasse memet. Munus est Orpheus meum,
Qui saxa cantu mulcet et silvas trahit;
Geminique munus Castor et Pollux meum,
Satique Boreâ; quique trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immisso videt;
Omnesque Minyae: nam ducum taceo ducem,
Pro quo nihil debetur; hunc nulli imputo:
Vobis revexi ceteros, unum mihi.
Incesse nunc, et cuncta flagitia ingere!
Fatebor: obici crimen hoc solum potest,
Argo reversa. Virgini placeat pudor,
Paterque placeat: tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus; hic tuus primum gener
Tauri ferocis ore flammanti occidet.
Fortuna causam, quâ volet, nostram premat;
Non poenitet servasse tot regum decus.
Quodcunque culpâ praemium ex omni tuli,
Hoc est penes te. Si placet: damna ream;
Sed redde crimen. Sum nocens, fateor, Creon.
Talem sciebas esse, cum genua attigi,
Fidemque supplex praesidis dextrae peti.
Terra hâc miseriis angulum et sedem rogo,
Latebrasque viles. Urbe si pelli placet:

Detur remotus aliquis in regnis locus.
CR. Non esse me, qui sceptra violentus geram,
Nec qui superbo miserias calcem pede,
Testatus equidem videor haud clare parum
Generum exulem legendo, et adflictum, et gravi
Terrore pavidum. Quippe te poenae expetit
Letoque Acastus, regna Thessalica obtinens.
Senio trementem debili atque aevo gravem
Patrem peremtum queritur, et caesi senis
Discissa membra, cum dolo captae tuo
Piae sorores impium auderent nefas.
Potest Iason, si tuam causam amoves,
Suam tueri: nullus innocuum cruor
Contaminavit; absuit ferro manus,
Proculque vestro purus a coetu stetit.
Tu, tu, malorum machinatrix facinorum,
Feminea cui nequitia ad audendum omnia,
Virile robur, nulla famae memoria est,
Egredere, purga regna; letales simul
Tecum aufer herbas! libera cives metu!
Aliâ sedens tellure sollicita deos!
MED. Profugere cogis? Redde fugienti ratem,
Vel redde comitem! Fugere cur solam jubes?
Non sola veni. Bella si metuis pati:
Utrumque regno pelle. Cur sontes duos
Distinguis? Illi Pelia, non nobis jacet.
Fugam, rapinas adice, desertum patrem,
Lacerumque fratrem, quidquid etiamnum novus
Docet maritus conjuges: non est meum.
Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.
CR. Jam exisse decuit. Quid seris fando moras?
MED. Supplex recedens illud extremum precor,
Ne culpa natos matris insontes trahat.
CR. Vade: hos paterno, ut genitor, excipiam sinu.
MED. Per ego auspicatos regii thalami toros,

278. Vulgo: novas.

Per spes futuras, perque regnorum statûs,
Fortuna variâ dubia quos agitat vice,
Precor: brevem largire fugienti moram,
Dum extrema natis mater infigo oscula,
Fortasse moriens. CR. Fraudibus tempus petis.
MED. Quae fraus timeri tempore exiguo potest?
CR. Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.
MED. Parvumne miserae temporis lacrimis negas?
CR. Etsi repugnat precibus infixus timor,
Unus parando dabitur exilio dies.
MED. Nimis est; recidas aliquid ex isto licet.
Et ipsa propero. CR. Capite supplicium lues,
Clarus priusquam Phoebus attollat diem,
Nisi cedis Isthmo. Sacra me thalami vocant,
Vocat precari festus Hymenaeo dies.

## CHORUS.

**Chorus in audaciam navigantium invectus primos nautas dignum audaciâ suâ retulisse praemium canit, Medeam.**

AUDAX nimium, qui freta primus — a. d. et m.
Rate tam fragili perfida rupit;
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris;
Dubioque secans aequora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitae mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.
Nondum quisquam sidera norat;
Stellisque, quibus pingitur aether,
Non erat usus; nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates,
Non Oleniae lumina caprae,
Non quae sequitur flectitque senex
Arctica tardus plaustra Bootes;

308. Fort.: ductus.

Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant. Ausus Tiphys
Pandere vasto carbasa ponto,
Legesque novas scribere ventis:
Nunc lina sinu tendere toto,
Nunc prolato pede transversos
Captare Notos, nunc antennas
Medio tutas ponere malo;
Nunc in summo religare loco,
Cum jam totos avidus nimium
Navita flatus optat, et alto
Rubicunda tremunt suppara velo.
Candida nostri secula patres
Videre, procul fraude remotâ.
Sua quisque piger littora tangens,
Patrioque senex factus in arvo,
Parvo dives, nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.
Bene dissepti foedera mundi
Traxit in unum, Thessala pinus,
Jussitque pati verbera pontum;
Partemque metûs fieri nostri
Mare sepositum.
Dedit illa graves improba poenas,
Per tam longos ducta timores:
Cum duo montes, claustra profundi,
Hinc atque illinc subito impulsi
Velut aetherio gemerent sonitu;
Spargeret astra
Nubesque ipsas mare deprensum.
Palluit audax Tiphys, et omnes
Labente manu misit habenas;
Orpheus tacuit torpente lyrâ;
Ipsaque vocem perdidit Argo.
Quid, cum Siculi virgo Pelori,

345. Fort.: Rupesque ipsas.

Rabidos utero succincta canes,
Omnes pariter solvit hiatus?
Quis non totos horruit artus,
Toties uno latrante malo?
Quid, cum Ausonium dirae pestes
Voce canorâ mare mulcerent?
Cum Pieriâ resonans citharâ
Thracius Orpheus
Solitam cantu retinere rates
Paene coëgit Sirena sequi.
Quod fuit hujus pretium cursûs?
Aurea pellis,
Majusque mari Medea malum,
Merces primâ digna carinâ.
Nunc jam cessit pontus, et omnes
Patitur leges. Non Palladiâ
Compacta manu regum referens
Inclita remos quaeritur Argo;
Quaelibet altum cymba pererrat.
Terminus omnis motus, et urbes
Muros terrâ posuere novâ.
Nil, quâ fuerat sede, reliquit
Pervius orbis.
Indus gelidum potat Araxen;
Albin Persae Rhenumque bibunt.
Venient annis secula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thule.

# ACTUS TERTIUS.

## NUTRIX, MEDEA.

**In vindictam praeceps fertur Medea, nutrice incassum eam dehortante.**

NUTR. Alumna, celerem quo rapis tectis pedem? I. s.
Resiste, et iras comprime, ac retine impetum!
Incerta qualis entheos cursus tulit,
Cum jam recepto Maenas insanit deo,
Pindi nivalis vertice, aut Nysae jugis:
Talis recursat huc et huc motu effero,
Furoris ore signa lymphati gerens.
Flammata facies spiritum ex alto citat;
Proclamat; oculos uberi fletu rigat;
Renidet. Omnis specimen adfectus capit:
Haeret, minatur, aestuat, queritur, gemit.
Quo pondus animi verget? ubi ponet minas?
Ubi se iste fluctus franget? Exundat furor.
Non facile secum versat aut medium scelus.
Se vincet: irae novimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium:
Vultum furoris cerno. Di fallant metum!
MED. Si quaeris, odio, misera, quem statuas modum:
Imitare amorem. Regias egon' ut faces
Inulta patiar? segnis hic ibit dies,
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra coelum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusque arenis deerit, et solem dies,
Noctem sequentur astra; dum siccas polus
Versabit Arctos, flumina in pontum cadent:
Nunquam meus cessabit in poenas furor,
Crescetque semper. Quae ferarum immanitas,

Quae Scylla, quae Charybdis, Ausonium mare
Siculumque sorbens, quaeve anhelantem premens
Titana tantis Aetna fervebit minis?
Non rapidus amnis, non procellosum mare,
Pontusque Coro saevus, aut vis ignium
Adjuta flatu, possit inhibere impetum
Irasque nostras: sternam et evertam omnia!
Timuit Creontem ac bella Thessalici ducis?
Amor timere neminem verus potest.
Sed cesserit coactus, et dederit manus:
Adire certe, conjugem extremo adloqui
Sermone potuit. Hoc quoque extimuit ferox.
Laxare certe tempus immitis fugae
Genero licebat. Liberis unus dies
Datus est duobus. — Non queror tempus breve:
Multum patebit. Faciet hic, faciet, dies,
Quod nullus unquam taceat! Invadam deos,
Et cuncta quatiam! NUTR. Recipe turbatum malis,
Hera, pectus! animum mitiga! MED. Sola est quies,
Mecum ruinâ cuncta si video obruta.
Mecum omnia abeant! trahere, cum pereas, libet.
NUTR. Quam multa sint timenda, si perstas, vide.
Nemo potentes adgredi tutus potest.

## JASON, MEDEA.

Jasonem, gravatim Medeam deserentem, seque excusantem, aggreditur Medea opprobriis, precibus, simulatâ conciliatione.

JAS. O DURA fata semper, et sortem asperam, i. s.
Cum saevit, et cum parcit, ex aequo mala!
Remedia quoties invenit nobis deus
Periculis pejora! Si vellem fidem
Praestare meritis conjugis: leto fuit
Caput offerendum; si mori nolim: fide
Misero carendum est. Non timor vicit virum,

438. Vulgo: vincit.

Sed trepida pietas: quippe sequeretur necem
Proles parentum. O sancta, si coelum incolis,
Justitia, numen invoco ac testor tuum,
Gnati patrem vicere. Quin ipsam quoque,
Etsi ferox est corde nec patiens jugi,
Consulere natis malle quam thalamis reor.
Constituit animus precibus iratam adgredi.
Atque ecce! viso memet exiluit, furit:
Fert odia prae se, totus in vultu est dolor.
MED. Fugimus, Iason, fugimus. Hoc non est novum,
Mutare sedes; causa fugiendi nova est:
Pro te solebam fugere. Discedo, exeo.
Penatibus profugere quam cogis tuis,
Ad quos remittis? Phasin et Colchos petam
Patriumque regnum, quaeque fraternus cruor
Perfudit arva? Quas peti terras jubes?
Quae maria monstras? Pontici fauces freti,
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum secuta per Symplegadas?
Parvamne Iolcon, Thessala an Tempe petam?
Quascumque aperui tibi vias, clusi mihi.
Quo me remittis? Exuli exilium imperas,
Nec das. Eatur. Regius jussit gener:
Nihil recuso. Dira supplicia ingere:
Merui. Cruentis pellicem poenis premat
Regalis ira, vinculis oneret manus,
Clusamque saxo noctis aeternae obruat:
Minora meritis patiar. — Ingratum caput!
Revolvat animus igneos tauri halitus,
Interque saevos gentis indomitae metus
Armifero in arvo flammeum Aeetae pecus,
Hostisque subiti tela: cum jussu meo
Terrigena miles mutuâ caede occidit.
Adice expetita spolia Phrixeï arietis,
Somnoque jussum lumina ignoto dare

466. Fort.: O gratum caput, Rev.

Insomne monstrum; traditum fratrem neci,
Et scelere in uno non semel factum scelus;
Jussasque natas, fraude deceptas meâ,
Secare membra non revicturi senis.
Aliena quaerens regna, deserui mea.
Per spes tuorum liberûm et certum larem,
Per victa monstra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, perque praeteritos metus,
Per coelum et undas, conjugi testes mei,
Miserere! redde supplici felix vicem!
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythae
Usque a perustis Indiae populis agunt,
Quas quia referta vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora, nil exul tuli
Nisi fratris artus; hos quoque impendi tibi.
Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor;
Hâc dote nupsi. Redde fugienti sua.
JAS. Perimere cum te vellet infestus Creon,
Lacrimis meis evictus, exilium dedit.
MED. Poenam putabam; munus, ut video, est fuga.
JAS. Dum licet abire, profuge, teque hinc eripe:
Gravis ira regum est semper. MED. Hoc suades mihi,
Praestas Creusae: pellicem invisam amoves.
JAS. Medea amores obicit? MED. Et caedem et dolos.
JAS. Objicere crimen quod potes tandem mihi?
MED. Quodcunque feci. JAS. Restat hoc unum insuper,
Tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
MED. Tua illa, tua sunt illa: cui prodest scelus,
Is fecit. Omnes conjugem infamem arguant:
Solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.
JAS. Ingrata vita est, cujus acceptae pudet.
MED. Retinenda non est, cujus acceptae pudet.
JAS. Quin potius irâ concitum pectus doma!
Placare natis! MED. Abdico, abjuro, abnuo.
Meis Crëusa liberis fratres dabit?

JAS. Regina natis exulum adflictis potens.
MED. Ne veniat unquam tam malus miseris dies,
Qui prole foedâ misceat prolem inclitam,
Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus.
JAS. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
Abscede, quaeso! MED. Supplicem audivit Creon.
JAS. Quid facere possim, eloquere. MED. Pro me? Vel scelus.
JAS. Hinc rex, et illinc. MED. Est et his major metus,
Medea. Nos confligere certemus; sine,
Sit pretium Iason. JAS. Cedo defessus malis.
Et ipsa casus saepe jam expertos time.
MED. Fortuna semper omnis infra me stetit.
JAS. Acastus instat, propior est hostis Creon.
MED. Utrumque profuge. Nolo ut in socerum manus
Armes; nec ut te caede cognata inquines,
Medea cogit: innocens mecum fuge.
JAS. Et quis resistet, gemina si bella ingruant,
Creo atque Acastus arma si jungant sua?
MED. His adice Colchos, adice et Aeeten ducem;
Scythas Pelasgis junge: demersos dabo.
JAS. Alta extimesco sceptra. MED. Ne cupias, vide.
JAS. Suspecta ne sint, longa conloquia amputa.
MED. Nunc summe toto Jupiter coelo tona!
Intende dextram! vindices flammas para,
Omnemque ruptis nubibus mundum quate!
Nec deligenti tela librentur manu
Vel me, vel istum: quisquis e nobis cadet,
Nocens peribit; non potest in nos tuum
Errare fulmen. JAS. Sana meditari incipe,
Et placida fare. Si quid ex soceri domo
Potest fugam levare: solamen pete.
MED. Contemnere animus regias, ut scis, opes
Potest soletque; liberos tantum fugae
Habere comites liceat, in quorum sinu

519. Fort.: Nemo aufugere? Certemus sine!

Lacrimas profundam. Te novi gnati manent.
JAS. Parere precibus cupere me, fateor, tuis;
Pietas vetat: namque istud ut possim pati,
Non ipse memet cogat et rex et socer.
Haec causa vitae est, hoc perusti pectoris
Curis levamen; spiritu citius queam
Carere, membris, luce. MED. Sic natos amat?
Bene est: tenetur; vulneri patuit locus. —
Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata; liceat ultimum amplexum dare:
Gratum est et illud. Voce jam extremâ peto,
Ne, si qua noster dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba. Melioris tibi
Memoria nostri sedeat; haec irae data
Oblitterentur. JAS. Omnia ex animo expuli;
Precorque, et ipsa fervidam ut mentem regas,
Placideque tractes: miserias lenit quies.
MED. Discessit. Itan' est? vadis oblitus mei
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. Hoc age! omnes advoca
Vires et artes! Fructus est scelerum tibi,
Nullum scelus putare. Vix fraudi est locus:
Timemur. Hâc adgredere, quâ nemo potest
Quidquam timere! Perge! nunc aude, incipe,
Quidquid potest, Medea, quidquid non potest!
Tu, fida nutrix, socia moeroris mei
Variique casus, misera consilia adjuva!
Est palla nobis, munus aetheriae domus,
Decusque regni, pignus Aeetae datum
A Sole generis; est et auro textili
Monile fulgens; quodque gemmarum nitor
Distinguit aurum, quo solent cingi comae.
Haec nostra nati dona nubenti ferant,
Sed ante diris inlita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate. Sacra luctifica adpara:
Statuantur arae, flamma jam tectis sonet.

## CHORUS.

Canit Chorus, *Rejectae uxori quot amore dolores polluto, notumque furens quid femina posset*, et cum ceteri Argonautae poenas dederint violati maris, Jasoni bene precatur.

Nulla vis flammae tumidique venti  sapph.
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta, cum conjux viduata taedis
Ardet et odit;

Non, ubi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit; properatque torrens
Ister, et junctos vetat esse pontes,
Ac vagus errat;

Non, ubi impellit Rhodanus profundum;
Aut ubi in rivos nivibus solutis
Sole jam forti medioque vere
Tabuit Haemus.

Coecus est ignis stimulatus irâ,
Nec regi curat, patiturve frenos;
Haud timet mortem: cupit ire in ipsos
Obvius enses.

Parcite, o divi! veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit.
Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda.

Ausus aeternos agitare currus
Immemor metae juvenis paternae,
Quos polo sparsit, furiosus ignes
Ipse recepit.

Constitit nulli via nota magno.
Vade, quâ tutum populo priori;
Rumpe nec sacro, violente, sancta
Foedera mundi!

Quisquis audacis tetigit carinae
Nobiles remos, nemorisque sacri
Pelion densâ spoliavit umbra;
Quisquis intravit scopulos vagantes,
Et tot emensus pelagi labores,
Barbarâ funem religavit orâ,
Raptor externi rediturus auri:
Exitu diro temerata ponti
Jura piavit.

Exigit poenas mare provocatum.
Tiphys in primis domitor profundi
Liquit indocto regimen magistro:
Littore extremo procul a paternis
Occidens regnis, tumuloque vili
Tectus, ignotas jacet inter umbras.
Aulis amissi memor inde regis
Portubus lentis retinet carinas,
Stare querentes.

Ille vocali genitus Camoenâ,
Cujus ad chordas modulante plectro
Restitit torrens, siluere venti;
Cui suo cantu volucris relicto
Adfuit totâ comitante silvâ,
Thracios sparsus jacuit per agros;
At caput tristi fluitavit Hebro:
Contigit notam Styga Tartarumque,
Non rediturus.

Stravit Alcides Aquilone natos;
Patre Neptuno genitum necavit,
Sumere innumeras solitum figuras:
Ipse post terrae pelagique pacem,
Post feri Ditis patefacta regna,
Vivus ardenti recubans in Oeta,
Praebuit saevis sua membra flammis,

Tabe consumtus gemini cruoris,
Munere nuptae.

Stravit Ancaeum violentus ictu
Setiger. Fratres, Meleagre, matris
Impius mactas: morerisque dextrâ
Matris iratae. Meruere cuncti;
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer inrepertus?
Raptus heu! tutas puer inter undas.
Ite nunc, fortes, perarate pontum,
Fonte timendo.

Idmonen, quamvis bene fata nosset,
Condidit; sepi Libycis arenis,
Omnibus verax, sibi falsus uni,
Concidit Mopsus, caruitque Thebis.
Ille si vere cecinit futura:
Exul errabit Thetidis maritus;
Igne fallaci nociturus Argis
Nauplios praeceps cadet in profundum;
Patrioque pendet crimine poenas
Fulmine et ponto moriens Oïleus.
Conjugis fatum redimens Pheraei,
Uxor, impendes animam marito!
Ipse, qui praedam spoliumque jussit
Aureum primâ revehi carinâ,
Ustus accenso Pelias aheno
Arsit angustas vagus inter undas.
Jam satis, divi, mare vindicastis:
Parcite jusso!

661. Fort.: Crimine et poenas patrio rependet Fulmine etc.

# ACTUS QUARTUS.

## NUTRIX.

**Quid agat Medea, quid paret, narrat Nutrix.**

Pavet animus, horret; magna pernicies adest. i. s.
Immane quantum augescit et semet dolor
Accendit ipse, vimque praeteritam integrat.
Vidi furentem saepe, et adgressam deos
Coelum trahentem; majus his, majus, parat
Medea monstrum. Namque ut attonito gradu
Evasit, et penetrale funestum attigit:
Totas opes effudit, et quidquid diu
Etiam ipsa timuit, promit; atque omnem explicat
Turbam malorum: arcana, secreta, abdita;
Et, triste laevâ comprecans sacrum manu,
Pestes vocat, quascunque ferventis creat
Arena Libyae, quasque perpetuâ nive
Taurus coërcet frigore Arctoo rigens,
Et omne monstrum. Tracta magicis cantibus
Squamifera latebris turba desertis adest.
Hic saeva serpens corpus immensum trahit,
Trifidamque linguam exertat, et, quaerens quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumque nodis corpus adgestis plicat,
Cogitque in orbes. „Parva sunt," inquit, „mala,
Et vile telum est, ima quod tellus creat:
Coelo petam venena. Jamjam tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.
Huc ille vasti more torrentis jacens
Descendat anguis, cujus immensos duae,
Major minorque, sentiunt nodos ferae,
Major Pelasgis, apta Sidoniis minor!
Pressasque tandem solvat Ophiuchus manus,

Virusque fundat! Adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina!
Et hydra, et omnis redeat Herculeâ manu
Succisa serpens, caede se reparans suâ!
Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
Sopite primum cantibus, serpens, meis!"
Postquam evocavit omne serpentum genus:
Congerit in unum frugis infaustae mala:
Quaecunque generat invius saxis Eryx;
Quae fert opertis hieme perpetuâ jugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei;
Et quis sagittas divites Arabes linunt,
Pharetrâque pugnax Medus, aut Parthi leves;
Aut quos sub axe frigido succos legunt
Lucis Suevi nobiles Hercyniis.
Quodcunque tellus vere nidifico creat;
Aut, rigida cum jam bruma decussit decus
Nemorum, et nivali cuncta constrinxit gelu;
Quodcunque gramen flore mortifero viret,
Dirusve tortis succus in radicibus
Causas nocendi gignit: attrectat manu.
Haemonius illas contulit pestes Athos;
Has Pindus ingens; illa Pangaei jugis
Teneram cruentâ falce deposuit comam;
Has aluit altum gurgitem Tigris premens;
Danubius illas; has per arentes plagas
Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis,
Nomenque terris qui dedit Baetis suis,
Hesperia pulsans maria languenti vado.
Haec passa ferrum est, dum parat Phoebus diem;
Illius altâ nocte succisus frutex;
At hujus ungui secta cantato seges.
Mortifera carpit gramina, ac serpentium
Saniem exprimit miscetque, et obscoenas aves,
Moestique cor bubonis, et raucae strigis
Exsecta vivae viscera. Haec scelerum artifex

Discreta ponit: his rapax vis ignium,
His gelida pigri frigoris glacies inest.
Addit venenis verba, non istis minus
Metuenda. Sonuit ecce! vesano gradu,
Canitque. Mundus vocibus primis tremit.

## MEDEA.

Invocatis manibus et rite conceptis incantationibus, Medea veneficiis illitam pallam cum monili, aureoque crinali, dono mittit ad Crëusam per filios suos.

Comprecor vulgus silentum, vosque ferales deos, t. t. c.
Et Chaos coecum, atque opacam Ditis umbrosi domum,
Tartari ripis ligatos squalidae Mortis specus!
Supplicis animae remissis currite ad thalamos novos!
Rota resistat membra torquens; tangat Ixion humum.
Tantalus securus undas hauriat Pirenidas.
Vos quoque, urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaïdes, coïte: vestras hic dies quaerit manus:
Gravior *horum* poena sedeat conjugis socero mei.
Lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.
Nunc meis vocata sacris noctium sidus veni,
Pessimos induta vultus, fronte non unâ minax!
Tibi more gentis vinculo solvens comam, i. s.
Secreta nudo nemora lustravi pede,
Et evocavi nubibus siccis aquas,
Egique ad imum maria, et Oceanus graves
Interius undas aestibus victis dedit;
Pariterque mundus lege confusâ aetheris
Et solem et astra vidit; et vetitum mare
Tetigistis, Ursae. Temporum flexi vices:
Aestiva tellus floruit cantu meo,
Messem coacta vidit hibernam Ceres.
Violenta Phasis vertit in fontem vada;

747 — 750. vulgo hoc ordine leguntur: Gravior — Lubricus — Vos quoque — Danaïdes —.

Et Ister, in tot ora divisus, truces
Compressit undas, omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit insanum mare,
Tacente vento. Nemoris antiqui domus
Amisit umbram vocis imperio meae.
Die relicto Phoebus in medio stetit;
Hyadesque nostris cantibus motae labant.
Adesse sacris tempus est, Phoebe, tuis!
Tibi haec cruenta serta texuntur manu, i. s. et i. d.
Novena quae serpens ligat:
Tibi haec, Typhoëus membra quae discors tulit,
Qui regna concussit Jovis.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,
Quem Nessus expirans dedit.
Oetaeus isto cinere defecit rogus,
Qui virus Herculeum bibit.
Piae sororis, impiae matris, facem
Ultricis Althaeae vides.
Reliquit istas invio plumas specu
Harpyia, dum Zeten fugit.
His adice pennas sauciae Stymphalidos,
Lernaea passae spicula.
Sonuistis, arae! Tripodas agnosco meos,
Favente commotos deâ!
Video Triviae currus agiles, a. d. et m.
Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat;
Sed quos facie lurida moestâ,
Cum, Thessalicis vexata minis,
Coelum freno propiore legit.
Sic face tristem pallida lucem
Funde per auras!
Horrore novo terre populos;
Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretiosa sonent aera Corinthi!
Tibi sanguineo cespite sacrum

Solemne damus!
Tibi de medio rapta sepulcro
Fax nocturnos sustulit ignes;
Tibi mota caput
Flexâ voces cervice dedi;
Tibi funereo de more jacens
Passos cingit vitta capillos;
Tibi jactatur
Tristis Stygiâ ramus ab undâ;
Tibi nudato pectore, Maenas,
Sacro feriam brachia cultro.
Manet noster sanguis ad aras!
Adsuesce, manus, stringere ferrum,
Carosque pati posse cruores!
Sacrum laticem percussa dedi.
Quodsi nimium saepe vocari
Quereris: votis ignosce, precor!
Causa vocandi,
Perseï, tuos saepius arcus
Una atque eadem semper, Iason.
Tu nunc vestes tinge Crëusae,
Quas cum primum sumserit, imas
Urat serpens flamma medullas!
Ignis fulvo clusus in auro
Latet obscurus, quem mihi, coeli
Qui furta luit viscere foeto,
Dedit, et docuit condere vires
Arte, Prometheus. Dedit et tenui
Sulfure tectos Mulciber ignes;
Et vivacis fulgura flammae
De cognato Phaëthonte tuli;
Habeo, mediae dona Chimaerae,
Usto tauri gutture raptas,
Quas, permixto felle Medusae,
Tacitum jussi servare malum.
Adde venenis stimulos, Hecate,

Donisque meis
Semina flammae condita serva!
Fallant visus, tactusque ferant;
Meet in pectus venasque calor;
Stillent artus, ossaque fument,
Vincatque suas flagrante comâ
Nova nupta faces!
Vota tenentur: ter latratus
Audax Hecate dedit, et sacros
Edidit ignes face luciferâ.
Peracta vis est omnis: huc natos voca, i. s.
Pretiosa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite, nati, matris infaustae genus,
Placate vobis munere et multâ prece
Dominam novercam! Vadite, et celeres domum
Referte gressus: ultimo amplexu ut fruar.

## CHORUS.

Furorem Medeae Chorus timet, malitiam ejus exsecratus.

Quonam cruenta Maenas praeceps amore saevo as.: 2 anacr.
Rapitur? quod impotenti facinus parat furore?
Vultus citatus irâ riget, et caput feroci
Quatiens superba motu regi minatur ultro.
Quis credat exulem? anacr. cat.
Flagrant genae rubentes; pallor fugat ruborem: as.: 2 anacr.
Nullum vagante formâ servat diu colorem.
Huc fert pedes et illuc, ut tigris orba natis
Cursu furente lustrat Gangeticum nemus. galliamb.
Frenare nescit iras Medea, non amores; as.: 2 anacr.
Nunc ira amorque causam junxere: quid sequetur?
Quando efferet Pelasgis nefanda Colchis arvis
Gressum, metuque solvet regnum, simulque reges?

849. Vulgo: Dominam et novercam.

Nunc, Phoebe, mitte currus nullo morante loro!
Nox condat alma lucem! mergat diem timendum
Dux noctis Hesperus! anacr. cat.

## ACTUS QUINTUS.

### NUNCIUS, CHORUS, NUTRIX, MEDEA, JASON.

Narrat nuncius, Creusam cum patre regiâque totâ conflagrasse pernicioso Medeae munere. Medea filios suos trucidat, et aufugit.

NUNC. PERIERE cuncta! concidit regni status! i. s.
Gnata atque genitor cinere permixto jacent!
CHOR. Quâ fraude capti? NUNC. Quâ solent reges capi:
Donis. CHOR. In illis esse quis potuit dolus?
NUNC. Et ipse miror; vixque jam facto malo
Potuisse fieri credo. CHOR. Quis cladis modus?
NUNC. Avidus per omnem regiae partem furit,
Ut jussus, ignis: jam domus tota occidit;
Urbi timetur. CHOR. Unda flammas opprimat.
NUNC. Et hoc in istâ clade mirandum accidit:
Alit unda flammas; quôque prohibetur magis,
Magis ardet ignis; ipsa praesidia occupat.
NUTR. Effer citatum sede Pelopeâ gradum,
Medea! praeceps quaslibet terras pete!
MED. Egon' ut recedam? Si profugissem prius:
Ad hoc redirem. Nuptias specto novas!
Quid, anime, cessas? Sequere felicem impetum!
Pars ultionis ista, quâ gaudes, quota est?
Amas adhuc, furiosa, si satis est tibi
Coelebs Iason: quaere poenarum genus

866. Fort.: tremendum.

Haud usitatum, jamque sic temet para:
Fas omne cedat, abeat expulsus pudor.
Vindicta levis est, quam ferunt purae manus:
Incumbe in iras, teque languentem excita,
Penitusque veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri! Quidquid admissum est adhuc,
Pietas vocetur. Hoc age, et faxo sciant,
Quam levia fuerint quamque vulgaris notae,
Quae commodavi scelera. Prolusit dolor
Per ista noster. Quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc sum; crevit ingenium malis.
Juvat, juvat rapuisse fraternum caput;
Artus juvat secuisse, et arcano patrem
Spoliasse sacro; juvat in exitium senis
Armasse natas. Quaere materiam, dolor:
Ad omne facinus non rudem dextram adferes.
Quo te igitur, ira, mittis, aut quae perfido
Intendis hosti tela? Nescio quid ferox
Decrevit animus intus, et nondum sibi
Audet fateri. Stulta properavi nimis.
Ex pellice utinam liberos hostis meus
Aliquos haberet! Quidquid ex illo tuum est,
Crëusa peperit. Placuit hoc poenae genus,
Meritoque placuit: ultimum agnosco scelus.
Anime, patrandum est! Liberi quondam mei,
Vos pro paternis sceleribus poenas date! —
Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit. Ira discessit loco,
Materque totâ conjuge expulsâ redit.
Egon' ut meorum liberûm ac prolis meae
Fundam cruorem? Melius, ah, demens furor!
Incognitum istud facinus ac dirum nefas
A me quoque absit! Quod scelus miseri luent?
Scelus est Iason genitor, et majus scelus
Medea mater. — Occidant! non sunt mei. —

Pereant? Mei sunt; crimine et culpa carent. —
Sunt innocentes, fateor; et frater fuit.
Quid, anime, titubas? ora quid lacrimae rigant,
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit, anceps aestus incertam rapit?
Ut saeva rapidi bella cum venti gerunt,
Utrinque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum
Cor fluctuatur. Ira pietatem fugat,
Iramque pietas. Cede pietati, dolor!
Huc, cara proles, unicum adflictae domûs
Solamen, huc vos ferte, et infusos mihi
Conjungite artus! habeat incolumes pater,
Dum et mater habeat! — Urget exilium ac fuga.
Jamjam meo rapientur avulsi e sinu!
Flentes, gementes, occulis? — Pereant patri;
Periere matri. Rursus increscit dolor,
Et fervet odium. Repetit invitam manum
Antiqua Erinnys. Ira, quâ ducis, sequor!
Utinam superbae turba Tantalidos meo
Exisset utero, bisque septenos parens
Gnatos tulissem! Sterilis in poenas fui.
Fratri patrique quod sat est, peperi duos.
Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quaerit, aut quo flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? Ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello. Quem trabe infestâ petit
Megaera? cujus umbra dispersis venit
Incerta membris? Frater est! poenas petit.
Dabimus, sed omnes! Fige luminibus faces!
Lania! perure! Pectus en, furiis patet! —
Discedere a me, frater, ultrices deas,
Manesque ad imos ire securas jube:
Mihi me relinque, et utere hâc, frater, manu,

948. Fort.: Q. q., et quo squameos i. p.?

Quae strinxit ensem. Victimâ manes tuos
Placamus istâ. Quid repens adfert sonus?
Parantur arma, meque in exitium petunt.
Excelsa nostrae tecta conscendam domûs
Caede inchoatâ. Perge tu mecum, comes!
Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham.
Nunc hoc age, anime! Non in occulto tibi est
Perdenda virtus; adproba populo manum.
JAS. Quicunque regum cladibus fidus doles,
Concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi
Capiamus! Huc, huc, fortis, armiferi, cohors,
Conferte tela! vertite ex imo domum!
MED. Jamjam recepi sceptra, germanum, patrem;
Spoliumque Colchi pecudis auratae tenent!
Rediere regna! rapta virginitas redit!
O placida tandem numina! o festum diem!
O nuptialem! Vade: perfectum est scelus;
Vindicta nondum. Perage, dum faciunt manus!
Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? Potes.
Jam cecidit ira. Poenitet facti, pudet.
Quid, misera, feci? Misera, poeniteat licet,
Feci! — Voluptas magna me invitam subit,
Et, ecce, crescit! Deerat hoc unum mihi,
Spectator iste. Nihil adhuc factum reor:
Quidquid sine isto fecimus sceleris, perit.
JAS. En, ipsa tecti parte praecipiti imminet!
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
Suis perusta! MED. Congere extremum tuis
Gnatis, Iason, funus, ac tumulum strue:
Conjux socerque justa jam functis habent,
A me sepulti. Gnatus hic fatum tulit;
Hic te vidente dabitur exitio pari.
JAS. Per numen omne, perque communes fugas,
Torosque, quos non nostra violavit fides,
Jam parce nato! Si quod est crimen, meum est:

992. Fort.: violabit.

Me dedo morti; noxium macta caput!
MED. Hâc, quâ recusas, quâ doles, ferrum exigam!
I nunc, superbe, virginum thalamos pete!
Relinque matres! JAS. Unus est poenae satis.
MED. Si posset unâ caede satiari manus:
Nullam petîsset. Ut duos perimam: tamen
Nimium est dolori numerus angustus meo.
In matre si quod pignus etiamnum latet,
Scrutabor ense viscera, et ferro extraham.
JAS. Jam perage coeptum facinus (haud ultra precor),
Moramque saltem supplicis dona meis.
MED. Perfruere lento scelere; ne propera, dolor!
Meus dies est: tempore accepto utimur.
JAS. Infesta, memet perime! MED. Misereri jubes.
Bene est; peractum est. Plura non habui, dolor,
Quae tibi litarem. Lumina huc tumida adleva,
Ingrate Iason! Conjugem agnoscis tuam?
Sic fugere soleo: patuit in coelum via;
Squamosa gemini colla serpentes jugo
Submissa praebent. Recipe jam gnatos, parens!
Ego inter auras aliti curru vehar,
Per alta vadens spatia sublime aetheris.
JAS. Testare, nullos esse, quâ veheris, deos!

L. ANNAEI SENECAE

# AGAMEMNON.

## *DRAMATIS PERSONAE.*

THYESTES.
CLYTAEMNESTRA.
NUTRIX.
AEGISTHUS.
CHORUS ARGIVARUM SIVE MYCENAEARUM.
ORESTES, muta persona.
AGAMEMNON.
CASSANDRA.
EURYBATES.
ELECTRA.
STROPHIUS.
CHORUS ILIADUM.
PYLADES, muta persona.

# AGAMEMNON.

## ARGUMENTUM.

Thyestis umbra, ulciscendi injuriarum (de quibus vide Thyestis argumentum) cupida, filium Aegisthum in caedem Agamemnonis incitat. Ille itaque Agamemnonem victorem a Troja reducem in convivio imperviâ irretitum veste occidit, consilii caedisque participe Clytaemnestrâ, quam absente marito Agamemnone corruperat. Cassandram deinde Agamemnoni amatam ab aris avulsam occidit. Electram, quod fratrem Orestem amandarat, carceri mancipari jubent.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Polluti dolor hospitii atque iniuria raptae
Tyndaridis bello geminos armarat Atridas,
Collectâque manu Danaûm maria alta secabant.
Interea Aegisthi violento carpitur igni
Saeva Clytaemnestre, penitusque Agamemnona corde
Expulit, et thalamos violavit iniqua iugales,
At postquam, Phrygibus crudeli Marte subactis,
Atrides patrias victor remeavit in oras:
(O nulli sors fida diu!) qui mille carinas
Rexerat, atque Asiam decimo deleverat anno,
Ante lares proprios exoptatosque penates
Coniugis incestae manibus concisus ab atro
Vulnere praecipitem fudit cum sanguine vitam.

# ACTUS PRIMUS.

## THYESTIS UMBRA.

**Thyestis umbra ab Inferis adveniens Aegisthum ad vindictam sibi ab oraculo promissam invitat.**

Opaca linquens Ditis inferni loca,
Adsum profundo Tartari emissus specu,
Incertus, utras oderim sedes magis:
Fugio Thyestes Inferos, Superos fugo.
Inhorret animus, et pavor membra excutit:
Video paternos, imo fraternos lares.
Hoc est vetustum Pelopiae limen domus.
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis; hôc sedent alti toro,
Quibus superba sceptra gestantur manu.
Locus hic habendae curiae; hic epulis locus.
Libet reverti. Nonne vel tristes lacus
Adcolere satius? nonne custodem Stygis,
Tergemina nigris colla jactantem jubis,
Ubi ille celeri corpus evinctus rotae
In se refertur; ubi per adversum inritus
Redeunte toties luditur saxo labor;
Ubi tondet ales avida foecundum jecur;
Et inter undas fervidâ exustus siti
Aquas fugaces ôre decepto adpetit,
Poenas daturus coelitum dapibus graves.
Sed ille nostrae pars quóta est culpae senex?
Reputemus omnes, quos ob infandas manus

4. Fort.: Fugo Thyestes etc.

13. Vulgo: Incolere satius?

Quaesitor urnâ Gnossius versat reos:
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis;
A fratre vincar. Liberis plenus tribus
In me sepultis viscera exedi mea.
Nec hactenus Fortuna maculavit patrem;
Sed, majus aliud ausa commisso scelus,
Gnatae nefandos petere concubitus jubet.
Non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.
Ergo ut per omnes liberos irem parens,
Coacta fatis gnata fert uterum gravem,
Me patre dignum. Versa natura est retro:
Avo parentem, pro nefas! patri virum,
Gnatis nepotes miscui, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis
Post fata demum sortis incertae fides:
Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cujus secutae mille vexillum rates,
Iliaca velis maria texerunt suis,
Post decima Phoebi lustra devicto Ilio,
Adest, daturus conjugi jugulum suae.
Jamjam natabit sanguine alterno domus;
Enses, secures, tela, divisum gravi
Ictu bipennis regium video caput!
Jam scelera prope sunt; jam dolus, caedes, cruor!
Parantur epulae! Causa natalis tui,
Aegisthe, venit! Quid pudor vultus gravat?
Quid dextra dubio trepida consilio labat?
Quid ipse temet consulis, torques, rogas
An deceat hoc te? Respice ad matrem: decet.
Sed cur repente noctis aestivae vices
Hiberna longâ spatia producunt morâ?
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phoebum moramur. Reddo jam mundo diem.

## CHORUS ARGIVARUM.

Chorus e mulieribus Argivis seu Mycenaeis excelsam fortunam queritur instabilem, anxiam, periculis obnoxiam; mediocrem itaque illi praefert.

O REGNORUM magnis fallax a. d. et m.
Fortuna bonis, in praecipiti
Dubioque locas excelsa nimis!
Nunquam placidam sceptra quietem
Certumve sui tenuere diem;
Alia ex aliâ cura fatigat,
Vexatque animos nova tempestas.
Non sic Libycis Syrtibus aequor
Furit alternos volvere fluctus;
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis unda, nivali
Vicina polo,
Ubi, coeruleis immunis aquis,
Lucida versat plaustra Bootes,
Ut praecipites regum casus
Fortuna rotat.
Metui cupiunt, metuique timent.
Non nox illis alma recessus
Praebet tutos; non curarum
Somnus domitor pectora solvit.
Quas non arces scelus alternum
Dedit in praeceps? impia quas non
Arma fatigant? Jura pudorque
Et conjugii sacrata fides
Fugiunt aulas; sequitur tristis
Sanguinolentâ Bellona manu,
Quaeque superbos urit Erinnys,
Nimias semper comitata domos,
Quas in planum quaelibet hora
Tulit ex alto.

Licet arma vacent, cessentque doli:
Sidunt ipso pondere magna,
Ceditque oneri Fortuna suo.
Vela secundis inflata Notis
Ventos nimium timuere suos;
Nubibus ipsis inserta caput
Turris pluvio vapulat Austro;
Densasque nemus spargens umbras
Annosa videt robora frangi;
Feriunt celsos fulmina colles;
Corpora morbis majora patent;
Et cum in pastus armenta vagos
Vilia currant, placet in vulnus
Maxima cervix. Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.
Modicis rebus longius aevum est.
Felix, mediae quisquis turbae
Sorte quietus,
Aurâ stringit littora tutâ,
Timidusque mari credere cymbam
Remo terras propiore legit!

---

# ACTUS SECUNDUS.

## CLYTAEMNESTRA, NUTRIX.

**Sibi male conscia Clytaemnestra, atque adulterii poenas, redeunte jam marito, verita, *κακὰ κακοῖς ἰᾶσθαι* statuit. Meditatur itaque Agamemnoni exitium; dissuadet nutrix.**

CLYT. QUID segnis, anime, tua consilia expetis? i. s.
Quid fluctuaris? Clusa jam melior via est.
Licuit pudicos conjugis quondam toros
Et sceptra castâ vidua tutari fide;
Periere mores, jus, decus, pietas, fides,

Et, qui redire, cum perît, nescit, pudor:
Da frena, et omnem prona nequitiam incita:
Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Tecum ipsa nunc evolve foemineos dolos,
Quod ulla conjux perfida atque impos sui
Amore coeco, quod novercales manus
Ausae; quod ardens impiâ virgo face,
Phasiaca fugiens regna Thessalicâ trabe:
Ferrum, venena! vel Mycenaeas domos,
Conjuncta socio, profuge furtivâ rate!
Quid timida loqueris furta et exilium et fugas?
Soror ista fecit; te decet majus nefas.
NUTR. Regina Danaûm et inclitum Ledae genus,
Quid tacita versas, quidve, consilii impotens,
Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.
Proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio non quit, saepe sanavit mora.
CLYT. Majora cruciant, quam ut moras possim pati.
Flammae medullas et cor exurunt meum;
Mixtus dolori subdidit stimulos timor,
Invidia pulsat pectus. Hinc animum jugo
Premit Cupido turpis, et vinci vetat;
Et inter istas mentis obsessae faces,
Fessus quidem et dejectus et pessumdatus,
Pudor rebellat. Fluctibus variis agor,
Ut, cum hinc profundum ventus, hinc aestus rapit,
Incerta dubitat unda, cui cedat malo.
Proïnde omisi regimen e manibus meis:
Quocunque me ira, quo dolor, quo spes feret,
Huc ire pergam; fluctibus dedimus ratem.
Ubi animus errat, optimum est casum sequi.
NUTR. Coeca est temeritas, quae petit casum ducem.
CLYT. Cui ultima est fortuna, quis dubiam timet?

146. Vulgo: quid dub. t.?

NUTR. Tuta est latetque culpa, si pateris, tua.
CLYT. Perlucet omne regiae vitium domûs.
NUTR. Piget prioris, et novum crimen struis?
CLYT. Res est profecto stulta nequitiae modus.
NUTR. Quod metuit, auget, qui scelus scelere obruit.
CLYT. Et ferrum et ignis saepe medicinae loco est.
NUTR. Extrema primo nemo tentavit loco.
CLYT. Rapienda rebus in malis praeceps via est.
NUTR. At te reflectat conjugis nomen sacrum.
CLYT. Decem per annos vidua respiciam virum?
NUTR. Meminisse debes sobolis ex illo tuae.
CLYT. Equidem et jugales filiae memini faces,
Et generum Achillem. Praestitit matri fidem!
NUTR. Redemit illa classis immotae moras,
Et maria pigro fixa languore impulit.
CLYT. Piget doletque! Tyndaris, coeli genus,
Lustrale classi Doricae peperi caput!
Revolvit animus virginis thalamos meae,
Quos ille dignos Pelopiâ fecit domo,
Cum stetit ad aras ore sacrifico pater
Quam nuptiales! Horruit Calchas suae
Responsa vocis et recedentes focos.
O scelera semper sceleribus vincens domus!
Cruore ventos emimus, bellum nece.
NUTR. Sed vela pariter mille fecerunt rates.
CLYT. Non est soluta prospero classis deo:
Ejecit Aulis impias portu rates.
Sic auspicatus bella non melius gerit.
Amore captae captus, immotus prece,
Sminthéa tenuit spolia Phoebeï senis,
Ardore sacrae virginis jam tum furens.
Non illum Achilles flexit indomitus minis;
Non ille, solus fata qui mundi videt,
In nos fidelis augur, in captas levis;
Non populus aeger, et relucentes rogi:
Inter ruentis Graeciae stragem ultimam

Sine hoste victus marcet ac Veneri vacat,
Reparatque amores; neve desertus foret
A pellice unquam barbarâ coelebs torus,
Ablatam Achilli diligit Lyrnessida,
Nec rapere puduit e sinu avulsam viri.
En Paridis hostem! Nunc, novum vulnus gerens,
Amore Phrygiae vatis incensus furit;
Et post tropaea Troïa ac versum Ilium
Captae maritus remeat et Priami gener.
Adcingere, anime: bella non levia adparas.
Scelus occupandum est! Pigra, quem expectas diem?
Pelopia Phrygiae sceptra dum teneant nurus?
An te morantur virgines viduae domi,
Patrique Orestes similis? Horum te mala
Ventura moveant, turbo quîs rerum imminet.
Quid, misera, cessas? En, adest gnatis tuis
Furens noverca! Per tuum, si aliter nequit,
Latus exigatur ensis, et perimat duos!
Misce cruorem! perde pereundo virum!
Mors misera non est commori cum quo velis.
NUTR. Regina, frena temet et siste impetum,
Et, quanta tentes, cogita! Victor venit
Asiae ferocis, ultor Europae; trahit
Captiva Pergama et diu victos Phrygas.
Hunc fraude nunc conaris et furto adgredi,
Quem non Achilles ense violavit fero,
Quamvis procacem torvus armasset manum;
Non melior Ajax, morte decretâ furens;
Non sola Danaïs Hector et bello mora;
Non tela Paridis certa; non Memnon niger;
Non Xanthus armis corpora immixtis gerens,
Fluctusque Simoïs caede purpureos agens;
Non nivea proles Cycnus aequorei dei;
Non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx;
Non picta pharetras et securigerâ manu

207. Fort.: H. f. tu con.

Peltata Amazon? hunc domi reducem paras
Mactare, et aras caede maculare impiâ?
Ultrix inultum Graecia hoc facinus feret?
Equos et armà classibusque horrens fretum
Propone, et alto sanguine exundans solum,
Et totâ captae fata Dardaniae domus
Regesta Danaïs! Comprime adfectus truces,
Mentemque tibimet ipsa pacifica tuam!

## AEGISTHUS, CLYTAEMNESTRA, NUTRIX.

*Clytaemnestram nutricis consiliis cedere paratam, jamque dubiam, superveniens Aegisthus avertit rursus atque in praeceps trahit.*

AEGISTH. Quod tempus animo semper ac mente horrui, i. s.
Adest profecto rebus extremum meis.
Quid terga vertis, anime? quid primo impetu
Deponis arma? Crede, perniciem tibi
Et dira saevos fata moliri deos!
Oppone cunctis vile suppliciis caput,
Ferrumque et ignes pectore adverso excipe!
CLYT. Aegisthe, non est poena sic nato mori.
AEGISTH. Tu nos, pericli socia, tu, Ledâ sata,
Comitare tantum: sanguinem reddet tibi
Ignavus iste ductor ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas,
Jacensque vultus languido obtutu stupet?
CLYT. Amor jugalis vincit ac flectit retro.
Referamur illuc, unde non decuit prius
Abire! Vel nunc casta repetatur fides:
Nam sera nunquam est ad bonos mores via.
Quem poenitet peccasse, paene est innocens.
AEGISTH. Quo raperis amens? credis aut speras tibi
Agamemnonis fidele conjugium? Ut nihil
Subesset animo, quod graves faceret metus:

Tamen superba et impotens flatu nimis
Fortuna magno spiritus tumidos daret.
Gravis ille sociis stante adhuc Troja fuit:
Quid rere ad animum suapte naturâ trucem
Trojam addidisse? Rex Mycenarum fuit;
Veniet tyrannus: prospera animos efferunt.
Effusa circa pellicum quanto venit
Turba adparatu! sola sed turbâ eminet,
Tenetque regem famula veridici dei.
Feresne thalami victa consortem tui?
At illa nolet. Ultimum est nuptae malum
Palam marita possidens pellex domum.
Nec regna socium ferre nec taedae sciunt.
CLYT. Aegisthe, quid me rursus in praeceps agis,
Iramque flammis jam residentem incitas?
Permisit aliquid victor in captas sibi?
Non conjugem hoc respicere, non dominam decet.
Lex alia solio est, alia privato in toro.
Quid, quod severas ferre me leges viro
Non patitur animus, turpis admissi memor?
Det ille veniam facile, cui veniâ est opus.
AEGISTH. Ita est? pacisci mutuam veniam licet?
Ignota tibi sunt jura regnorum haud nova.
Nobis maligni judices, aequi sibi,
Id esse regni maximum pignus putant,
Si quidquid aliis non licet, solis licet.
CLYT. Ignovit Helenae: juncta Menelao redit,
Quae Europam et Asiam paribus adflixit malis.
AEGISTH. Sed nulla Atriden venere furtivâ abstulit,
Nec cepit animum conjugi obstrictum suae.
Jam crimen ille quaerit, et causas parat.
Nil esse crede turpe commissum tibi:
Quid honesta prodest vita, flagitio vacans,
Ubi dominus odit? Fit nocens; non quaeritur.
Spartamne repetes spreta et Eurotan tuum

250. Fort.: Quid reris ad suapte n. t.

Patriasque sedes profuga? Non dant exitum
Repudia regum. Spe metum falsâ levas.
CLYT. Delicta novit nemo nisi fidus mea.
AEGISTH. Non intrat unquam regium limen fides.
CLYT. Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.
AEGISTH. Pretio parata vincitur pretio fides.
CLYT. Surgit residuus pristinae mentis pudor.
Quid obstrepis? quid voce blandiloquâ mala
Consilia dictas? Scilicet nubam tibi
Regum relicto rege generosa exuli?
AEGISTH. Et cur Atridâ videor inferior tibi,
Gnatus Thyestae? CLYT. Si parum est, adde: „et nepos."
AEGISTH. Auctore Phoebo gignor: haud generis pudet.
CLYT. Phoebum nefandae stirpis auctorem vocas,
Quem nocte subitâ frena revocantem sua
Coelo expulistis? Quid deos probo addimus?
Subripere doctus fraude geniales toros,
Quem venere tantum scimus inlicitâ virum,
Faceste propere, ac dedecus clarae domus
Asporta ab oculis: haec vacat regi ac viro.
AEGISTH. Exilia mihi sunt haud nova; adsuevi malis.
Si tu imperas, regina: non tantum domo
Argisve cedo; ni moror jussu tuo
Aperire ferro pectus aerumnis grave.
CLYT. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam.
Quae juncta peccat, debet et culpae fidem.
Secede mecum potius: ut rerum statum
Dubium ac minacem juncta consilia explicent.

306. Fort.: cruentum.

## CHORUS ARGIVARUM.

**Chorus e virginibus Mycenaeis et Argivis canit Apollinis paeana ob partam victoriam; interserit autem Junonis Palladisque laudes et Dianae et Jovis.**

CANITE, o pubes inclita, Phoebum! a. d. et m.
Tibi festa caput turba coronat;
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia;
Quaeque Erasini gelidos fontes,
Quaeque Eurotan, quaeque virenti
Tacitum ripâ bibis Ismenon,
Tu quoque nostros, Thebaïs hospes,
Comitare choros, quam fatorum
Praescia Manto, sata Tiresiâ,
Latonigenas monuit sacris
Celebrare deos!
Arcus, victor Phoebe, relaxa,
Humeroque graves levibus telis
Pone pharetras; resonetque manu
Pulsa citatâ vocale chelys!
Nil acre velim magnumque modis
Intonet altis; sed quale soles
Leviore lyrâ flectere carmen
Simplex, lusus cum docta tuos
Musà recenset. Licet et chordâ
Graviore sones, quale canebas,
Cum Titanas fulmine victos
Videre dei; vel cùm montes
Montibus altis superimpositi
Struxere gradus trucibus monstris,
Stetit impositâ Pelion Ossâ,
Pinifer ambo pressit Olympus.

323. Vulgo: A. v. pace relatâ, Phoebe, relaxa, etc.

Ades, o magni, soror et conjux,
Consors sceptri, regia Juno:
Tua te colimus turba Mycenae.
Tu sollicitum supplexque tui
Numinis Argos sola tueris;
Tu bella manu pacemque regis;
Tu nunc lauros Agamemnonias
Accipe victrix! Tibi multiforâ
Tibia buxo solemne canit;
Tibi fila movent docta puellae
Carmine molli; tibi votivam
Matres Grajae lampada jactant;
Ad tua conjux candida tauri
Delubra cadit, nescia aratri,
Nullo collum signata jugo.
Tuque, o magni gnata Tonantis,
Inclita Pallas, quae Dardanias
Saepe petisti cuspide turres!
Te permixto matrona minor
Majorque choro colit, et reserat
Veniente deâ templa sacerdos.
Tibi nexilibus turba coronis
Redimita venit;
Tibi grandaevi lassique senes
Compote voto reddunt grates,
Libantque manu vina trementi.
Et te, Triviam, notâ memores
Voce precamur.
Tu maternam sistere Delon,
Lucina, jubes, huc atque illuc
Prius errantem Cyclada ventis.
Nunc jam stabilis fixâ terras
Radice tenet, respuit auras,
Religatque rates, adsueta sequi.
Tu Tantalidos funera matris
Victrix numeras. Stat nunc Sipyli

Vertice summo flebile saxum,
Et adhuc lacrimas, moesta aeternum,
Marmora manant antiqua novas.
Colit impense femina virque
Numen geminum.
Tuque ante omnes, pater ac rector,
Fulmine pollens, cujus nutu
Simul extremi tremuere poli,
Generis nostri, Jupiter, auctor,
Cape dona libens, abavusque tuam
Non degenerem respice prolem!
Sed, ecce, vasto concitus miles gradu i. s.
Manifesta properat signa laetitiae ferens:
Namque hasta summo lauream ferro gerit,
Fidusque regi semper Eurybates adest.

---

# ACTUS TERTIUS.

## EURYBATES, CLYTAEMNESTRA.

Eurybates narrat, Agamemnona reducem advenire, tempestatem a Pallade immissam, Naupliique dolo aggravatam; parantur diis victimae et convivium Agamemnoni, captivae adducuntur.

EUR. DELUBRA et aras coelitum et patrios lares i. s.
Post longa fessus spatia, vix credens mihi,
Supplex adoro. Vota Superis solvite:
Telluris altum remeat Argolicae decus
Tandem ad penates victor Agamemnon suos.
CLYT. Felix ad aures nuncius venit meas.
Ubinam petitus per decem conjux mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
EUR. Incolumis, auctus gloriâ, laude inclitus
Reducem expetito littori impressit pedem.

CLYT. Sacris colamus prosperum tandem diem,
Et si propitios, attamen lentos, deos.
Tu pande, vivat conjugis frater mei,
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
EUR. Meliora votis posco, et obtestor deos:
Nam certa fari sors maris dubii vetat.
Ut sparsa tumidum classis excepit mare:
Ratis videre socia non potuit ratem.
Quin ipse Atrides aequore immenso vagus
Graviora pelago damna quam bello tulit,
Remeatque victo similis, exiguas trahens
Lacerasque victor classe de tantâ rates.
CLYT. Effare: casus quis rates hausit meas,
Aut quae maris fortuna dispulerat duces?
EUR. Acerba fatu poscis, infaustum jubens
Miscere laeto nuncium. Refugit loqui
Mens aegra, tantis atque inhorrescit malis.
CLYT. Exprome. Clades scire qui refugit suas,
Gravat timorem: dubia plus torquent mala.
EUR. Ut Pergamum omne Doricâ cecidit face:
Divisa praeda est. Maria properantes petunt.
Jamque ense fessum miles exonerat latus;
Neglecta summas scuta per puppes jacent;
Ad militares remus aptatur manus;
Omnisque nimium longa properanti mora est.
Signum recursûs regiâ ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit tuba:
Aurata primas prora designat vias,
Aperitque cursus, mille quos puppes secent.
Hinc aura primo lenis impellit rates
Adlapsa velis; unda vix actu levi
Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit;
Splendetque classe pelagus et pariter latet.
Juvat videre nuda Trojae littora,

414. Vulgo: jubes.

431. Fort.: mollis a flatu tr.

Juvat relicti sola Sigeï loca.
Properat juventus omnis adductos simul
Lentare remos; adjuvat ventos manu,
Et valida nisu brachia alterno movet.
Sulcata vibrant aequora et latera increpant,
Dirimuntque canae caerulum spumae mare.
Ut aura plenos fortior tendit sinus:
Posuere tonsas, credita est vento ratis;
Fususque transtris miles aut terras procul,
Quantum recedunt vela, fugientes notat;
Aut bella narrat: Hectoris fortis minas,
Currusque, et emto redditum corpus rogo;
Sparsum cruore regis Herceum Jovem.
Tum, qui jacente reciprocus ludit salo,
Tumidumque pando transilit dorso mare,
Tyrrhenus omni piscis exultat freto,
Agitatque gyros, et comes lateri adnatat,
Anteire naves laetus et rursus sequi;
Nunc prima tangens rostra lascivit chorus,
Millesimam nunc ambit et lustrat ratem.
Jam littus omne tegitur, et campi latent,
Et dubia parent montis Idaei juga.
Et jam, quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atrâ fumus adparet notâ.
Jam lassa Titan colla relevabat jugo;
In astra jam lux prona, jam praeceps dies:
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phoebi jubar.
Suspecta varius occidens fecit freta.
Nox prima coelum sparserat stellis; jacent
Deserta vento vela: tum murmur grave
Majora minitans collibus summis cadit,
Tractuque longo littus ac petrae gemunt.
Agitata ventis unda venturis tumet:
Cum subito luna conditur, stellae latent,
In astra pontus tollitur, coelum perit;

Nec una nox est: densa tenebras obruit
Caligo, et omni luce subductâ fretum
Coelumque miscet. Undique incumbunt simul,
Rapiuntque pelagus infimo eversum solo
Adversus Euro Zephyrus et Boreae Notus.
Sua quisque mittunt tela, et infesti fretum
Emoliuntur (turbo convolvit mare):
Strymonius altas Aquilo contorquet nives,
Libycusque arenas Auster ad Syrtes agit.
Nec manet in Austro: fit gravis nimbis Notus,
Imbre auget undas; Eurus Orientem movet,
Nabathaea quatiens regna et Eoos sinus.
Quid rapidus ora Corus Oceano exserens?
Mundum revelli sedibus totum suis,
Ipsosque rupto crederes coelo deos
Decidere, et atrum rebus induci chaos.
Vento resistit aestus, et ventus retro
Aestum revolvit. Non capit sese mare,
Undasque miscent imber et fluctus suas.
Nec hoc levamen denique aerumnis datur,
Videre saltem et nosse, quo pereant malo:
Premunt tenebrae lumina, et dirae Stygis
Inferna nox est. Excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisâ micat;
Miserisque lucis tanta dulcedo est: male
Hoc lumen optant. Ipsa se classis premit,
Et prora prorae nocuit, et lateri latus.
Illam dehiscens pontus in praeceps rapit
Hauritque, et alto redditam revomit mari;
Haec onere sidit; illa convulsum latus
Submittit undis; fluctus hanc decimus tegit;
Haec lacera et omni decore populato levis
Fluitat; nec illi vela, nec tonsae manent,
Nec rectus altas malus antennas ferens,
Sed trunca toto puppis Ionio natat.
Nil ratio et usus audet: ars cessit malis.

Tenet horror artus; omnis officio stupet
Navita relicto; remus effugit manus.
In vota miseros ultimus cogit timor,
Eademque Superos Troës et Danaï rogant.
Quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri,
Ajaci Ulysses, Hectori Atrides minor,
Agamemno Priamo. Quisquis ad Trojam jacet,
Felix vocatur, cadere qui meruit gradu,
Quem fama servat, victa quem tellus tegit.
„Nil nobile ausos pontus atque undae ferent?
Ignava fortes fata consument viros?
Perdenda mors est? Quisquis es nondum malis
Satiate tantis coelitum, tandem tuum
Numen serena! Cladibus nostris daret
Vel Troja lacrimas. Odia si durant tua,
Placetque mitti Doricum exitio genus:
Quid hos simul perire nobiscum juvat,
Quibus perimus? Sistito infestum mare:
Vehit ista Danaos classis? et Troas vehit.“
Nec plura possunt: occupat vocem mare.
Ecce alia clades! fulmine irati Jovis
Armata Pallas, quidquid aut hastâ minax,
Aut aegide et furore Gorgoneo potest,
Aut igne patrio, tentat: et coelo novae
Spirant procellae. Solus invictus malis
Luctatur Ajax. Vela cogentem hunc sua
Tenso rudente flamma perstrinxit cadens.
Libratur aliud fulmen; hoc toto impetu
Certum reductâ Pallas excussit manu,
Imitata patrem. Transit Ajacem et ratem,
Ratisque partem secum et Ajacem tulit.
Nil ille motus, ardua ut cautes, salo
Ambustus extat, dirimit insanum mare,
Fluctusque rumpit pectore, et navem manu
Complexus in se traxit, et coeco mari

540. Fort.: Complexus ipse traxit.

Conlucet Ajax; omne resplendet fretum.
Tandem occupatâ rupe furibundum intonat,
Superasse nunc se pelagus atque ignes. „Juvat
Vicisse coelum, Palladem, fulmen, mare!
Non me fugavit bellici terror deï;
Et Hectorem unâ solus et Martem tuli;
Phoebéa nec me tela pepulerunt gradu:
Cum Phrygibus istos vicimus. Tene horream?
Aliena inerti tela mittis dexterâ.
Quid, si ipse mittat?" Plura cum auderet furens:
Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exerens undis caput,
Solvitque montem; quem cadens secum tulit,
Terrâque et igne victus et pelago jacet.
Nos alia major naufragos pestis vocat.
Est humilis unda, scrupeis mendax vadis,
Ubi saxa rapidis clusa verticibus tegit
Fallax Caphareus; aestuat scopulis fretum,
Fervetque semper fluctus alternâ vice;
Arx imminet praerupta, quae spectat mare
Utrinque geminum. Pelopis hinc oras tui,
Et Isthmon, arcto qui recurvatus solo
Ionia jungi maria Phrixeïs vetat;
Hinc scelere Lemnon nobilem; hinc Chalcodona,
Tardamque ratibus Aulin. Hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, et clarum manu
Lumen nefandâ vertice e summo efferens
In saxa duxit perfidâ classem face.
Haerent acutis rupibus fixae rates;
Has inopis undae brevia comminuunt vada;
Pars vehitur hujus prima, pars scopulo sedet;
Hanc alia retro spatia relegentem ferit,
Et fracta frangit. Jam timent terram rates,
Et maria malunt. Cecidit in lucem furor.
Postquam litatum est Ilio: Phoebus redit,
Et damna noctis tristis ostendit dies.

CLYT. Utrumne doleam, laeter an reducem virum?
Remeasse laetor; vulnus at regni grave
Lugere cogor. Redde jam Grajis, pater,
Altisona quatiens regna, placatos deos!
Nunc omne laetâ fronde veletur caput;
Sacrifica dulces tibia effundat modos;
Et nivea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce! turba tristis, incomtae comas
Iliades adsunt, quas super celso gradu
Effrena Phoebas entheas laurus quatit.

## CHORUS ILIADUM, CASSANDRA.

Chorus Iliadum Trojae fata casumque luget, Cassandra furore Phoebeo correpta, quae Agamemnoni imminent, vaticinatur.

CHOR. Heu quam dulce malum mortalibus additum Aeol.
Vitae dirus amor, cum pateat malis asclep.
Effugium, et miseros libera mors vocet,
Portus aeternâ placidus quiete! sapph.
Nullus hunc terror nec impotens tr. dim. hyp.
Procella Fortunae movet, i. dim.
Aut iniqui flamma Tonantis glyc. pol. hyp.
(Pax alta); nullos civium coetus timet, i. sen.
Aut minaces victoris iras; as. tr. i. hyp.
Non maria asperis insana Coris; alc. invers.
Non acies feras, pulvereamque nubem, dochm. hyp.
Motam barbaricis equitum catervis;
Non urbe cum totâ populos cadentes, alc. hyp.
Hosticâ muros populante flammâ, sapph.
Indomitumve bellum; perrumpet omne dochm. hyp.
Servitium contemtor levium deorum,
Qui vultus Acherontis atri, glyc. hyp.
Qui Styga tristem non tristis videt, as.: ad. do.
Audetque vitae ponere finem, as.: i. h. ad.

Garrula deflet, lugere tuam
Poterit, digne conquesta, domum.
Licet ipse velit
Clarus niveos inter olores
Istrum cygnus Tanaïnque colens
Extrema loqui;
Licet alcyones Ceyca suum
Fluctu leviter plangente sonent,
Cum tranquillo, male confisae,
Credunt iterum pelago audaces,
Foetusque suos
Nido pavidae titubante fovent;
Non, si, molles imitata viros,
Tristis laceret brachia tecum,
Quae turritae turba parenti,
Pectora rauco concita buxo,
Furit, ut Phrygium lugeat Attin,
Non est lacrimis, Cassandra, modus,
Quia quae patimur vicere modum.
Sed cur sacratas deripis capiti infulas? i. s.
Miseris colendos maxime Superos putem.
CASS. Vicere nostra jam metus omnes mala.
Equidem nec ullâ coelites placo prece;
Nec, si velint saevire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipsa consumsit suas.
Quae patria restat, quis pater, quae jam soror?
Bibére tumuli sanguinem atque arae meum.
Quid illa felix turba fraterni gregis?
Exhausta nempe! regiâ miseri senes
Vacuâ relicti totque per thalamos vident
Praeter Lacaenam ceteras viduas nurus.
Tot illa regum mater et regimen Phrygum,
Foecunda in ignes Hecuba, fatorum novas
Experta leges, induit vultus feros:
Circa ruinas rabida latravit suas,
Trojae superstes, Hectori, Priamo, sibi.

CHOR. Silet repente Phoebas, et pallor genas,
Creberque totum possidet corpus tremor;
Stetere vittae: mollis horrescit coma;
Anhela corda murmure incluso fremunt;
Incerta nutant lumina, et versi retro
Torquentur oculi; rursus immites rigent.
Nunc levat in auras altior solito caput,
Graditurque celsa; nunc reluctantes parat
Reserare fauces; verba nunc cluso male
Custodit ore Maenas impatiens dei.
CASS. Quid me furoris incitam stimulis novi,
Quid mentis inopem, sacra Parnassi juga
Rapitis? Recede, Phoebe: jam non sum tua.
Extingue flammas pectori infixas meo!
Cui nunc vagor vesana? cui bacchor furens?
Jam Troja cecidit falsa: quid vates ago?
Ubi sum? Fugit lux alma, et obscurat genas
Nox alta, et aether abditus tenebris latet.
Sed ecce! gemino sole praefulget dies,
Geminumque duplices Argos attollit domos.
Idaea cerno nemora! fatalis sedet
Inter potentes arbiter pastor deas.
Timete reges, moneo, furtivum genus:
Agrestis ille alumnus evertet domum.
Quid ista vecors tela femineâ manu
Destricta praefert? quem petit dextrâ virum
Lacaena cultu, ferrum Amazonium gerens?
Quae versat oculos alia nunc facies meos?
Victor ferarum, colla sublimis, jacet
Ignobili sub dente, Marmaricus leo,
Morsus cruentos passus audacis leae.
Quid me vocatis sospitem solam e meis,
Umbrae meorum? Te sequor, totâ pater
Trojâ sepulte! Frater, auxilium Phrygum,
Terrorque Danaûm, non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exustis manus;

Sed lacera membra, et saucios vinclo gravi
Illos lacertos. Te sequor, nimium cito
Congresse Achilli, Troïle! Incertos geris,
Deïphobe, vultus, conjugis munus novae!
Juvat videre Tartari saevum canem;
Juvat per ipsos ingredi Stygios lacus
Avidique regna Ditis! Haec hodie ratis
Phlegethontis atri regias animas vehet,
Victamque, victricemque. Vos, umbrae, precor;
Jurata Superis unda, te pariter precor,
Reserate paulum terga nigrantis poli:
Levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum!
Spectate miseri: fata se vertunt retro.
Instant sorores squalidae! Sanguinea jactant verbera; i. tetr.
Fert laeva semustas faces; turgentque pallentes genae,
Et vestis atri funeris exesa cingit ilia.
Strepuntque nocturni metus; et ossa vasti corporis,
Corrupta longinquo situ, palude limosâ jacent.
Et ecce! defessus senex ad ora ludentes aquas
Non captat, oblitus sitis, moestus futuro funere;
Exultat et ponit gradus pater decoros Dardanus!
CHOR. Jam pervagatus ipse se fregit furor, i. s.
Caditque, flexo qualis ante aras genu
Cervice taurus vulnus incertum gerens.
Relevemus artus entheos. Tandem suos
Victrice lauru cinctus Agamemnon adit:
Et festa conjux obvios illi tulit
Gressus, reditque juncta concordi gradu.

755. Fort.: R. p. tesqua n. p.
758. Fort.: Anguinea jactat etc.

# ACTUS QUARTUS.

## AGAMEMNON, CASSANDRA.

**Agamemnoni reduci praedicit Cassandra fatum, nec creditur. Troad. vers. 54.**

AGAM. Tandem revertor sospes ad patrios lares. I. s.
O cara, salve, terra! tibi tot barbarae
Dedere gentes spolia; tibi felix diu
Potentis Asiae Troja submisit manus.
Quid ista vates corpus effusa ac tremens
Dubia labat cervice? Famuli, attollite!
Refovete gelido latice! Jam recipit diem
Marcente visu. Suscita sensus tuos:
Optatus ille portus aerumnis adest.
Festus dies est. CASS. Festus et Trojae fuit.
AGAM. Veneremur aras. CASS. Cecidit ante aras pater.
AGAM. Jovem precemur pariter. CASS. Herceum Jovem?
AGAM. Credis videre te Ilium? CASS. Et Priamum simul.
AGAM. Hic Troja non est. CASS. Ubi Helena est, Trojam puto.
AGAM. Ne metue dominam famula .... CASS. Libertas adest.
AGAM. Secura vive. CASS. Mors mihi est securitas.
AGAM. Nullum est periclum tibimet. CASS. At magnum tibi.
AGAM. Victor timere quid potest? CASS. Quod non timet.
AGAM. Hanc fida, famuli, turba, dum excutiat deum,
Retinete, ne quid impotens peccet furor!
At te, pater, qui saeva torques fulmina

788. Fort.: vives.

Pellisque nubes, sidera et terras regis,
Ad quem triumphi spolia victores ferunt;
Et te sororem cuncta pollentis viri,
Argolica Juno, pecore votivo libens
Arabumque donis, supplice et fibra colam.

## CHORUS ARGIVARUM.

Chorus Argivarum Herculis laudes canit; nutriti scilicet Argis, cujusque sagittae fato poscebantur ad secundum Trojae excidium.

Argos nobilibus nobile civibus, asclep.
Argos iratae carum novercae, sapph.
Semper ingentes educas alumnos; as.: t. h. cl. t. d. br.
Imparem aequasti numerum deorum: sapph.
Tuus ille bisseno meruit labore alc. hyp.
Adlegi coelo magnus Alcides, as.: 2 t. h. cl.
Cui lege mundi Jupiter ruptâ i. tr. brach. cl.
Roscidae noctis geminavit horas, sapph.
Jussitque Phoebum i. h.
Tardius celeres agitare currus, sapph.
Et tuas lente remeare bigas,
Pallida Phoebe; ad.
Retulitque pedem, nomen alternis as.: 2 t. h. cl.
Stella quae mutat, seque mirata est
Hesperum dici; t. h. cl.
Aurora movit ad solitas vices alc.
Caput, et relabens imposuit senis
Humero mariti. i. hyp.
Sensit Ortus, sensit Occasus, t. d. hyp. cl.
Herculem nasci: violentus ille sapph.
Nocte non unâ poterat creari.
Tibi concitatus substitit mundus, i. tr. brach. cl.
O puer magnum subiture coelum! sapph.
Te sensit Nemeaeus arcto glyc. hyp.
Pressus lacerto fulmineus leo, alc.

Cervaque Parrhasis; do.
Sensit Arcadii populator agri; sapph.
Gemuitque taurus, Dictaea linquens as.: 2 i. h.
Horridus arva. ad.
Morte foecundum domuit draconem, sapph.
Vetuitque collo pereunte nasci; as.: 2 i. h.
Geminosque fratres i. h.
Pectore ex uno, tria monstra, natos sapph.
Stipite incusso fregit insultans; as.: 2 t. h. cl.
Duxitque ad ortus Hesperium pecus, alc.
Geryonae spolium triformis. archil.
Egit Threïcium gregem, glyc.
Quem non Strymonii gramine fluminis asclep.
Hebrive ripis pavit tyrannus: as.: 2 i. h.
Hospitum dirus stabulis cruorem sapph.
Praebuit saevis; tinxitque crudos
Ultimus rictus sanguis aurigae. as.: 2 t. h. cl.
Vidit Hippolyte ferox pectore in medio rapi as.: 2 glyc.
Spolium; et sagittis nube percussâ i. tr. br. cl.
Stymphalis alto decidit coelo;
Arborque pomis fertilis aureis alc.
Extimuit manus, insueta carpi, alc. invers.
Fugitque in auras leviore ramo. as.: 2 i. h.
Audivit sonitum crepitante lamnâ dochm. hyp.
Frigidus custos nescius somni, as.: 2 t. h. cl.
Linqueret cum jam nemus omne fulvo sapph.
Plenus Alcides vacuum metallo.
Tractus ad coelum canis Inferorum
Triplici catenâ tacuit, nec ullo as.: 2 i. h.
Latravit ore, lucis ignotae i. tr. br. cl.
Metuens colorem. Te duce succidit alc.
Mendax Dardaniae domus, glyc.
Et sensit arcus iterum timendos; as.: 2 i. h.
Te duce concidit totidem diebus alc. inv.
Troja, quot annis. ad.

# ACTUS QUINTUS.

## CASSANDRA.

*Cassandra caedem Agamemnonis mentis oculis videt enarratque.*

Res agitur intus magna, par annis decem! i. s.
Eheu, quid hoc est? Anime, consurge, et cape
Pretium furoris: vicimus victi Phryges!
Bene est! resurgis, Troja! traxisti jacens
Pares Mycenas! terga dat victor tuus!
Tam clara nunquam providae mentis furor
Ostendit oculis: video, et intersum, et fruor.
Imago visus dubia non fallit meos:
Spectemus. Epulae regiâ instructae domo,
Quales fuerunt ultimae Phrygibus dapes,
Celebrantur. Ostro lectus Iliaco nitet,
Merumque in auro veteris Assaraci trahunt;
Et ipse pictâ veste sublimis jacet,
Priami superbas corpore exuvias gerens.
Detrahere cultus uxor hostiles jubet,
Induere potius conjugis fidae manu
Textos amictus. Horreo atque animo tremo.
Regemne perimet exul, et adulter virum?
Venere fata: sanguinem extremae dapes
Domini videbunt, et cruor Baccho incidet.
Mortifera vinctum perfidae tradet neci
Induta vestis: exitum manibus negat,
Caputque laxi et invii cludunt sinus.
Haurit trementi semivir dextrâ latus,
Nec penitus adigit; vulnere in medio stupet.
At ille, ut altis hispidus silvis aper,
Cum casse vinctus tentat egressus tamen,

860. Fort.: Heu heu, quid hoc est?
877. Fort.: Vertére fata.

Arctatque motu vincla, et incassum furit,*
Cupit fluentes undique et caecos sinus
Dissicere, et hostem quaerit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens;
Qualisque ad aras colla taurorum pius
Designat oculis, antequam ferro petat;
Sic huc et illuc impiam librat manum.
Habet; peractum est! pendet exiguâ male
Caput amputatum parte; et hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu jacent.
Nondum recedunt; ille jam exanimem petit,
Laceratque corpus; illa fodientem adjuvat.
Uterque tanto scelere respondet suis:
Est hic Thyeste natus, haec Helenae soror.
Stat ecce! Titan dubius emerito die,
Suâne currat, an Thyestaeâ viâ.

## ELECTRA, STROPHIUS, ORESTES ET PYLADES, mutae personae.

Electra fratri suo Oresti subducto fugam suadet, eumque Strophio opportune occurrenti tradit abducendum; ipsa ad aram confugit.

EL. Fuge, o paternae mortis auxilium unicum, i. s,
Fuge, et scelestas hostium evita manus!
Eversa domus est funditus, regna occidunt.
Hospes quis iste concitos currus agit?
Germane, vultus veste furabor tuos!
Quos, anime demens, refugis? Externos times;
Domus timenda est. Pone jam trepidos metus,
Oresta; amici fida praesidia intuor.
STROPH. Phocide relictâ Strophius, Eleâ inclitus
Palmâ revertor. Causa veniendi fuit
Gratari amico, cujus impulsum manu
Cecidit decenni Marte concussum Ilion.

906. Fort.: tutabor.

Quaenam ista lacrimis lugubrem vultum rigat,
Pavetque moesta? Regium agnosco genus.
Electra, fletûs causa quae laetâ in domo est?
EL. Pater peremtus scelere materno jacet;
Comes paternae quaeritur gnatus neci;
Aegisthus arces venere quaesitas tenet.
STROPH. O nulla longi temporis felicitas!
EL. Per te parentis memoriam obtestor mei,
Per sceptra terris nota, per dubios deos:
Recipe hunc Oresten, ac pium furtum occule!
STROPH. Etsi timendum caesus Agamemnon docet:
Adgrediar, et te, Oresta, furabor libens.
Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.
Cape hoc decorum ludicri certaminis,
Insigne frontis! laeva victricem tenens
Frondem virenti protegat ramo caput;
Et ista donum palma Pisaei Jovis
Velamen eadem praestet atque omen tibi.
Tuque o, paternis adsidens frenis comes,
Condisce, Pylade, patris exemplo fidem!
Vos, Graeciâ nunc teste veloces equi,
Infida cursu fugite praecipiti loca!
EL. Excessit, abiit; currus effreno impetu
Effugit aciem. Tuta jam opperiar meos
Hostes, et ultro vulneri opponam caput.
Adest cruenta conjugis victrix sui,
Et signa caedis veste maculatâ gerit.
Manus recenti sanguine etiamnum madent,
Vultusque prae se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras. Patere me vittis tuis,
Cassandra, jungi paria metuentem tibi!

## CLYTAEMNESTRA, ELECTRA, AEGISTHUS, CASSANDRA.

**Electram ab arâ detrahi et in carcerem conjici jubet Clytaemnestra. Cassandra jugulatur.**

CLYT. Hostis parentis, impium atque audax caput,
i. s.
Quo more coetus publicos, virgo, petis?
EL. Adulterorum virgo deserui domum.
CLYT. Quis esse credat virginem? EL. Gnatam tuam.
CLYT. Modestius cum matre! EL. Pietatem doces!
CLYT. Animos viriles corde tumefacto geris;
Sed agere domita feminam disces malo.
EL. Nisi forte fallor, feminas ferrum decet.
CLYT. Et esse demens te parem nobis putas?
EL. Vobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?
Ut vidua loquere: vir caret vitâ tuus.
CLYT. Indomita post haec virginis verba impiae
Regina frangam; citius interea mihi
Edissere, ubi sit gnatus, ubi frater tuus.
EL. Exit Mycenas. CLYT. Redde nunc natum mihi!
EL. Et tu parentem redde! CLYT. Quo latitat loco?
EL. Tuto quietus, regna non metuens nova.
Dixi parenti satis. CLYT. At iratae parum.
Morieris hodie! EL. Dummodo hâc moriar manu.
Recedo ab aris. Sive te jugulo juvat
Mersisse ferrum: praebeo jugulum volens;
Seu more pecudum colla resecari placet:
Intenta cervix vulnus expectat tuum.
Scelus peractum est: caede respersam viri
Atque obsoletam sanguine hôc dextram ablue!
CLYT. Consors pericli pariter ac regni mei,
Aegisthe, gradere! Gnata genitricem impie
Probris lacessit, abditum fratrem occulit.
AEGISTH. Furibunda virgo, vocis infandae sonum,

Et aure verba indigna maternâ opprime!
EL. Etiam monebit sceleris infandi artifex,
Per scelera natus, nomen ambiguum suis,
Idem sororis gnatus et patris nepos?
CLYT. Aegisthe, cessas impium ferro caput
Demetere? Fratrem reddat, aut animam statim.
AEGISTH. Abstrusa coeco carcere et saxo exigat
Aevum. Per omnes torta poenarum modos,
Referre, quem nunc occulit, forsan volet,
Inops, egens, inclusa, paedore obsita,
Vidua ante thalamos, exul, invisa omnibus,
Aethere negato, sero succumbet malis.
EL. Concede mortem! AEGISTH. Si recusares, darem.
Rudis est tyrannus, morte qui poenam exigit.
EL. Mortem aliquid ultra est? AEGISTH. Vita, si cupias mori.
CLYT. Abripite, famuli, monstrum, et avectam procul
Ultra Mycenas, ultimo in regni angulo
Vincite septam nocte tenebrosi specûs;
Ut inquietam virginem carcer domet.
At ista poenas capite persolvat suo,
Captiva conjux, regii pellex tori.
Trahite, ut sequatur conjugem ereptum mihi!
CASS. Ne trahite: vestros ipsa praecedam gradus.
Perferre prima nuncium Phrygibus meis
Propero: repletum ratibus eversis mare;
Captas Mycenas; mille ductorem ducum,
Ut paria fata Troïcis lueret malis,
Periisse dono feminae stupro, dolo.
Nihil moramur; rapite! quin grates ago.
Tantum juvat vixisse post Trojam, juvat!
CLYT. Furiosa, morere! CASS. Veniet et vobis furor.

1001. Fort.: P. Iliadum fem.

# L. ANNAEI SENECAE
# HERCULES OETAEUS.

## *DRAMATIS PERSONAE.*

HERCULES.
HYLLUS.
ALCMENA.
CHORUS AETOLARUM MULIERUM.
NUTRIX.
DEJANIRA.
IOLE.
PHILOCTETES.
CHORUS OECHALIARUM VIRGINUM.
LICHAS, muta persona.
IOLE ET CHORUS OECHALIDUM sunt προτατικὰ πρόσωπα.

# HERCULES OETAEUS.

## ARGUMENTUM.

Dejanira, indigne ferens sibi praelatam Iolen Eurytirregis Oechaliae filiam, Herculi tunicam mittit imbutam sanguine Centauri Nessi, sagittâ Herculis hydrae felle tinctâ vulnerati; efficacissimum credens philtrum praesensque amoris remedium; quod illam monuerat moriens Nessus. Quam simul ac induisset in Cenaeo Euboeae promontorio sacrificaturus Hercules, ignem concipit virus, vestisque corpori adhaerentis aestus carnem ossaque absumit. Nessi fraude intellectâ mortem sibi consciscit Dejanira. Hercules, interfecto Lichâ, qui munus letale attulerat, mandat Philoctetae, cui moriens arcum et sagittas tradit, exstrui sibi in monte Oetâ pyram, in quâ se cum clavâ ac leonis pelle cremat. Alcmenae denique matri apparet, ipsamque consolatur jam in coelitum numerum adscriptus.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Magnanimum Alciden, totum qui viribus orbem
Presserat, unde oritur Titan, quaque aurea condit
Lumina, major Amor juga sub sua misit ovantem:
Namque Iolen toto concepit pectore; solam
Ille Iolen poscit, Ioles quoque nomine gaudet.
At regina (suum quis enim celavit amorem?)
Deïanira novos persensit conjugis ignes:
Fertur inops mentis, vernique ignara marito
Infectam donat Nesseo sanguine vestem.
Ille ubi funestos quaesitum munus in usus
Induit: ecce! fluit virus, totosque per artus
Contrahitur macies, serpitque per ossa venenum.
Vincitur Alcides, properatque abrumpere lucem;
Ingentemque pyram, pereundi certus, in auras
Extollit, flammisque rogum condensat anhelis;
Tunc sese medio iecit moriturus in ignes.
Solvitur in cineres corpus tenuesque favillas;
Ast anima aethereum scandit sublimis in arcem,
Unde hiemes ventosque et lucida sidera calcat.

# ACTUS PRIMUS.

## HERCULES.

Scena haec prima cum choro sequente in Euboeâ statuitur, ubi Hercules, in Cenaeo promontorio sacrificaturus, vota de coelo, quod rebus gestis meruisse se gloriatur, concipit. Reliquae Tragoediae scena est Trachine.

Sator deorum, cujus excussum manu i. e;
Utraeque Phoebi sentiunt fulmen domus,
Secure regna: protuli pacem tibi.
Quâcunque Nereus porrigi terras vetat,
Non est tonandum: perfidi reges jacent,
Saevi tyranni; fregimus, quidquid fuit
Tibi fulminandum. Sed mihi coelum, parens,
Adhuc negatur? Parui certe Jove
Ubique dignus; teque testata est meum
Patrem noverca. Quid tamen nectis moras?
Numquid timemur? numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum coelo Herculem?
Quid astra, genitor, quid negas? Mors me tibi
Certe remisit; omne concessit malum,
Quod terra genuit, pontus, aër, Inferi,
Nullus per urbes errat Argolicas leo;
Stymphalis icta est; Maenali nulla est fera;
Sparsit peremtus aureum serpens nemus.
Et hydra vires posuit; et notos Hebro
Cruore pingues hospitum fudi greges;
Hostisque traxi spolia Thermodontiae.
Vidi silentum fata; nec tantum redî;

7. Forte: Si mihi coelum, p., A. negatur: parui certe &c.

Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille solem. Nullus Antaeus Libys
Animam resumit; cecidit ante aras suas
Busiris; unâ est Geryon sparsus manu,
Taurusque populis horridus centum pavor.
Quodcunque tellus genuit infestum, occidit,
Meâque fusum est dexterâ. Iratis deïs
Non licuit esse. Si negat mundus feras,
Animum noverca; redde nunc nato patrem,
Vel astra forti! Nec peto, ut monstres iter;
Permitte tantum, genitor: inveniam viam.
Vel si times, ne terra concipiat feras:
Properet malum quodcunque, dum terra Herculem
Habet, videtque: nam quis invadet mala?
Aut quis per urbes rursus Argolicas erit
Junonis odio dignus? — In tutum meas
Laudes redegi; nulla me tellus silet:
Me sensit Ursae frigidum Scythicae genus,
Indusque Phoebo subditus, Cancro Libys.
Te, clare Titan, testor! occurri tibi,
Quâcunque fulges; nec meos lux prosequi
Potuit triumphos; Solis excessi vices,
Intraque nostras substitit metas dies.
Natura cessit; Terra defecit gradum;
Lassata prior est Nox, et extremum Chaos
In me incucurrit. Inde ad hunc orbem redî,
Unde omne retro est. Tulimus Oceani minas;
Nec ulla valuit quatere tempestas ratem,
Quamcunque pressi. Pars quota est, quam prosequor?
Jam vacuus aether non potest odio tuae
Sufficere nuptae; quasque devincam, feras
Tellus timet concipere, nec monstra invenit.
Ferae negantur. Hercules monstri loco

35. Fort.: dum terram Hercules Habet videtque.

54. Fort.: nec monstra invenit Feris necatis; Hercules etc.

Jam coepit esse: quanta enim fregi mala,
Quot scelera, nudus! Quidquid immane obstitit,
Solae manus stravere. Nec juvenis feras
Timui, nec infans. Quidquid est jussum, leve est;
Nec ulla nobis segnis inluxit dies.
O quanta fudi monstra, quae nullus mihi
Rex imperavit! Institit virtus mihi
Junone pejor. Sed quid impavidum genus
Fecisse prodest? non habent pacem dei:
Purgata tellus omnis in coelo videt,
Quodcunque timuit: transtulit Juno feras.
Ambit peremtus Cancer ardentem plagam,
Libyaeque sidus fertur, et messes alit.
Annum fugacem tradit Astraeae leo;
At ipse, jactans fervidam coelo jubam,
Austrum madentem siccat, et nimbos rapit.
Invasit omnis ecce! jam coelum fera,
Meque antecessit. Victor e terris meos
Specto labores. Astra portentis prius
Ferisque Juno tribuit: ut coelum mihi
Faceret timendum. Sparserit mundum licet,
Coelumque terris pejus ac pejus Styge
Irata faciat: dabitur Alcidae locus.
Si post feras, post bella, post Stygium canem,
Nondum astra merui: Siculus Hesperium latus
Tangat Pelorus; una jam tellus erit:
Illinc fugabo maria. Si jungi jubes:
Committat undas Isthmos, et juncto salo
Novâ ferantur Atticae puppes viâ.
Mutetur orbis: vallibus currat novis
Ister, novasque Tanaïs accipiat vias.
Da, da tuendos, Jupiter, saltem deos!
Illâ licebit fulmen a parte auferas,
Ego quam tuebor. Sive glacialem polum,
Seu me tueri fervidam partem jubes:

56. Vulgo: quanta nunc f. m.

Hâc esse Superos parte securos puta.
Cirrhaea Paean templa et aetheriam domum
Serpente caeso meruit; at quoties jacet
Python in hydra? Bacchus et Perseus deis
Jam se intulere; sed quota est mundi plaga
Oriens subactus, aut quota est Gorgon fera?
Quis astra natus laudibus meruit suis
Ex te et noverca? Quem tuli, mundum peto.
Sed tu, comes laboris Herculeï Licha,
Perfer triumphos, Euryti victos lares,
Stratumque regnum! vos pecus rapite ocius,
Quâ templa tollens ora Cenaei Jovis
Austro timendum spectat Euboïcum mare.

## CHORUS OECHALIARUM VIRGINUM, IOLE.

Iole Choro Oechalidum mixta patriae excidium, suorum internecionem, suam denique servitutem plangit.

CHOR. Par ille est Superis, cui pariter dies asclep.
Et fortuna fuit; mortis habet vices,
Lente cum trahitur vita gementibus.
Quisquis sub pedibus fata rapacia,
Et puppem posuit fluminis ultimi:
Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompae veniet nobile ferculum.
Nunquam est ille miser, cui facile est mori.
Illum si medio decipiat ratis
Ponto, cum Borean expulit Africus,
Aut Eurus Zephyrum, qui mare dividunt:
Non puppis lacerae fragmina colligit,
Aut littus medio sperat in aequore.

102. ora. Vulgo: ara.
114. Vulgo: Zeph., cum mare.
116. Vulgo: Ut littus m. speret.

Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.
Nos turpis macies et lacrimae tenent,
Et crinis patrio pulvere sordidus.
Nos non flamma rapax, non fragor obruit:
Felices sequeris, Mors; miseros fugis:
Stamus. Nunc patriis messibus hic locus
Et silvis dabitur, lapsaque sordidae
Fient templa casae. Jam gelidus Dolops
Hâc ducet pecudes, quâ tepet obrutus
Stratae qui superest Oechaliae cinis.
Illo Thessalicus pastor in oppido,
Indoctâ referens carmina fistulâ,
Cantu nostra canet tempora flebili;
Et dum pauca deus secula contrahet,
Quaeretur, patriae quis fuerit locus.
Felix incolui non steriles focos,
Nec jejuna soli jugera Thessali;
Ad Trachina vocor, saxa rigentia,
Et dumeta jugis horrida torridis,
Vix gratum pecori montivago nemus.
At si quas melior sors famulas vocat:
Illas aut volucer transferet Inachus;
Aut Dircaea colens moenia, quâ fugit
Ismenos tenui flumine languidus.
Hic mater tumidi nupserat Herculis.
Quae cautes Scythiae, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te praeruptus Athos, te fera Caspias,
Quae virgata tibi praebuit ubera?
Falsa est de geminis fabula noctibus,
Aether cum tenuit sidera longius,
Commisitque vices Lucifer Hespero,
Et solem vetuit Delia tardior:

125. Vulgo: Stamus: nec patriae moenibus heu locus, At silvis etc.

Nullis vulneribus pervia membra sunt;
Ferrum sentit hebes, lentior est chalybs;
In nudo gladius corpore frangitur,
Et saxum resilit; fataque negligit,
Et mortem indomito corpore provocat.
Non illum poterant figere cuspides;
Non arcus Scythica tensus arundine;
Non quae tela gerit Sarmata frigidus,
Aut qui soliferae suppositus plagae
Vicino Nabathae vulnera dirigit
Parthus Gnossiacis certior ictibus.
Muros Oechaliae corpore propulit:
Nil obstare valet; vincere quod parat,
Jam victum est. Quota pars vulnere concidit?
Pro fato potuit vultus iniquior,
Et vidisse sat est Herculeas minas.
Qui vastus Briareus, qui tumidus Gyges,
Supra Thessalicum constitit aggerem,
Ut coelo iusereret vipereas manus,
Hoc vultu riguit? Commoda cladibus
Magnis magna patent, nil superest mali:
Iratum miserae vidimus Herculem.
IOLE. At ego infelix non templa suis a. d. et m.
Collapsa deis, sparsosve focos,
Gnatis mixtos arsisse patres,
Hominique deos, templa sepulcris;
Nullum querimur commune malum:
Alio nostras Fortuna vocat
Lacrimas; alias flere ruinas
Mea fata jubent. Quae prima querar?
Quae summa gemam? Pariter cuncta
Deflere juvat; nec plura dedit
Pectora tellus, ut digna sonent
Verbera fatis. Me vel Sipylum
Flebile saxum fingite, Superi,
Vel in Eridani ponite ripis,

Ubi moesta sonat
Phaëthontiadum silva sororum!
Me vel Siculis addite saxis,
Ubi fata gemam, Thessala Siren;
Vel in Edonas tollite silvas,
Qualis gnatum Daulias ales
Solet Ismariâ flere sub umbrâ!
Formam lacrimis aptate meis,
Resonetque malis aspera Trachin!
Cypria lacrimas Myrrha tuetur;
Raptum conjux Cëyca gemit;
Sibi Tantalis est facta superstes;
Fugit vultus Philomelâ suos,
Gnatumque sonat flebilis Atthis:
Cur mea nondum capiunt volucres
Brachia plumas? Felix, felix,
Cum silva domus nostra feretur,
Patrioque sedens ales in agro
Referam querulo murmure casus,
Volucremque Iolen fama loquetur!
Vidi, vidi
Miseranda mei fata parentis,
Cum letifero stipite pulsus,
Totâ jacuit sparsus in aulâ.
Proh, si tumulum fata dedissent,
Quoties genitor quaerendus eras!
Potuine tuam spectare necem,
Nondum teneras vestite genas,
Necdum forti sanguine, Toxeu?
Quid vestra queror fata, parentes,
Quos in tutum mors aequa tulit?
Mea me lacrimas fortuna rogat:
Jamjam dominae captiva colos
Fusosque legam. Proh saeve decor,
Formaque mortem paritura mihi,
Tibi cuncta domus concidit uni,

Dum me genitor negat Alcidae,
Atque Herculeus socer esse timet!
Sed jam dominae tecta petantur.
CHOR. Quid regna tui clara parentis,
Proavosque tuos respicis amens?
Fugiat vultus fortuna prior.
Felix, quisquis novit famulum
Regemque pati,
Vultusque potest variare suos!
Rapuit vires pondusque malis,
Casus animo qui tulit aequo.

---

# ACTUS SECUNDUS.

## NUTRIX, DEJANIRA, LICHAS, muta persona.

Furens zelotypiâ Dejanira conspectâ Iole vindictam meditatur vestemque venenatam Herculi mittit.

NUTR. O QUAM cruentus feminas stimulat furor, i. s.
Cum patuit una pellici et nuptae domus!
Scylla et Charybdis, Sicula contorquens freta,
Minus est timenda; nullà non melior fera est.
Namque ut reluxit pellicis captae decus,
Et fulsit Iole, qualis innubis dies,
Purisve clarum noctibus sidus micat;
Stetit furenti similis ac torvum intuens
Herculea conjux, foeta ut Armeniâ jacens
Sub rupe tigris hoste conspecto exilit;
Aut, jussa thyrsum quatere, conceptum ferens
Maenas Lyaeum, dubia, quo gressus agat.
Haesit parumper; tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; totâ vix satis est domus;
Incurrit, errat, sistit. In vultus dolor

229. Fort.: Sapiens, quisquis etc.

Processit omnis; pectori paene intimo
Nihil est relictum, Fletus insequitur minas;
Nec unus habitus durat, aut uno furit
Contenta vultu: nunc inardescunt genae;
Pallor ruborem pellit, et formas dolor
Errat per omnes: queritur, implorat, gemit.
Sonuere postes: ecce! praecipiti gradu
Secreta mentis ore confuso exerit.
DEJAN. Quamcunque partem sedis aetheriae premis,
Conjux Tonantis, mitte in Alciden feram,
Quae mihi satis sit! Si qua foecundum caput
Palude totâ vastior serpens movet,
Ignara vinci; si quid excessit feras
Immane, dirum, horribile, quo viso Hercules
Avertat oculos: hoc sinu immenso exeat.
Vel si ferae negantur; hanc animam precor
Converte in aliquid! quodlibet possum malum
Hâc mente fieri. Commoda effigiem mihi
Parem dolori: non capit pectus minas.
Quid excutis telluris extremae sinus,
Orbemque versas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in isto pectore invenies feras,
Quas timuit: odiis accipe hoc telum tuis:
Ego sum noverca! Perdere Alciden potes:
Profer manus quocunque. Quid cessas, dea?
Utere furente! Quod jubes fieri nefas?
Reperi! Quid haeres? Ipsa jam cesses licet,
Haec ira satis est. NUTR. Pectoris sani parum,
Alumna, questus comprime et flammas doma!
Frena dolorem! conjugem ostende Herculis!
DEJAN. Iole meis captiva germanos dabit
Gnatis, Jovisque fiet e famulâ nurus?
Num flamma cursus pariter et torrens ferent,
Et Ursa pontum sicca coeruleum bibet?
Non ibo inulta! Gesseris coelum licet,

273. Leg.: Profer minus quodcunque.

Totusque pacem debeat mundus tibi:
Est aliquid hydrâ potius, iratae dolor
Nuptae. Quis ignis tantus in coelum furit
Ardentis Aetnae? Quidquid est victum tibi,
Hic vincet animus. Capta praeripiet toros?
Adhuc timebam monstra; jam nullum est malum.
Cessere pestes; in locum venit ferae
Invisa pellex. Summe proh rector deûm,
Et clare Titan, Herculis tantum fui
Conjux timentis. Vota quae Superis tuli,
Cessere captae; pellici felix fui.
Illi meas audistis, o Superi, preces!
Incolumis illi remeat! O nullâ dolor
Contente poenâ, quaere supplicia horrida,
Incogitata, infanda! Junonem doce,
Quid odia valeant: nescit irasci satis.
Pro me gerebas bella; propter me vagas
Achelous undas sanguine infecit suo,
Cum lenta serpens fieret, in taurum trucem
Nunc flecteret serpente depositâ minas,
Et mille in hoste vinceres uno feras.
Jam displicemus, capta praelata est mihi.
Non perferetur: qui dies thalami ultimus
Nostri est futurus, hic erit vitae tuae.
Quid hoc? recedit animus, et ponit minas;
Jam cessit ira. Quid miser langues dolor?
Perdis furorem; conjugis tacitae fidem
Mihi reddis iterum. Quid vetas flammas ali?
Quid frangis ignes? Hunc mihi serva impetum! —
Pares eramus; non erat votis opus.
Aderit noverca, quae manus nostras regat,
Nec invocata. NUTR. Quod paras demens scelus?
Perimes maritum, cujus extremus dies
Primusque laudes novit, et coelo tenus
Erecta terras fama suppositas habet?
Rogos in istos terra consurget parens,

Domusque soceri prima et Aetolum genus
Sternetur omne; saxa jamdudum et faces
In te ferentur; vindicem tellus suum
Defendet omnis. Una quot poenas dabis?
Effugere terras crede et humanum genus
Te posse: fulmen genitor Alcidae gerit,
Jamjam minaces ire per coelum faces
Specta, et tonantem fulmine excusso diem!
Mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time:
Dominatur illic patruus Alcidae tui.
Quocunque perges, misera, cognatos deos
Illi videbis. DEJAN. Maximum fieri scelus
Et ipsa fateor; sed dolor fieri jubet.
NUTR. Moriere. DEJAN. Moriar Herculis nempe incliti
Conjux, nec ullus nocte discussâ dies
Viduam notabit, nec meos pellex toros
Captiva capiet. Ante ab occasu dies
Nascetur, Indos ante glacialis polus,
Scythasve tepidâ Phoebus inficiet rotâ,
Quam me relictam Thessalae adspiciant nurus!
Meo jugales sanguine extinguam faces!
Aut pereat, aut me perimat! elisis feris
Et conjugem addat! inter Herculeos licet
Me quoque labores numeret: Alcidae toros
Moritura certe corpore amplectar meo.
Ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet;
Sed non inultam. Si quid e nostro Hercule
Concepit Iole: manibus evellam meis
Ante, et per ipsas pellicem invadam faces!
Me nuptiali victimam feriat die
Infestus, Iolen dum supra exanimem ruam!
Felix jacet, quicunque, quos odit, premit.
NUTR. Quid ipsa flammas pascis et vastum foves
Ultro dolorem, misera? quid cassum times?
Dilexit Iolen nempe, cum staret parens,

Regisque natam peteret. In famulae locum
Regina cecidit: perdidit vires amor,
Multumque ab illo traxit infelix status,
Illicita amantur; excidit, quidquid licet.
DEJAN. Fortuna amorem pejor inflammat magis.
Amat vel ipsum, quod caret patrio lare,
Quod nudus auro crinis et gemmâ jacet;
Ipsas misericors forsan aerumnas amat.
NUTR. Hoc usitatum est Herculi, captas amat.
Dilecta Priami nempe Dardanii soror
Concessa famulo est. Adice, quot nuptas prius,
Quot virgines dilexit: erravit vagus.
Arcadia nempe virgo, Palladios choros
Dum nectit, Auge, vim stupri passa excidit,
Nullamque amoris retinet Herculeï notam.
Referam quid alias? Nempe Thespiades vacant,
Brevique in illas arsit Alcides face.
Hospes Timoli Lydiam fovit nurum,
Et amore captus ad leves sedit colos,
Udum feroci stamen intorquens manu.
Nempe illa cervix spolia deposuit ferae,
Crinemque mitrâ pressit, et famulus stetit,
Hirtam Sabaeâ marcidus myrrhâ comam.
Ubique caluit, sed levi caluit face;
Haerere amantes post vagos ignes solent.
Famulamne et hostis praeferet gnatam tibi?
DEJAN. Ut alta silvas forma vernantes habet,
Quas nemore nudo primus investit tepor;
At cum solutos expulit Boreas Notos,
Et saeva totas bruma decussit comas,
Deforme solis adspicis truncis nemus:
Sic nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, et fulget minus,
Nec illa venus est. Quidquid in nobis fuit
Olim petitum, cecidit et partu labat;

Materque multum rapuit ex illo mihi,
Aetas citato senior eripuit gradu.
Vides, ut altum famula non perdat decus?
Cessere cultus penitus, et paedor sedet;
Tamen per ipsas fulget aerumnas decor,
Nihilque ab illâ casus et fatum grave
Nisi regna traxit. Hic meum pectus timor,
Altrix, lacessit; hic rapit somnos pavor.
Praeclara totis gentibus conjux eram;
Thalamosque nostros invido voto nurus
Optabat omnis: quo nimis quisquis deos
Orabat ullos. Nuribus Argolicis fui
Mensura voti. Quem Jovi socerum parem,
Altrix, habebo? quis sub hoc mundo mihi
Dabitur maritus? Ipse, qui Alcidae imperat,
Facibus suis me jungat Eurystheus licet,
Minus est. Toro caruisse regnantis leve est;
Alte illa cecidit, quae viro caret Hercule.
NUTR. Conciliat animos conjugum partus fere.
DEJAN. Sic ipse forsan dividet partus toros.
NUTR. Famula illa trahitur interim donum tibi.
DEJAN. Hunc, quem per urbes ire praeclarum vides,
Et viva tergo spolia gestantem ferae;
Qui regna miseris donat et celsis rapit,
Vastâ gravatus horridam clavâ manum;
Cujus triumphos ultimi Seres canunt,
Et quisquis alius orbe consepto jacet:
Levis est, nec illum gloriae stimulat decor,
Errat per orbem, non ut aequetur Jovi,
Nec ut per urbes magnus Argolicas eat;
Quod amet, requirit; virginum thalamos petit.

390. Fort.: multum eripuit.

393. Vulgo: Cess. vultus.

400. Fort.: O. o.; cumque amans quidquam deos Orabat ullos nuribus Argolicis, fui Mensura voti.

412. Fort.: Et fulva tergo etc.

Si qua est negata, rapitur; in populos furit;
Nuptas ruinis quaerit; et vitium impotens
Virtus vocatur. Cecidit Oechalia inclita,
Unusque Titan vidit atque unus dies
Stantem et cadentem. Causa bellandi est amor.
Toties timebit, Herculi gnatam parens
Quoties negabit: hostis est, quoties socer
Fieri recusat; si gener non est, furit.
Post haec quid istas innocens servo manus,
Donec furentem simulet, ac saevâ manu
Intendat arcus, meque natumque opprimat?
Sic conjuges expellit Alcides suas;
Haec sunt repudia! Nec potest fieri nocens:
Terris videri sceleribus causam suis
Fecit novercam. Quid stupes, segnis furor?
Scelus occupandum est! perge, dum fervet manus!
NUTR. Perimes maritum? DEJAN. Pellicis certe meae.
NUTR. At Jove creatum. DEJAN. Nempe et Alcmenâ satum.
NUTR. Ferrone? DEJAN. Ferro. NUTR. Si nequis? DEJAN. Perimam dolo.
NUTR. Quis iste furor est? DEJAN. Quem meus conjux docet.
NUTR. Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?
DEJAN. Coelestis ira quos premit, miseros facit;
Humana nullos. NUTR. Parce, miseranda, et time!
DEJAN. Contemsit omnes ille, qui mortem prius.
Libet ire in enses! NUTR. Major admisso tuus,
Alumna, dolor est: culpa par odium exigit.
Cur saeva modicis statuis? Ut laesa es, dole.
DEJAN. Leve esse credis pellicis nuptae malum?
Quidquid dolorem pascit hunc, nimium puta.
NUTR. Amorne clari fugit Alcidae tibi?
DEJAN. Non fugit, altrix; remanet, et penitus sedet

446. Fort.: — dolor est, culpa prope jus. Exigat. Cur etc.

Fixus medullis (crede); sed magnus dolor
Iratus amor est. NUTR. Artibus magicis fere
Conjugia nuptae precibus admixtis ligant.
Vernare jussi frigore in medio nemus,
Missumque fulmen stare; concussi fretum
Cessante vento; turbidum explicui mare,
Et sicca tellus fontibus patuit novis;
Habuere motum saxa. Discussi fores
Umbrae stetistis; et meâ jussi prece
Manes loquuntur. Sonuit infernus canis;
Nox media solem vidit, et noctem dies.
Mare, terra, coelum, et Tartarus servit mihi;
Nihilque leges ad meos cantus tenent:
Flectemus illum; carmina invenient iter.
DEJAN. Quas Pontus herbas generat, aut quas Thessala
Sub rupe Pindus, aut ubi inveniam malum,
Cui cedat ille? Carmine in terras mago
Descendat astris luna, desertis licet,
Et bruma messes videat, et cantu fugax
Stet deprehensum fulmen, et versâ vice
Medius coactis ferveat stellis dies:
Non flectet unum. NUTR. Vicit et Superos amor.
DEJAN. Vincetur uni forsan et spolium dabit,
Amorque summus fiet Alcidae labor.
Sed te per omne coelitum numen precor,
Per hunc timorem: quidquid arcani adparo,
Penitus recondas, et fide tacitâ premas!
NUTR. Quid istud est, quod esse secretum petis?
DEJAN. Non tela sunt, non arma, non ignis minax.
NUTR. Praestare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat: interim scelus est fides.
DEJAN. Circumspice, agedum, ne quis arcana aucupet;

459. Fort.: Discussi inferas Umbras, et estis; ut meâ jussi prece, Manes, locuti; sonuit etc.

Partemque in omnem vultus inquirens eat.
NUTR. En, locus ab omni tutus arbitrio vacat!
DEJAN. Est in remoto regiae sedis loco
Arcana tacitus nostra defendens specus.
Non ille primos accipit soles locus,
Non ille seros, cum ferens Titan diem
Lassam rubenti mergit Oceano rotam;
Illic amoris pignus Herculeï latet.
Altrix, fatebor: Nessus est auctor mali,
Quem gravida Nephele Thessalo genuit duci,
Quâ celsus astris inserit Pindus caput,
Ultraque nubes Othrys eductus riget.
Namque ut, subactus Herculis clavâ horridi,
Achelous, omnes facilis in species dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Unoque turpe subdidit cornu caput:
Me conjugem dum victor Alcides habet,
Repetebat Argos. Forte per campos vagus
Evenos, altum gurgitem in pontum ferens,
Par paene summis turbidus silvis erat.
Transire Nessus verticem solitus vadis
Pretium poposcit; meque jam dorso ferens,
Quâ jungit hominem spina deficiens equo,
Frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
Jam totus undis Nessus exierat ferox,
Medioque adhuc errabat Alcides vado,
Vasto rapacem vorticem scindens gradu.
Ast ille ut esse vidit Alciden procul:
„Tu praeda nobis," inquit, „et conjux eris!"
Prohibetur undis; meque complexus ferens
Gressum citabat. Non tenent undae Herculem:
„Infide vector," inquit, „immixti licet
Ganges et Ister vallibus junctis eant,
Vincemus ambo; consequar telo fugam!"

505. Fort.: gerens.
513. Fort.: Proh. ulnis; m. c. ferus (vel ferum) etc.

Praecessit arcus verba. Cum longum ferens
Arundo vulnus tenuit haerentem fugam,
Mortemque fixit: ille, jam quaerens diem,
Tabum fluentem vulneris dextra excipit,
Traditque nobis ungulae insertum suae,
Quam forte saevâ sciderat avulsam manu;
Tum verba moriens addit. „Hôc," inquit, „magae
Dixere amorem posse defigi malo.
Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus,
Unam inter omnes luna quam sequitur magas
Astris relictis. Illitas vestes dabis
Hâc, inquit, ipsâ tabe, si pellex tuos
Invisa thalamos tulerit, et conjux levis
Aliam parenti dederit altisono nurum.
Hoc nulla lux adspiciat, hoc tenebrae tegant
Tantum remotae: sic potens vires suas
Sanguis tenebit." Verba deprendit quies,
Mortemque lassis intulit membris sopor.
Tu, quam meis admittit arcanis fides,
Perge, ut nitentes virus in vestes datum
Mentem per artus adeat, et tactu intimas
Intret medullas. NUTR. Ocius jussa exequar,
Alumna; precibus tu deum invictum advoca,
Qui certa tenerâ tela dimittit manu.
DEJAN. Te, te precor, quem mundus et Superi timent
Et aequor, et, qui fulmen Aetnaeum quatis,
Timende matri teliger saevae puer:
Intende certâ spiculum velox manu,
Non e sagittis levibus; e numero, precor,
Graviore profer, quod tuae nondum manus
Misere in aliquem: non levi telo est opus,
Ut amare possit Hercules. Rigidas manus
Intende, et arcum cornibus junctis para!

528. Fort.: Illitam vestem.

538. Fort.: et tectissimas I. m.

Nunc, nunc sagittam prome, quâ quondam horridus
Jovem petisti, fulmine abjecto deus
Cum fronte subito tumuit, et rapidum mare
Taurus puellae vector Assyriae scidit.
Immitte amorem! vincat exempla omnia!
Amare discat conjugem! Si quas decor
Ioles inussit pectori Herculeo faces,
Extingue totas: perbibat flammas mei.
Tu fulminantem saepe domuisti Jovem,
Tu furva nigri sceptra gestantem poli,
Turbae ducem majoris, et dominum Stygis:
Tuque, o novercâ gravior iratâ deus,
Cape hunc triumphum, solus et vince Herculem!
NUTR. Prolata vis est, quaeque Palladiâ colu
Lassavit omnem texta famularem manum,
Nunc congeratur virus, ut vestis bibat
Herculea pestem; precibus augebo malum.
In tempore ipso gnavus occurrit Lichas.
Celanda vis est dira; ne pateant doli.
DEJAN. O, quod superbae non habent unquam domus,
Fidele semper regibus nomen, Licha,
Cape hos amictus, nostra quos nevit manus,
Dum vagus in orbem fertur, et victus mero
Tenet feroci Lydiam gremio nurum,
Nunc poscit Iolen. Sed jecur fors horridum
Flectam merendo: merita vicerunt malos.
Non ante vestes induat conjux, jube,
Quam ture flammas pascat et placet deos,
Cana rigentem populo cinctus comam.
Ipsa in penates regios gressus feram,
Precibusque amoris horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniae, deflete lugendam vicem!

## CHORUS AETOLARUM MULIERUM.

Mulieres Calydoniae Dejanirae sortem deflent; ambitionem, avaritiam, luxum, ceteraque mortalium studia inania detestantur; privatam fortunam laudant.

Flemus casus, Oeneï, tuos, a. d. et m.
Comitum primos turba per annos;
Flemus dubios, veneranda, toros
Nos Acheloi tecum solitae
Pulsare vadum, cum jam tumidas
Vere peracto poneret undas,
Gracilisque gradu serperet aequo,
Nec praecipitem volveret amnem
Flavus rupto fonte Lycormas;
Nos Palladias ire per aras,
Et virgineos celebrare choros;
Nos Cadmeïs orgia ferre
Tecum solitae condita cistis,
Cum jam pulso sidere brumae
Tertia soles evocat aestas,
Et spiciferae concessa deae
Attica mystas claudit Eleusin.
Nunc quoque, casum quemcunque times,
Fidas comites accipe fatis:
Nam rara fides,
Ubi jam melior fortuna ruit.
Tu quicunque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tuâ vulgus in aulâ
Centum pariter limina pulset:
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.
Tenet auratum limen Erinnys;
Et cum magnae patuere fores,
Intrant Fraudes, cautique Doli,

592. Fort.: ponte.

Ferrumque latens; cumque in populos
Prodire parant, comes Invidia est.
Noctem quoties summovet Eos,
Regem toties credite nasci.
Pauci reges, non regna colunt;
Plures fulgor concitat aulae.
Cupit hic regi proximus ipsi
Clarus latas ire per urbes:
Urit miserum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem;
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri, nec tota sitim
Lydia vincit, nec, quae Zephyro
Subdita tellus stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec, si totus serviat Hebrus,
Ruraque dives cingat Hydaspes,
Intraque suos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Avidis, avidis natura parum est.
Colit hic reges regumque lares,
Non ut presso vomere semper
Nunquam cesset curvus arator;
Vel mille secent arva coloni:
Solos optat, quas ponat, opes.
Colit hic reges, calcet ut omnes
Perdatque alios, nullumque levet;
Tantum ut noceat, cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati!
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros enata dies.
Rarum est felix idemque senex.
Caespes Tyrio mollior ostro
Solet impavidos ducere somnos;
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.

O si pateant pectora ditum!
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Bruttia Coro
Pulsante fretum mitior unda est.
Pectora pauper secura gerit.
Tenet e patulâ pocula fago,
Sed non trepidâ tenet illa manu.
Carpit faciles vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses;
Aurea miscet pocula sanguis.
Conjux modico nupta marito
Non disposito clara monili
Gestat pelagi dona rubentis;
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoâ lectus in undâ;
Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores;
Nec Maeoniâ distinguit acu,
Quae Phoebeïs subditus Euris
Legit Eoïs Ser arboribus.
Quaelibet herbae tinxere colos,
Quas indoctae nevere manus;
Sed non dubios fovet illa toros;
Sequitur dirâ lampade Erinnys
Quarum populi coluere diem.
Nec sibi felix pauper habetur,
Nisi felices cecidisse videt.
Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit unum praebere diem,
Patrioque puer constitit axe,
Nec per solitum decurrit iter,
Sed Phoebeïs ignota secat
Sidera flammis errante rotâ,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium coeli dum sulcat iter:

Tenuit placitas Daedalus oras,
Nullique dedit nomina ponto;
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriasque puer
Despicit alas, Phoeboque volat
Proximus ipsi:
Dedit ignoto nomina ponto.
Male pensantur magna ruinis.
Felix alius magnusque sonet;
Me nulla vocet turba potentem.
Stringat tenuis littora puppis,
Nec magna meas aura phaselos
Jubeat medium scindere pontum.
Transit tutos Fortuna sinus,
Medioque rates quaerit in alto,
Quarum feriunt suppara nubes.
Sed quid pavido territa vultu,
Qualis Baccho saucia Thyas,
Fertur rapido regina gradu?
Quae te rursus fortuna rotat,
Miseranda, refer. Licet ipsa neges:
Vultus loquitur, quodcunque tegis.

# ACTUS TERTIUS.

## DEJANIRA, CHORUS.

**Dejaniram, periculo veneni ad solem expositi flammasque concipientis facto, consilii sui poenitet.**

DEJAN. Vagus per artus errat excussos tremor; i. 1.
Erectus horret crinis; impulsis adhuc
Stat terror animis, et cor attonitum salit,
Pavidumque trepidis palpitat venis jecur.
Ut fractus Austro pontus etiamnum tumet,
Quamvis quiescat languidis ventis dies:
Ita mens adhuc vexatur excusso metu.
Semel profecto premere felices deus
Cum coepit, urget; hos habent magna exitus.
CHOR. Quis tam impotens, o misera, te casus rotat?
DEJAN. Ut missa palla est tabe Nesseâ illita,
Thalamisque moerens intuli gressum meis:
Nescio quid animus timuit, et fraudem struit.
Libet experiri. Solibus virus ferum
Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit.
Hic ipse, fraudes esse, praemonuit dolus;
Et forte nullâ nube respersus jubar
Laxabat ardens fervidum Titan diem.
Vix ora solvi patitur etiamnum timor:
Medios in ignes solis et clarum facem,
Quo tincta fuerat palla vestisque inlita,
Abjectus horret sanguis, et Phoebi coma
Tepefactus ardet. Vix queo monstrum eloqui.
Nives ut Eurus solvit, aut tepidus Notus,

719. Fort.: et, fraudem an struat, Libet etc.

724. Fort.: Lassabat.

728. Fort.: et Phoebi sonat Tep. astro, Vix etc.

Quas vere primo lubricus perdit Mimas;
Utque involutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, et lassus tumor
In littore ipso spumat; aut coelestibus
Adspersa tepidis tura laxantur focis:
Sic languet omne vellus, et perdit comam;
Quin ipsa tellus spumeos motus agit,
Et quidquid illâ tabe contactum est, labat.
Dumque ista miror: causa mirandi perit,
Timensque tacita sequitur, et quassat caput,
  Gnatum paventem cerno et ardenti pede
Gressus ferentem. Prome, quid portes novi!

## HYLLUS, DEJANIRA, NUTRIX.

Intellecto ex Hyllo funesti muneris malo, Dejanira sibi mortem consciscit.

HYL. I, PROFUGE! quaere, si quid ulterius patet i. s.
Terris, freto, sideribus, Oceano, Inferis!
Ultra labores, mater, Alcidae fuge!
DEJAN. Nescio quod animus grande praesagit malum.
HYL. Regna, triumpha, templa Junonis pete:
Haec tibi patent; delubra praeclusa omnia.
DEJAN. Effare, qui me casus insontem premat.
HYL. Decus illud orbis atque praesidium unicum,
Quem fata terris in locum dederant Jovis,
O mater, abiit. Membra et Herculeos toros
Urit lues nescio qua. Qui domuit feras,
Ille, ille victor vincitur, moeret, dolet.
Quid quaeris ultra? DEJAN. Miserias properant suas.

739 seqq. Fort.: — perit. —
Gnatum p. c. et a. p.
Gressus f. P., q. p. novi!
Timens quid ista sequitur, et quassat caput?
748. Fort.: H. nisi p. delubra: p. o.

Audite miseri. Fare: quo posita in statu
Jam nostra domus est? O lares, miseri lares,
Nunc vidua, nunc expulsa, nunc feror obruta!
HYL. Non sola moeres Herculem; toto jacet
Mundo gemendus. Fata ne, mater, tua
Privata credas: jam genus totum obstrepit;
Hunc ejulatum, quem gemis, cuncti gemunt;
Commune terris omnibus pateris malum.
Luctum occupasti: prima, non sola, Herculem,
Miseranda, moeres. DEJAN. Quam prope a leto tamen,
Ede, ede, quaeso, jaceat Alcides meus.
HYL. Mors refugit illum, victa quae in regno suo
Semel est; nec audent fata tam vastum nefas
Admittere. Ipsas forsitan trepidâ colus
Clotho manu projecit, et fatum Herculis
Timet peragere. Proh diem! infandum diem!
Hocne ille summo magnus Alcides erit?
DEJAN. Ad fata et umbras atque pejorem polum
Praecedere illum dicis, an possum prior
Mortem occupare? Fare, si nondum occidit!
HYL. Euboïca tellus vertice immenso tumens
Pulsatur omni latere; Phrixéum mare
Scindit Caphareus; servit hoc Austro latus;
At quâ nivosi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit instabilis vagas,
Septemque cursus volvit, et totidem refert,
Dum lassa Titan mergat Oceano juga.
Hic rupe celsâ, nulla quam nubes ferit,
Annosa fulgent templa Cenaei Jovis.
Ut stetit ad aras omne votivum pecus,
Totumque tauris gemuit auratis nemus;
Spolium leonis sordidum tabo exuit,
Posuitque clavae pondus, et pharetrâ graves
Laxavit humeros. Veste tum fulgens tuâ,

759. Fort.: toti.

Canâ revinctus populo horrentem comam,
Succendit aras. „Accipe has," inquit, „focis,
Non falso, messes, genitor; et largo sacer
Splendescat ignis ture, quod Phoebum colens
Dives Sabaeis colligit truncis Arabs! —
Pacata tellus," inquit, „et coelum, et freta:
Feris subactis omnibus victor redî:
Depone fulmen." Gemitus in medias preces,
Stupente et ipso, cecidit; hinc coelum horrido
Clamore complet. Qualis impressâ fugax
Taurus bipenni vulnus et telum ferens
Delubra vasto trepida mugitu replet;
Aut quale mundo fulmen emissum tonat:
Sic ille gemitus sidera et pontum ferit,
Et vasta Chalcis sonuit, et voces Cyclas
Excepit omnis; hinc petrae Capharides,
Hinc omne voces reddit Herculeas nemus,
Flentem videmus, Vulgus antiquam putat
Rabiem redisse: tum fugam famuli petunt,
At ille vultus igneâ torquens face,
Unum inter omnes quaerit et sequitur Lichan.
Complexus aras ille tremebundâ manu,
Mortem metu consumsit, et parvum sui
Poenae reliquit. Dumque tremebundum manu
Tenuit cadaver: „Hac manu, hac," inquit, „ferar,
O fata, victus? Herculem perimit Lichas?
Ecce alia clades: Hercules perimit Lichan.
Facta inquinentur; fiat hic summus labor."
In astra missus fertur, et nubes vago
Spargit cruore, Talis in coelum exilit
Arundo Geticâ visa dimitti manu,
Aut quam Cydon excussit; inferius tamen
Et tela fugient, Truncus in pontum cadit,
In saxa cervix; funus ambobus jacet.

804. Fort.: at Cyclas vices E. o.

822. Fort.: Et illa fugiet.

„Resistite," inquit: „non furor mentem abstulit;
Furore gravius istud atque irâ malum est.
In me juvat saevire." Vix pestem indicat,
Et saevit: artus ipse dilacerat suos,
Et membra vastâ carpit avellens manu:
Exuere amictus quaerit. Hoc solum Herculem
Non posse vidi; trahere conatus tamen
Et membra traxit: corporis palla horridi
Pars est, et ipsam vestis immiscet cutem.
Nec causa dirae cladis in medio patet;
Sed causa tamen est. Vixque sufficiens malo
Nunc ore terram languidus prono premit,
Nunc poscit undas; unda non vincit malum.
Fluctisona quaerit littora, et pontum occupat:
Famularis illum retinet errantem manus.
O sortem acerbam! fuimus Alcidae pares.
Nunc puppis illum littore Euboïco refert,
Austerque lenis pondus Herculeum rapit.
Destituit animus membra, nox oculos premit.
DEJAN. Quid, anime, cessas? quid stupes factum scelus?
Gnatum reposcit Jupiter, Juno aemulum:
Reddendus orbi est. Quod potest reddi, exhibe:
Eat per artus ensis exactus meos.
Sic, sic agendum est! — Tam levis poenas manus
Tantas reposcit? Tolle fulminibus, socer,
Nurum scelestam! nec levi telo manus
Armetur; illud fulmen exiliat polo,
Quo, ni fuisset genitus Alcides tibi,
Hydram cremasses. Pestem ut insolitam feri,
Et ut novercâ pejus iratâ malum!
Emitte telum, quale in errantem prius
Phaëthonta missum est; perdidi in solo Hercule
Et ipsa populos. — Quid rogas telum deos?
Jam parce socero; conjugem Alcidae necem

826. Fort.: — saevire: vis pestem incitat," Et etc.

Optare pudeat. Haec erit voto manus:
A me petatur. Occupa ferrum ocius! —
Cur deinde ferrum? Quidquid ad mortem trahit,
Telum est abunde: rupe ab aetheriâ ferar.
Haec, haec renatum prima quae poscit diem,
Oeta eligatur; corpus hinc mitti placet.
Abrupta cautes scindat, et partem mei
Ferat omne saxum; pendeant lacerae manus,
Totumque rubeat asperi montis latus!
Levis una mors est, levis; at extendi potest.
Eligere nescis, anime, cui telo incubes?
Utinam esset, utinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis! huic decet ferro immori. —
Unâ perire dexterâ nobis sat est?
Coïte gentes! saxa et incensas faces
Jaculetur orbis; nulla nunc cesset manus.
Corripite tela: vindicem vestrum abstuli.
Impune saevi sceptra jam reges gerent;
Impune jam nascetur indomitum malum;
Reddentur arae cernere adsuetae hostiam
Similem colenti. Sceleribus feci viam;
Ego vos tyrannis, regibus, monstris, feris,
Saevisque rapto vindice opposui deis.
Cessas, Tonantis socia? non spargis facem,
Imitata fratrem, et mittis ereptam Jovi,
Meque ipsa perdis? Laus tibi erepta inclita est,
Ingens triumphus: aemuli, Juno, tui
Mortem occupavi. NUTR. Quid domum impulsam trahis?
Erroris est hoc omne, quodcunque est, nefas.
Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.
DEJAN. Quicunque facto ignoscit et parcit sibi,
Errare meruit: morte damnari placet.
NUTR. Nocens videri, qui mori quaerit, cupit.
DEJAN. Mors innocentes sola deceptos facit.
NUTR. Titana fugies? DEJAN. Ipse me Titan fugit.

NUTR. Vitam relinques? DEJAN. Miseram, ut Alciden sequar.
NUTR. Superest, et auras ille coelestes trahit.
DEJAN. Vinci Hercules cum potuit, hinc coepit mori.
NUTR. Gnatum relinques, fataque abrumpes tua?
DEJAN. Quamcunque natus sepelit, haec vixit diu.
NUTR. Virum sequéris. DEJAN. Praegredi castae solent.
NUTR. Si te ipsa damnas: scelere te, misera, arguis.
DEJAN. Nemo nocens sibi ipse poenas abrogat.
NUTR. Multis remissa est vita, quorum error nocens,
Non dextra, fuerat. Fata quis damnat sua?
DEJAN. Quinque fata iniqua sortitus, fugit,
NUTR. Hic ipse Megaren nempe confixam suis
Stravit sagittis atque natorum indolem,
Lernaea figens tela furibundâ manu,
Ter parricida factus ignovit tamen
Sibi: nam furoris fonte Cinyphio scelus
Sub axe Libyco tersit, et dextram abluit.
Quo, misera, pergis? quid tuas damnas manus?
DEJAN. Damnat meas devictus Alcides manus:
Placet scelus punire. NUTR. Si novi Herculem:
Aderit cruenti forsitan victor mali,
Dolorque fractus cedet Alcidae tuo.
DEJAN. Exedit artus virus, ut fama est, hydrae;
Immensa pestis conjugis membra abstulit.
NUTR. Serpentis illi virus enectae autumas
Haud posse vinci, qui malum et vivum tulit?
Elisit hydram, dente cum infixo stetit
Mediâ palude, victor, effuso obrutus
Artus veneno. Sanguis hunc Nessi opprimet,
Qui vicit ipsas horridas Nessi manus?
DEJAN. Frustra tenetur ille, qui statuit mori.
Proïnde lucem fugere decretum est mihi.
Vixit satis, quicunque cum Alcide occidit.

900. Fort. ≻ arguis. Nemo innocens s. i. p. irrogat. Multis etc.

NUTR. Per has aniles ecce! te supplex comas,
Atque ubera ista paene materna obsecro:
Depone tumidas pectoris laesi minas,
Mortisque dirae expelle decretum horridum!
DEJAN. Quicunque misero forte dissuadet mori,
Crudelis ille est. Interim poena est mori,
Sed saepe donum: pluribus venia obfuit.
NUTR. Defende saltem dexteram, infelix, tuam;
Fraudisque facinus esse, non nuptae, sciant.
DEJAN. Defendar illic: Inferi absolvent ream;
A me ipsa damnor. Purget has Pluton manus.
Stabo ante ripas, immemor Lethe, tuas,
Et umbra tristis conjugem excipiam meum.
Sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem! Scelera quae quisque ausus est,
Hic vicit error; Juno non ausa Herculem est
Eripere terris. Horridam poenam para!
Sisyphiâ cervix cesset, et nostros lapis
Impellat humeros. Me vagus fugiat latex,
Meamque fallax unda deludat sitim.
Merui manus praebere turbinibus tuis,
Quaecunque regem Thessalum torques, rota!
Effodiat avidus hinc et hinc vultur fibras.
Vacet una Danaïs: has ego explebo vices:
Laxate manes! Recipe me comitem tibi,
Phasiaca conjux! pejor haec, pejor tuo
Utroque dextra est scelere, seu mater nocens,
Seu dira soror es. Adde me comitem tuis,
Threïcia conjux, sceleribus! Gnatam tuam,
Althaea mater, recipe! nunc veram tuam
Agnosce prolem! Quid tamen tantum manus
Vestrae abstulerunt? Claudite Elysium mihi,
Quaecunque fidae conjuges nemoris sacri
Lucos tenetis! Si qua respersit manus
Viri cruore, nec memor castae facis
Stricto cruenta Belias ferro stetit;

In me suas agnoscat et laudet manus.
In hanc abire conjugum turbam libet;
Sed et illa fugiet turba tam diras manus.
Invicte conjux, innocens animus mihi,
Scelesta manus est. Proh nimis mens credula!
Proh Nesse fallax, atque semiferi doli!
Auferre cupiens pellici, eripui mihi.
Recede, Titan, tuque, quae blandâ tenes
In luce miseros, vita: cariturae Hercule
Lux vilis ista est. Exigam poenas tibi,
Reddamque vitam! Fata an extendo mea,
Mortemque, conjux, ad tuas servo manus?
Virtusne superest aliqua, et armatae manus
Intendere arcum tela missurum valent;
An arma cessant, teque languenti manu
Non audit arcus? Si potest letum dare:
Animosa, conjux, dexteram expecto tuam:
Mors differatur. Frange, ut insontem Lichan;
Alias in urbes sparge, et ignotum tibi
Emitte in orbem! perde, ut Arcadiae nefas,
Et quidquid aliud restitit! Ab illis tamen,
Conjux, redisti. HYL. Parce jam, mater, precor!
Ignosce fatis! Error a culpâ vacat.
DEJAN. Si vera pietas, Hylle, quaerenda est tibi:
Jam perime matrem! Pavida quid renuit manus?
Quid ora flectis? Hoc erit pietas scelus.
Ignave, dubitas? Herculem eripui tibi;
Haec, haec peremit dextra, cui debes patri
Avum Tonantem. Majus eripui decus,
Quam luce tribui. Si tibi ignotum est nefas:
A matre disce. Seu tibi jugulo placet
Mersisse ferrum, sive maternum libet
Invadere uterum: mater intrepidum tibi
Praebebit animum. Non erit totum scelus

976. Fort.: teque languentem manu N. a. a.

982. Fort.: Et q. a. cessit! A bellis tamen, C., r.

A te peractum: dexterâ sternar tuâ,
Sed mente nostrâ. Gnatus Alcidae times?
Ita nulla peragas jussa, nec frangens mala
Erres per orbem; si qua nascetur fera:
Referas parentem. Dexteram intrepidam para!
Patet ecce! plenum pectus aerumnis: feri!
Scelus remitto. Dexterae parcent tuae
Eumenides ipsae. Verberum crepuit sonus!
Quaenam ista, torquens angue vipereo comam,
Temporibus atras squalidis pinnas quatit?
Quid dira me flagrante persequeris face
Megaera? Poenas poscis Alcidae? Dabo.
Jamne Inferorum, diva, sedere arbitri?
Sed, ecce, diras carceris video fores!
Quis iste saxum immane detritis gerit
Jam senior humeris? Ecce, jam vectus lapis
Quaerit relabi! Membra quis praebet rotae?
Hic, ecce, pallens dira Tisiphone stetit,
Causam poposcit! Parce verberibus, precor,
Megaera, parce! sustine Stygias faces:
Scelus est amoris. Sed quid hoc? Tellus labat,
Et aula tectis crepuit excussis! Minax
Unde iste coetus? Totus in vultus meos
Decurrit orbis, hinc et hinc populi fremunt,
Totusque poscit vindicem mundus suum.
Jam parcite, urbes! — Quo fugam praeceps agam?
Mors sola portus dabitur aerumnis meis.
Testor nitentis flammeam Phoebi rotam,
Superosque testor: Herculem in terris adhuc
Moritura linquo. HYL. Fugit attonita. Hei mihi!
Peracta jam pars matris est: statuit mori;

1009. Fort.: Sed en! reclusas Tartari video f.
1012. Fort.: Membra quis queritur rotae?
1013. Fort.: Tis. extitit.
1014. Fort.: Causam reposcit.

Nunc nostra superest, mortis auferre impetum.
O misera pietas! si mori matrem vetas:
Patri es scelestus; si mori pateris: tamen
In matre peccas. Surgit hinc illinc nefas.
Inhibenda tamen est, verum et eripiam scelus.

## CHORUS.

**Sumtâ ab Herculis robore labefactato occasione, Chorus omnia interitui obnoxia, nihil natum aeternum canit; quam sententiam ab auctore Orpheo commendat, ejusque artem obiter celebrat.**

Verum est, quod cecinit sacer glyc.
Thressae sub Rhodopes jugis,
Aptans Pieriam chelyn,
Orpheus, Calliopae genus:
Aeternum fieri nihil.
Illius stetit ad modos
Torrentis rapidi fragor;
Oblitusque sequi fugax
Amisit liquor impetum;
Et dum fluminibus mora est,
Defecisse putant Geten
Hebrum Bistones ultimi.
Advexit volucrem nemus,
Et silvâ residens venit;
Aut si quae aëra pervolat,
Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit scopulos Athos,
Centauros obiter ferens,
Et juxta Rhodopen stetit
Laxatam nive candidus.
Et quercum fugiens suam,

1039. Fort.: Oblitusque sui f.

Ad vatem properat Dryas;
Ad cantus veniunt suis
Ipsae cum latebris ferae;
Juxtaque impavidum pecus
Sedit Marmaricus leo;
Nec damae trepidant lupos;
Et serpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.
Quin per Taenarias fores
Manes cum tacitos adit:
Moerentem feriens chelyn,
Cantu Tartara flebili
Et tristes Erebi deos
Vicit, nec timuit Stygis
Juratos Superis lacus.
Haesit non stabilis rota
Victo languida turbine;
Increvit Tityi jecur,
Dum cantus volucres tenet;
Audito quoque navita
Inferni ratis aequoris
Nullo remigio venit.
Tum primum Phrygius senex
Undis stantibus immemor
Excussit rabidam sitim,
Nec pomis adhibet manus;
Sed cum linqueret Inferos
Orpheus carmina fundens;
Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit sequi.
Consumtas iterum deae
Supplent Eurydices colos;
Sed dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditam

1055. Fort.: Ad carmen v. s.
1075. navita. Leg. nablio.

Orpheus Eurydicen sequi,
Cantûs praemia perdidit;
Quae nata est iterum, perit.
Tum solamina cantibus
Quaerens, flebilibus modis
Haec Orpheus cecinit Getis:
Leges in Superos datas,
Et qui tempora digerens
Quatuor praecipitis deus
Anni disposuit vices.
Nulli non avidi colûs
Parcas stamina nectere.
Quod natum est, poterit mori.
Vati credere Thracio
Devictus jubet Hercules.
Jamjam legibus obrutis
Mundo cum veniet dies:
Australis polus obruet,
Quidquid per Libyam jacet,
Et sparsus Garamas tenet;
Arctous polus obruet,
Quidquid subjacet axibus,
Et siccus Boreas ferit.
Amisso trepidus polo,
Titan excutiet diem;
Coeli regia concidens
Ortus atque obitus trahet;
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua et chaos;
Et Mors fata novissima
In se constituet sibi.

1095. Leg. Ex quo t. d.
1096. Fort.: Certas praec. d.
1103. Fort.: J. l. ah! (vel: oh!) satis.
1116. Fort.: P. nox alia et ch.
1118. Fort.: Ipsi const. s.

Quis mundum capiet locus?
Discedet via Tartari,
Fractis ut pateat polis?
An quod dividit aethera
A terris spatium, sat est
Et mundi nimium malis?
Quis tantum capiet nefas
Fati? quis superis locus
Pontum, sidera, Tartara,
Regna unus capiet tria?
Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Est, est Herculeus sonus!

---

# ACTUS QUARTUS.

## HERCULES, CHORUS.

**Ejulans Hercules conqueritur, indigne ferens, se indigna morte perire, femineis scilicet dolis.**

HERC. CONVERTE, Titan clare, anhelantes equos!
Emitte noctem: pereat hic mundo dies,
Quo morior; atrâ nube inhorrescat polus!
Obsta novercae! Nunc, pater, coecum chaos
Reddi decebat; hinc et hinc compagibus
Ruptis uterque debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis, pater.
Nunc partem in omnem, Jupiter, specta poli,
Ne quis gigas Thessalica jaculetur juga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leve!
Laxabit atri carceris jamjam fores

1125. **Fort.: Qui tantum capiat nefas**
**Fati, quis superest locus?**

Pluton superbus; vincula excutiet patri,
Coelumque reddet. Ille, qui pro fulmine
Tuisque facibus natus in terris eram,
Ad Styga revertor. Surget Enceladus ferox,
Mittetque, quo nunc premitur, in Superos onus.
Regnum omne, genitor, aetheris dubium tibi
Mors nostra faciet. Antequam spolium tui
Coelum omne fiat, conde me totâ, pater,
Mundi ruinâ! frange, quem perdis, polum!
CHOR. Non vana times, gnate Tonantis: a. d.
Jam Thessalicam Pelion Ossam
Premet, et Pindo congestus Athos
Nemus aethereis inseret astris.
Vincet scopulos inde Typhoëus,
Et Tyrrhenam feret Inarimen;
Feret Aetnaeos inde caminos
Scindetque latus montis aperti,
Nondum Enceladus fulmine victus.
Jam te coeli signa sequentur.
HERC. Ego, qui relictâ morte, contemtâ Styge, i. s.
Per media Lethes stagna cum spolio redî,
Cum paene trepidis excidit Titan equis;
Ego, quem deorum regna senserunt tria,
Morior; nec ullus per meum stridet latus
Transmissus ensis; haud meae telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus,
Aut totus Othrys; non truci rictu gigas
Pindo cadaver obruit toto meum:
Sine hoste vincor; quodque me torquet magis,
O misera virtus! summus Alcidae dies
Nullum malum prosternit; impendo, hei mihi,
In nulla vitam facta! Proh mundi arbiter,
Superique, quondam dexterae testes meae,
Proh cuncta tellus, Herculis vestri placet

1161. signa. Fort.: regna.
1168. Fort.: abruptum.

Mortem perire? Dirus o nobis pudor!
O turpe fatum! femina Herculeae necis
Auctor feretur; auctor Alcides quibus?
Invicta si me cadere feminea manu
Voluere fata, perque tam turpes colos
Mea mors cucurrit: cadere potuissem, hei mihi,
Junonis odio: feminae caderem minis,
Sed coelum habentis. Si nimis, Superi, fuit:
Scythico sub axe genita domuisset meas
Vires Amazon. Feminae cujus manu
Junonis hostis vincor? Hinc gravior tui,
Noverca, pudor est! Quid diem hunc laetum vocas?
Quid tale tellus genuit iratae tibi?
Mortalis odia femina excessit tua.
Adhuc ferebas esse te Alcidae imparem;
Victa es duobus: pudeat irarum deos.
Utinam meo cruore satiasset suos
Nemeaea rictus pestis, aut centum anguibus
Vallatus hydram tabe pavissem mea!
Utinam fuissem praeda Centauris datus,
Aut inter umbras, victus, aeterno miser
Saxo sederem, spolia cum traxi ultima
Fato stupente! Nunc ab inferna Styge
Lucem recepi, lucis evici moras;
Ubique me mors fugit, ut telo inclito
Mortis carerem. Proh feri victi et ferae!
Non me triformis sole conspecto canis
Ad Styga reduxit; non sub Hesperio polo
Ibera vicit turba pastoris feri;
Non gemina serpens; perdidi mortem, hei mihi,
Toties honestam; titulus extremus quis est?
CHOR. Viden', ut laudis conscia virtus a. d.
Non Lethaeos horreat amnes?

1187. Fort.: Hic gravior tuo, N., p. est. — Quid etc.
1191. Fort.: furebas.
1204. Forte: retraxit,

Pudet auctoris, non morte dolet.
Cupis extremum finire diem
Vastâ tumidi mole gigantis,
Et montiferum Titana pati,
Rabidaeque necem debere ferae;
Sed tua causa est miseranda magis,
Quod nulla fera est, nullusque gigas:
Jam quis dignus necis Herculeae
Superest auctor, nisi dextra tua?
HERC. Heu! qualis intus scorpios, quis fervidâ i. s.
Plagâ revulsus cancer infixus meas
Urit medullas? Sanguinis quondam capax
Tumidi jecur pulmonis arentes fibras
Distendit; ardet felle siccato jecur,
Totumque lentus sanguinem avexit vapor.
Primam cutem consumsit; hinc aditum nefas
In membra fecit, abstulit costis latus,
Exedit artus penitus, et totas malum
Hausit medullas: ossibus vacuis sedet.
Nec ossa durant ipsa, sed compagibus
Discussa ruptis mole conlapsâ fluunt.
Defecit ingens corpus, et pesti satis
Herculea non sunt membra. Proh, quantum est malum,
Quod esse vastum fateor! o dirum nefas!
En cernite, urbes, cernite ex illo Hercule
Quid jam supersit! Herculem agnoscis, pater?
Hisne ego lacertis spolia Nemeaei mali
Elisa pressi? tensus hâc arcus manu
Astris ab ipsis detulit Stymphalidas?
His ego citatam gressibus vici feram,

1213. Fort.: Vel m. T. p., Rabidaeve etc.

1222. Fort.:

Tumidi, ecce! cor p. a. f.
Destituit; a. f. s. j.
T. l. s. adfecit v.

Radiante clarum fronte gestantem caput?
His fracta Calpe manibus emisit fretum?
His tot ferae, tot scelera, tot reges jacent?
His mundus humeris sedit? haec moles mea est?
Haecne illa cervix? has ego opposui moras
Coelo ruenti? quis meâ custos manu
Trahetur ultra Stygius? ubi vires prius
In me sepultae! Quid patrem adpello Jovem?
Quid per Tonantem vindico coelum miser?
Jamjam meus credetur Amphitryon pater.
Quaecunque pestis viscere in nostro lates,
Procede: quid me vulnere occulto petis?
Quis te sub axe frigido pontus Scythes,
Quae pigra Tethys genuit, aut Maurum premens
Ibera Calpe littus? O dirum malum,
Utrumne serpens squalidum cristâ caput
Vibrans, an aliquod es mihi ignotum malum?
Numquid cruore es genita Lernaeae ferae,
An te reliquit Stygius in terris canis?
Omne es malum nullumque. Quis vultus tibi est?
Concede saltem scire, quo peream malo.
Quaecunque pestis, sive quaecunque es fera:
Palam timeres. Quis tibi in medias locum
Fecit medullas? Ecce, dereptâ cute
Viscera manus detexit; ulterior tamen
Inventa latebra est. O malum simile Herculi!
Unde iste fletus? unde in has lacrimae genas?
Invictus olim vultus et nunquam malis
Lacrimas suis praebere consuetus (pudet!)
Jam flere didicit. Quis dies fletum Herculis,
Quae terra vidit? Siccus aerumnas tuli.
Tibi illa virtus, quae tot elisit mala,
Tibi cessit uni! primo et ante omnes mihi
Fletum abstulisti! durior saxo horrido

1246. Fort.: Stygius? ubi vires patris In me sep.?

1272. Fort.: T. c. uni; praemium ante omnes mihi Fletum abst.

Et chalybe vultus et vagâ Symplegade
Rictus meos infregit, et lacrimam expulit!
Flentem, gementem, summe proh rector poli,
Me terra vidit; quodque me torquet magis,
Noverca vidit. Urit ecce! iterum fibras;
Incaluit ardor. Unde nunc fulmen mihi?
CHOR. Quid non possit superare dolor? a. d.
Quondam Getico durior Haemo,
Nec Parrhasio lentior axe,
Saevo cessit membra dolori;
Fessumque movens per colla caput
Latus alterno pondere flectit;
Fletum virtus saepe resorbet.
Sic Arctoas laxare nives
Quamvis tepido sidere Titan
Non tamen audet, vincitque faces
Solis adusti glaciale jubar.

## HERCULES, ALCMENA.

Lamentantem Herculem solatur Alcmena.

HERC. CONVERTE vultus ad meas clades, pater! i. s.
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus;
Non, cum per artus hydra foecundum meos
Caput explicaret. Inter infernos lacus
Possessus atrâ nocte cum Fato steti,
Nec invocavi. Tot feras vici horridas,
Reges, tyrannos; non tamen vultus meos
In astra torsi: semper haec nobis manus
Votum spopondit. Nulla me propter sacro
Micuere coelo fulmina; hic aliquid dies
Optare jussit. Primus audierit preces,
Idemque summus. Unicum fulmen peto.
Giganta crede: non minus coelum mihi

1296. Leg.: Nec te inv.

Adserere potui; dum patrem verum puto,
Coelo peperci. Sive crudelis, pater,
Sive es misericors: commoda gnato manum!
Propera ante Mortem, et occupa hanc laudem tibi!
Vel, si piget, manusque detrectat nefas:
Emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindum ferant,
Aut te, Ossa, qui me monte projecto opprimant!
Abrumpat Erebi claustra, me stricto petat
Bellona ferro. Mitte Gradivum trucem!
Armetur in me dirus: est frater quidem,
Sed ex noverca. Tu quoque Alcidae soror
Tantum ex parente, cuspidem in fratrem tuum
Jaculare, Pallas! Supplices tendo manus
Ad te, noverca: sparge tu saltem, precor,
Telum! perire feminae possum manu.
Jam fracta, jam satiata, quid pascis minas?
Quid quaeris ultra? Supplicem Alciden vides.
Et nulla tellus, nulla me vidit fera
Te deprecantem; nunc mihi iratâ quidem
Opus est novercâ. Nunc tuus cessat dolor?
Nunc odia ponis? parcis, ubi votum est mori?
O terra et urbes, non facem quisquam Herculi,
Non arma tradet? tela subtrahitis mihi?
Ita nulla saevas terra concipiat feras
Post me sepultum, nec meas unquam manus
Imploret orbis; si qua nascentur mala,
Nascatur alius: undeque infelix caput
Mactate saxis; vincite aerumnas meas!
Ingrate cessas orbis? excidimus tibi?
Adhuc malis ferisque suppositus fores,
Nisi me tulisses. Vindicem vestrum malis

1307. Fort.: Properante morte hanc occ. l. t.

1322. Fort.: Heu, nulla tellus.

1323. Fort.: iratâ palam Opus etc.

1331. Fort.: Nascantur otio: undique etc.

Eripite, populi! Tempus hoc vobis datur
Pensare merita! mors erit pretium omnium.
ALCM. Quas misera terras mater Alcidae petam?
Ubi natus, ubinam est? Certa si visus notat,
Reclinis ecce! corde anhelanti aestuat;
Gemit: peractum est. Membra complecti ultimum,
O gnate, liceat! spiritus fugiens meo
Legatur ore! brachia amplexu cape!
Ubi membra sunt? ubi illa, quae mundum tulit,
Stelligera cervix? quis tibi exiguam tui
Partem reliquit? HERC. Herculem spectas quidem,
Mater; sed umbram et vile nescio quid mei
Agnosce! Mater, ora quid flectis retro
Vultumque mergis? Herculem dici tuum
Partum erubescis? ALCM. Quis feram mundus novam,
Quae terra genuit, quodve tam dirum nefas
De te triumphat? Herculis victor quis est?
HERC. Nuptae jacentem cernis Alciden dolis.
ALCM. Quis tantus est, qui vincat Alciden, dolus?
HERC. Quincunque, mater, feminae iratae sat est.
ALCM. Et unde in artus pestis aut ossa incidit?
HERC. Aditum venenis palla femineis dedit.
ALCM. Ubinam ista palla est? membra nudata intuor.
HERC. Consumta mecum est. ALCM. Tantane inventa est lues?
HERC. O mater, hydram et mille cum Lernae feras
Errare mediis crede visceribus meis.
Quae tanta nubes flamma Sicanias bibit,
Quae Lemnos ardens, quae plaga igniferi poli,
Vetans flagranti currere in zona diem?
In ipsa me jactate, proh comites, freta,
Mediosque in omnes! — Qui sat est Ister mihi?
Non ipse terris major Oceanus meos
Franget vapores; omnis in nostris malis

Deficiet humor; omnis arescet latex.
Quid, rector Erebi, me remittebas Jovi?
Decuit tenere. Redde me tenebris tuis!
Talem subactis Herculem ostende Inferis!
Nil inde ducam; quid times iterum Herculem?
Invade, Mors, non trepida: jam possum mori.
ALCM. Compesce lacrimas saltem, et aerumnas doma,
Malisque tantis Herculem indomitum refer,
Mortemque vince, quod soles; vince Inferos!
HERC. Si me catenis horridus vinctum suis
Praeberet avidae Caucasus volucri dapem:
Scythiâ gemente flebilis gemitus mihi
Non exstitisset. Si vagae Symplegades
Utrâque premerent rupe: redeuntis minas
Ferrem ruinae. Pindus incumbat mihi
Atque Haemus et qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Jovisque fulmen excutiens Mimas!
Non ipse si in me, mater, hic mundus ruat,
Superque nostros flagret incensus toros
Phoebeus axis, degener mentem Herculis
Clamor domaret. Mille decurrant ferae,
Pariterque lacerent; hinc feris clangoribus
Aetheria me Stymphalis, hinc taurus minax
Cervice totâ pulset; et quidquid fuit
Solum quoque ingens, surgat hinc illinc simul!
Artusque nostros dirus immittat Sinis;
Sparsus silebo. Non ferae excutient mihi,
Non arma gemitus; nil, quod impelli potest.
ALCM. Non virus artus, gnate, femineum coquit;
Sed dura series operis et longus tibi
Pavit cruentos forsitan morbos labor.

1374. Fort.: C. l. saltem et aerumnas domi, etc.

1378. suis, Fort.: senis, vel: feris.

1389. Fort.: Clam. notaret.

1394. Fort.: emittat.

HERC. Ubi Morbus, ubinam Pestis, aut si aliquid mali
Adhuc in orbe est? Veniat! — Huc aliquis mihi
Intendat arcus! — Nuda sufficiet manus.
Procedat, agedum, huc! ALCM. Hei mihi, sensum quoque
Excussit illi nimius impulsum dolor.
Removete, quaeso, tela, et infestas, precor,
Rapite hinc sagittas: igne suffusae genae
Scelus minantur. Quas petam latebras anus?
Dolor iste furor est: Herculem solus domat. —
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu.
Vel scelere pereat, antequam letum mihi
Ignavus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet. Ecce, lassatus malis
Sopore fessas adligat venas dolor,
Gravique anhelum pectus impulsu quatit.
Favete, Superi! si mihi gnatum inclitum
Miserae negatis: vindicem saltem, precor,
Servate terris! abeat excussus dolor,
Corpusque vires reparet Herculeum suas!

## HYLLUS, ALCMENA, HERCULES, PHILOCTETES, muta persona.

**Reversus Hyllus nunciat Herculi, Dejaniram, postquam se Nessi dolo deceptam comperterit, sibi mortem conscivisse.**

HYL. PROH lux acerba, proh capax scelerum dies! 'i. s.
Nurus Tonantis occidit; gnatus jacet;
Nepos supersum. Scelere materno hic perit;
Fraude illa capta est. Quis per annorum vices,
Totoque in aevo poterit aerumnas senex
Referre tantas? Unus eripuit dies

Parentem utrumque! Cetera ut sileam mala,
Parcamque fatis: Herculem amitto patrem.
ALCM. Compesce voces, inclitum Alcidae genus,
Miseraeque fato similis Alcmenae nepos:
Longus dolorem forsitan vincet sopor.
Sed ecce! lassam deserit mentem quies,
Redditque morbo corpus, et luctus mihi.
HERC. Quid hoc? rigenti cernitur Trachin jugo,
An inter astra positus evasi genus
Mortale tandem? Quis mihi coelum parat?
Te, te, pater, jam video! placatam quoque
Specto novercam. Qui sonus nostras ferit
Coelestis aures? Juno me generum vocat!
Video nitentem regiam clari aetheris,
Phoebique tritam flammeâ zonam rotâ! —
Cubile video noctis hinc; tenebrae vocant.
Quid hoc? quis axem cludit et ab ipsis, pater,
Deducit astris? Ora Phoebeus modo
Afflabat axis: tam prope a coelo fui;
Trachina video. Quis mihi terras dedit?
Oete modo infra steterat, ac totus fuit
Suppositus orbis: tam bene excideras, dolor.
Cogis fateri ... Parce, et hanc vocem occupa!
Haec, Hylle, dona matris; hoc munus parat.
Utinam liceret stipite ingesto impiam
Effringere animam, quale Amazonium malum
Circa nivalis Caucasi domui latus!
O cara Megare, tunc, cum furerem, mihi
Conjux fuisti? Stipitem atque arcus date!
Dextra inquinetur; laudibus maculam imprimam:
Summus legatur femina Herculeus labor.
HYL. Compesce diras, genitor, irarum minas:
Habet; peractum est; quas petis poenas, dedit:
Suâ peremta dexterâ mater jacet.
HERC. Recte dolori est: manibus irati Herculis
Occidere meruit; perdidit comitem Lichas.

Saevire in ipsum corpus exanime impetus
Atque ira cogit. Cur minis nostris caret?
Ipsum cadaver pabulum accipiant ferae!
HYL. Plus misera laeso doluit; hinc aliquid quoque
Detrahere velles. Occidit dextrâ suâ,
Tuo dolore. Plura, quam poscis, tulit.
Sed non cruentae sceleribus nuptae jaces,
Nec fraude matris; Nessus hos struxit dolos,
Ictus sagittis qui tuis vitam exspuit.
Cruore tincta est palla semiferi, pater,
Nessusque nunc has exigit poenas sibi.
HERC. Habet; peractum est; fata se nostra explicant.
Lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat, et Parnassio
Cirrhaea quatiens templa mugitu nemus:
„Dextrâ peremti, victor Alcide, viri
„Olim jacebis; hic tibi emenso freta
„Terrasque et umbras finis extremus datur.
Nil querimur ultra: decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis victor foret.
Nunc mors legatur clara, memoranda, inclita,
Me digna prorsus: nobilem hunc faciam diem.
Caedatur omnis silva, et Oetaeum nemus
Concipiat ignes; Herculem accipiat rogus,
Sed ante mortem. Tu genus Poeantium,
Hoc triste nobis, juvenis, officium adpara!
Herculea totum flamma succendat diem.
Ad te preces nunc, Hylle, supremas fero.
Est clara captas inter, in vultu genus
Regnumque referens, Euryto virgo edita,
Iole; tuis hanc facibus et thalamis para.
Victor cruentus abstuli patriam, lares,
Nihilque miserae praeter Alciden dedi;
Et iste rapitur. Penset aerumnas suas:
Jovis nepotem foveat et gnatum Herculis.

Tibi illa pariat, quidquid ex nobis habet.
Tuque ipsa planctus pone funereos, precor,
O cara genitrix; vivit Alcides tibi:
Virtute nostrâ pellicem feci tuam
Credi novercam. Sive nascente Hercule
Nox illa certa est, sive mortalis meus
Pater est; licet sit falsa progenies mihi:
Materna culpa cesset et crimen Jovis:
Merui parentem: contuli coelo decus.
Natura me concepit in laudes Jovis.
Quin ipse, quanquam Jupiter, credi meus
Pater esse gaudet. Parce jam lacrimis, parens:
Superba matres inter Argolicas eris.
Quid tale Juno genuit? Aetherium gerens
Sceptrum, et Tonanti nupta, mortali tamen
Coelum tenens invidit: Alciden suum
Dici, esse voluit. Perage nunc, Titan, vices
Solus relictus: ille, qui vester comes
Ubique fueram, Tartara et Manes peto.
Hanc tamen ad imos perferam laudem inclitam,
Quod nulla pestis fudit Alciden palam,
Omnesque pestes vicit Alcides palam.

## CHORUS.

**Solem orat, ut toti mundo Herculis mortem nunciet. Herculis apotheosin praedicit, Jovemque precatur, ut vel nulli producantur tyranni, ferae, monstra, vel redeat Hercules malorum vindex.**

O DECUS mundi, radiate Titan, sapph.
Cujus ad primos Hecate vapores
Lassa nocturnae levat ora bigae,
Dic sub Aurora positis Sabaeis,
Dic sub Occasu positis Iberis,

1502. Leg.: Nox bina certa est, etc.
1514. Leg.: qui dexter comes etc.

Quique ferventi quatiuntur axe,
Quique sub plaustro patiuntur Ursae,
Dic, ad aeternos properare Manes
Herculem et regnum canis inquieti,
Unde non unquam remeavit ullus!
Sume, quos nubes radios sequantur;
Pallidus moestas speculare terras,
Et caput turpes nebulae pererrent.
Quando, proh Titan, ubi, quo sub axe
Herculem in terris alium sequéris?
Quas manus, orbis miser, invocabis,
Si qua sub Lernâ numerosa pestis
Sparget in centum rabiem dracones;
Arcadum si quis populis vetustis
Fecerit silvas aper inquietas;
Thraciae si quis Rhodopes alumnus
Durior terris Helices nivosae
Pascet humano stabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti,
Si quid irati Superi per urbes
Jusserint nasci? jacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit Tonanti.
Planctus immensas resonet per urbes,
Et, comas nullo cohibente nodo,
Feminae exertos feriant lacertos;
Solaque, obductis foribus deorum,
Templa securae pateant novercae.
Vadis ad Lethen Stygiumque littus,
Unde te nullae referent carinae;
Vadis ad Manes miserandus, unde
Morte devictâ tuleras triumphum?
Umbra nudatis venies lacertis,
Languido vultu, tenuique collo;
Teque non solum feret illa puppis.
Non tamen viles eris inter umbras;
Aeaconque inter geminosque Cretas

Facta discernes, feries tyrannos.
Parcite, o dites, inhibete dextras:
Laudis est, purum tenuisse ferrum;
Dumque regnabas, minimum procellis
In tuas urbes licuisse Fati.
Sin locum virtus habet inter astra:
Sedis Arctoae spatium tenebis,
An, gravis Titan ubi promit aestus?
An sub Occasu tepido nitebis,
Unde commisso resonare ponto
Audies Calpen? Loca quae sereni
Deprimes coeli? quis erit recepto
Tutus Alcidâ locus inter astra?
Horrido tantum procul a Leone
Det pater sedes calidoque Cancro:
Ne tuo vultu tremefacta leges
Astra conturbent, trepidetque Titan.
Vere dum flores venient tepenti,
Et comam silvis hiemes recident,
Vel comam silvis revocabit aestas,
Pomaque autumno fugiente cedent,
Nulla te terris rapiet vetustas.
Tu comes Phoebo, comes ibis astris!
Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit unda;
Ante descendet glacialis Ursae
Sidus, et Ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quiescant.
Te, pater rerum, miseri precamur:
Nulla nascatur fera, nulla pestis;
Non duces saevos miseranda tellus
Horreat; nullâ dominetur aulâ,
Qui putet solum decus esse regni,
Semper intensum tenuisse ferrum.
Si quid in terris iterum timetur,

1561. Leg.: Parcite, audaces; inhib. d.

Vindicem terrae petimus relictae.
Hem, quid hoc? mundus tonat! Ecce, moeret,
Moeret Alciden pater. An deorum
Clamor, an vox est timidae novercae?
Hercule an viso fugit astra Juno?
Passus an pondus titubavit Atlas?
An magis diri tremuere Manes
Herculem, et visum canis Inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?
Fallimur: laeto venit, ecce, vultu,
Quem tulit Poeas, humerisque tela
Gestat et notas populis pharetras,
Herculis heres!

---

# ACTUS QUINTUS.

## CHORUS, PHILOCTETES.

Philoctetes Herculis mortem atque funus nunciat.

CHOR. Effare casus, juvenis, Herculeos, precor, i. s.
Vultuque quonam tulerit Alcides necem.
PHIL. Quo nemo vitam. CHOR. Laetus adeone ultimos
Invasit ignes? PHIL. Esse jam flammas nihil
Ostendit ille, qui sub hoc mundo, Hercules,
Virtute vinci docuit indomitâ omnia.
CHOR. Inter vapores quis fuit forti locus?
PHIL. Quod unum in orbe vicerat nondum malum,
Et flamma victa est; haec quoque accessit feris;
Inter labores ignis Herculeos abit.
CHOR. Edissere, agedum! flamma quo victa est modo?
PHIL. Ut omnis Oeten moesta corripuit manus:
Huic fagus umbras perdit, et toto jacet

Succisa trunco; flectit hic pinum ferox
Astris minantem, et nube de mediâ vocat;
Ruitura cautes movit, et silvam trahit
Secum minorem. Chaonis quondam loquax
Stat vasta late quercus et Phoebum vetat,
Ultraque totos porrigit ramos nemus;
Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque cuneos; resilit incussus chalybs,
Vulnusque ferrum patitur, et rigidum est parum.
Commota tandem est; tum cadens latam sui
Duxit ruinam. Protinus radios locus
Admisit omnes: sedibus pulsae suis
Volucres pererrant nemore succiso diem,
Quaeruntque lassis garrulae pennis domos.
Jamque omnis arbor sonuit, et sacrae quoque
Sensere quercus horridam ferro manum,
Nullique priscum profuit luco nemus.
Adgeritur omnis silva, et alternae trabes
In astra tollunt Herculi angustum rogum.
Rapit alta flammas pinus et robur tenax,
Et brevior ilex; silva sed complet rogos
Populea salva, frontis Herculeae nemus.
At ille, ut ingens nemore sub Nasamonio
Aeger reclini pectore immugit leo,
Fertur. Quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis astra, non ignes, erat.
Ut pressit Oeten, ac suis oculis rogum
Lustravit omnem: fregit impositus trabes,
Arcumque poscit. „Accipe haec," inquit, „sate
Poeante, dona; munus Alcidae cape!
Has hydra sensit; his jacent Stymphalides,
Et quidquid aliud eminus vici malum.
Virtute felix juvenis, has nunquam irritas
Mittes in hostem; sive de mediâ voles

1649. Fort.: Accipe hunc, i., s. P., clarum, et munus etc.
Vel: clarum munus A. c.

Auferre volucres nube: descendent aves,
Et certa praedae tela de coelo fluent.
Nec fallet unquam dexteram hic arcus tuam:
Librare telum didicit, et certam dare
Fugam sagittis; ipsa non fallunt iter
Emissa nervo tela. Tu tantum, precor,
Adcommoda ignes et facem extremam mihi! —
Hic nodus," inquit, „nulla quem capiet manus,
Mecum per ignes flagret. Hoc telum Herculem
Tantum sequatur. Hoc quoque acciperes," ait,
„Si ferre posses. Adjuvet domini rogum."
Tum rigida secum spolia Nemeaei mali
Arsura poscit. Latuit in spolio rogus.
Ingemuit omnis turba, nec lacrimas dolor
Cuiquam remisit. Mater in luctum furens
Diduxit avidum pectus, atque utero tenus
Exerta vastos ubera in planctus ferit;
Superosque et ipsum vocibus pulsans Jovem
Implevit omnem voce femineâ locum.
„Deforme letum, mater, Herculeum facis:
Compesce lacrimas," inquit. „Introrsus dolor
Femineus abeat. Juno cur laetum diem
Te flente ducat? Pellicis gaudet suae
Spectare lacrimas. Contine infirmum jecur,
Mater: nefas est ubera atque uterum tibi
Laniare, qui me genuit." Et dirum fremens,
Qualis per urbes duxit Argolicas canem,
Cum victor Erebi Dite contemto redît,
Tremente Fato, talis incubuit rogo.
Quis sic triumphans laetus in curru stetit
Victor, quis illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus, quanta pax obitus tulit?
Haesere lacrimae; cecidit impulsus dolor
Nobis quoque ipsis; nemo moriturô ingemit;

1669. Fort.: — luctum ruens, D. a. p., a. u. t. Exerta vasto verbere in planctus furit.

Jam flere pudor est. Ipsa, quam sexus jubet
Moerere, siccis haesit Alcmene genis;
Stetitque nato paene jam similis parens.
CHOR. Nullasne in astra misit ad Superos preces
Arsurus, aut in vota respexit Jovem?
PHIL. Jacuit sui securus, et, coelum intuens,
Quaesivit oculis, arce an ex aliquâ pater
Despiceret illum. Tum manus tendens ait:
„Quâcunque parte prospicis gnatum, pater,
Te, te, pater, quem nocte commissâ dies
Quaesivit unus, si meas laudes canit
Utrumque Phoebi littus, et Scythiae genus,
Et, omnis, ardens ora, quam torret dies;
Si pace tellus plena, si nullae gemunt
Urbes, nec aras impias quisquam inquinat;
Si scelera desunt: spiritum admitte hunc, precor,
In astra! Nec me mortis infernae locus,
Nec moesta nigri regna conturbant Jovis;
Sed ire ad illos umbra, quos vici, deos,
Pater, erubesco. Nube discussâ diem
Pande, ut deorum vultus ardentem Herculem
Spectet. Licet tu sidera et mundum neges,
Ultro, pater: cogére. Si voces dolor
Abstulerit ullas: pande tum Stygios lacus,
Et redde Fatis! adproba gnatum prius!
Ut dignus astris videar, hic faciet dies.
Leve est, quod actum est; Herculem hic, genitor, dies
Inveniet, aut damnabit.“ Haec postquam edidit:
Flammas poposcit. „Hoc age, Alcidae comes,
Non segnis,“ inquit: „corripe Oetaeam facem.
Noverca cernat, quo feram flammas modo.
Quid dextra tremuit? num manus pavida impium
Scelus refugit? Redde jam pharetras mihi,

1720. Leg.: manus pavidae pium Scelus refugiunt?

Ignave, iners, inermis! En nostros manus
Quae tendat arcus! Qui sedet pallor genis?
Animo faces invade, quo Alciden vides
Vultu jacere! respice arsurum, miser!
Vocat ecce! jam me genitor, et pandit polos.
Venio, pater!" Vultusque non idem fuit.
Tremente pinum dexterâ ardentem impuli.
Refugit ignis, et reluctantur faces,
Et membra vitant; sed recedentem Hercules
Insequitur ignem. Caucasum, aut Pindum, aut Athon
Ardere credas: nullus erumpit sonus;
Tantum ingemiscit ignis. O durum jecur!
Typhon in illo positus immanis rogo
Gemuisset ipse, quique convulsam solo
Imposuit humeris Ossan Enceladus ferox;
At ille medias inter exurgens faces
Semiustus ac laniatus, intrepidus, rubens:
„Nunc, o parens Herculea, sic stare ad rogum
Te, mater," inquit, „si decet fleri Herculem."
Inter vapores positus et flammae minas,
Immotus, inconcussus, in neutrum latus
Correpta torquens membra, adhortatur, monet,
Gerit aliquid ardens. Omnibus fortem addidit
Animum ministris; urere ardentem putes.
Stupet omne vulgus; vix habent flammae fidem:
Tam placida frons est, tanta majestas viro.
Nec properat uri; cumque jam forti datum
Leto satis pensavit: igniferas trabes,
Hinc inde traxit, minima quas flamma occupat,
Totasque in ignem vertit, et quâ plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet (ast illi graves
Luxere barbae); cumque jam vultum minax
Adpeteret ignis, lamberent flammae caput:
Non pressit oculos. Sed quid hanc moestam intuor

1752. Fort.: Exundat, ictus recipit int. feros.

Sinu gerentem? Reliquias magni Herculis
Cineremque jactans squalida Alcmene gemit.

## ALCMENA, PHILOCTETES.

**Suam ex Herculis morte cladem Alcmena dolet.**

ALCM. Timete, Superi, fata: tam parvus cinis i. s.
Herculeus est; huc ille decrevit gigas.
O quanta, Titan, in nihil moles abit!
Anilis, heu me, recipit Alciden sinus!
Hic tumulus illi est. Ecce, vix totam Hercules
Complevit urnam! quam leve est pondus mihi,
Cui totus aether pondus incubuit leve!
Ad Tartara olim regnaque, o gnate, ultima
Rediturus ibas; quando ab infernâ Styge
Remeabis iterum? non ut et spolium trahas,
Rursumque Theseus debeat lucem tibi;
Sed quando solus? Mundus impositus tuas
Compescet umbras, teque Tartareus canis
Inhibere poterit? Quando Taenareas fores
Pulsabis, aut quas mater ad fauces agar,
Quâ mors aditur? — Vadis ad Manes, iter
Habiturus unum. Quid diem questu tero?
Quid misera duras vita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rursus Herculem possum Jovi?
Quisnam parentem gnatus Alcmenen suam
Tantus vocabit? O nimis felix, nimis,
Thebane conjux, Tartari intrasti loca
Florente nato; teque venientem Inferi
Timuere forsan, quod pater tantum Herculis
Vel falsus aderas. Quas petam terras anus,
Invisa saevis regibus, si quis tamen
Rex est relictus saevus? Hei miserae mihi!

1758. Fort.: Cinerem retractans s. ♠. g. Vel: Cineremque tractans etc.

Quicunque caesos ingemunt gnati patres,
A me petent supplicia; me cuncti obruent.]
Si quis minor Busiris, aut si quis minor
Antaeus urbes fervidae terret plagae:
Ego praeda ducar. Si quis Ismarius greges
Thracis cruenti vindicat: carpent greges
Mea membra diri. Forsitan poenas petet
Irata Juno: totus uretur dolor.
Secura victo tandem ab Alcide vacat;
Pellex supersum, supplicia de qua exigat.
Ne parere possem, fecit hic natus mihi
Uterum timendum. Quae petam Alcmene loca?
Quis me locus, quae regio, quae mundi plaga
Defendet, aut quas mater in latebras agar
Ubique per te nota? Si patriam petam
Laresque miseros: Argos Eurystheus tenet.
Marita Thebes regna et Ismenon petam,
Thalamosque nostros, in quibus quondam Jovem
Dilecta vidi, proh nimis felix, nimis,
Si fulminantem et ipsa sensissem Jovem?
Utinam meis visceribus Alcides foret
Exemtus infans! Nunc datum est miserae, datum,
Videre natum laude certantem Jovi:
Ut et hoc daretur scire, quid fatum mihi
Eripere posset! Quis memor vivet tui,
O gnate, populus? Omne jam ingratum est genus.
Petam Cleonas? Arcadum populos petam,
Meritisque terras nobiles quaeram tuis?
Hic dira serpens cecidit; hic ales fera;
Hic rex cruentus; hic tuâ fractus manu,
Qui te sepulto possidet coelum, leo.
Si grata terra est: populus Alcmenen tuam
Defendat omnis. Thracias gentes petam,

1795. Fort.: Pellex supersum: digna supplicis expetat. Si par.
1798. Fort.: Quis me focus etc.
1807. Fort.: Nunc datum in tempus, datum etc.

Hebrique populos? Haec quoque est meritis tuis
Defensa tellus: stabula cum regno jacent;
Hic pax cruento rege prostrato data est:
Ubi enim negata est? Quod tibi infelix anus
Quaeram sepulcrum? De tuis totus rogis
Contendat orbis. Reliquias magnî Herculis
Quis populus, aut quae templa, quae gentes colent?
Quis jam petet, quis poscet Alcmenes onus?
Quae tibi sepulcra, gnate, quis tumulus sat est?
Hic, totus orbis; fama erit titulus tibi.
Quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes.
Complectar ossa: reliquiae auxilium dabunt;
Erunt sat haec praesidia: terrebunt tuae
Reges vel umbrae. PHIL. Debitos gnato quidem
Compesce fletus, mater Alcidae incliti!
Non est gemendus; nec gravi urgendus nece,
Virtute quisquis abstulit fatis iter.
Aeterna virtus Herculem fleri vetat.
Fortes vetant moerere, degeneres jubent.
ALCM. Sedabo questus? Vindicem amisi parens
Terrae atque pelagi, quaque purpureus dies
Utrumque clarâ spectat Oceanum rotâ.
Quot misera in uno condidi gnatos parens?
Regno carebam, regna sed poteram dare.
Una inter omnes terra quas matres gerit,
Votis peperci; nil ego a superis peti
Incolume nato: quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? quis deus quidquam mihi
Negare poterat? vota in hac fuerant manu:
Quidquid negaret Jupiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix ulla mortalis tulit?
Deflevit aliqua mater, et toto stetit
Succisa foetu, bisque septenos greges

1820. Fort.: stab, cum regno ut jacent, Huic pax etc.
1838. Leg.: V. amisit parens Terra a. pelagus, quique etc.
1850. Fort.: Deflevit aliquid mater, ut etc.

Deplanxit una; gregibus aequari meus:
Quot ille poterat? Matribus miseris adhuc
Exemplar ingens deerat; Alcmene dabo.
Cessate matres, pertinax si quas dolor
Adhuc jubet lugere, quas luctus gravis
In saxa vertit! cedite his cunctae malis!
Agedum, senile pectus, o miserae manus,
Pulsate! et una funeri tanto sat est
Grandaeva anus defecta, quod totus brevi
Jam quaeret orbis? Expedi in planctus tamen
Defessa quamquam brachia! Invidiam ut deis
Lugendo facias, advoca in planctum genus!

## ALCMENA.

Tristis Alcmena naeniam canit.

Flete Alcmenen, a. d. et m.
Magnique Jovis plangite natum,
Cui concepto lux una perît,
Noctesque duas contulit Eos:
Ipsâ quiddam plus luce perît.
Totae pariter plangite gentes,
Quarum saevos ille tyrannos
Jussit Stygias penetrare domos,
Populisque madens ponere ferrum!
Fletum meritis reddite tantis!
Totus, totus personet orbis!
Fleat Alciden coerula Crete,
Magno tellus cara Tonanti!
Centum populi brachia pulsent!
Nunc Curetes, nunc Corybantes,
Arma Idaeâ quassate manu:

1859. Fort.: P.! At una etc.
1861. Fort.: Anquiret orbis?
1863. Fort.: L. f. advoca implicitum g.

Armis illum lugere decet.
Nunc nunc funus plangite verum:
Jacet Alcides non minor ipso,
Creta, Tonante.
Flete Herculeos, Arcades, obitus,
Nondum Phoebe nascente genus!
Juga Parthenii Nemeaeque sonent,
Feriantque graves Maenala planctus!
Magno Alciden poscite gemitu:
Stratus vestris setiger agris;
Alesque sequi jussa sagittas,
Totum pennis velata diem.
Flete, Argolicae, flete, Cleonae:
Hic terrentem moenia quondam
Vestra leonem
Fregit nostri dextera nati.
Date Sithoniae verbera matres,
Gelidusque sonet planctibus Hebrus!
Flete Alciden,
Quod non stabulis nascitur infans,
Nec vestra greges viscera carpunt!
Fleat Antaeo libera tellus,
Et rapta fero plaga Geryonae!
Mecum miserae plangite gentes!
Audiat ictus utraque Tethys!
Vos quoque, mundi turba citati,
Flete Herculeos, numina, casus:
Vestrum Alcides cervice meus
Mundum, Superi, coelumque tulit,
Cum stelligeri vector Olympi
Pondere liber spiravit Atlas.
Ubi nunc vestrae, Jupiter, arces?
Ubi promissi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe sepultus. Quoties telis

1891. Fort.: Cujus pennâ est velata dies.

Facibusque tuis ille pepercit!
Quoties ignis spargendus erat!
In me saltem jaculare facem,
Semelenque puta! Jamne Elysias,
O gnate, domus, jam littus habes,
Ad quod populos Natura vocat;
An post raptum Styx atra canem
Praeclusit iter; teque in primo
Limine Ditis fata morantur?
Quis nunc Umbras, gnate, tumultus
Manesque tenet?
Fugit abductâ navita cymbâ,
Et Centauris Thessala motis
Ferit attonitos ungula Manes,
Anguesque suos hydra sub undis
Territa mersit,
Teque labores, o gnate, timent?
Fallor, fallor, vesana parens,
Nec te Manes Umbraeque timent:
Non Argolico rapta leoni
Fulvâ pellis contecta jubâ
Laevos operit dura lacertos,
Vallantque feri tempora dentes;
Donum pharetrae cessere tuae,
Telaque mittet jam dextra minor:
Vadis inermis, gnate, per umbras,
Ad quas semper mansurus eris!

## ALCMENA, HERCULES.

**Solatur lugentem matrem Hercules in deorum collegium translatus.**

HERC. Quid me tenentem regna siderei poli, i. 2.
Coeloque tandem redditum, planctu jubes

1929. Fort.: undas.
1935. Fort: contacta.

Sentire fatum? Parce: nam virtus mihi
In astra et ipsos fecit ad Superos iter.
ALCM. Unde sonus trepidas aures ferit? dact. tetr.
Unde meas inhibet lacrimas fragor?
Agnosco, agnosco: victum est Chaos!
A Styge, nate, redis iterum mihi,
Fractaque non semel est Mors horrida!
Vicisti rursum Noctis loca,
Puppis et infernae vada tristia;
Pervius est Acheron jam languidus,
Et remeare licet soli tibi,
Nec te Fata tenent post funera!
An tibi praeclusit Pluton iter,
Et pavidus regni metuit sibi?
Certe ego te vidi flagrantibus
Impositum silvis, cum plurimus
In coelum fureret flammae metus.
Arsisti certe; cur ultima
Non tenuere tuas umbras loca?
Quid timuere tui manes, precor?
Umbra quoque es Diti nimis horrida?
HERC. Non me gementis stagna Cocyti tenent, i. s.
Non puppis umbras furva transvexit meas:
Jam parce, mater, questibus! Manes semel
Umbrasque vidi; quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis invitus tulit;
Paterna coelo pars data est, flammis tua.
Proïnde planctus pone, quos gnato paret
Genitrix inerti; luctus in turpes eat.
Virtus in astra tendit, in mortem timor.
Praesens ab astris, mater, Alcides cano:
Poenas cruentus jam tibi Eurystheus dabit:
Curru superbum vecta transcendes caput.
Me jam decet subire coelestem plagam:
Inferna vici rursus Alcides loca.

1957. Fort.: Et pavidum regnum m. s.?

ALCM. Mane parumper! — Cessit, ex oculis abît,
In astra fertur. Fallor, an vultus putat
Vidisse natum? Misera mens incredula est.
Es numen, et te mundus aeternus tenet:
Credo triumphis. Regna Thebarum petam,
Novumque templis additum numen canam.

## CHORUS.

**Herculi inter deos relato adspirat Chorus, novumque numen adorat.**

NUNQUAM Stygias fertur ad umbras a. d. et m.
Inclita virtus. Vivite, fortes!
Vos Lethaeos saeva per amnes
Nec fata trahent; sed cum summas
Exiget horas consumta dies:
Iter ad Superos gloria pandet.
Sed tu, domitor magne ferarum,
Orbisque simul pacator, ades!
Nunc quoque nostras respice terras;
Et si qua novo bellua vultu
Quatiet populos terrore gravi:
Tu fulminibus frange trisulcis!
Fortius ipso genitore tuo
Fulmina mittes.

1980. Fort.: puto Vid. nati?

## *DRAMATIS PERSONAE.*

OCTAVIA.
NUTRIX OCTAVIAE.
CHORUS ROMANORUM.
SENECA.
PRAEFECTUS.
POPPAEA.
AGRIPPINA.
NERO.
NUNCIUS.

INCERTI SCRIPTORIS

# OCTAVIA.

## ARGUMENTUM.

Claudius Drusus Caesar Messalinae, quae illi Britannicum et Octaviam pepererat, quod Silio nupsisset, mori jussae, Agrippinam filiam fratris sui Germanici, viduam Cn. Dom. Aenobarbi Neronis, superinduxit; cujus filio Neroni Octaviam suam in matrimonium dedit. Claudio et Britannico veneno sublatis, Nero Imp. Octaviam, quam oderat, repudiat, Poppaeam Sabinam ducit. Cujus divortii causa commoti populi tumultum multâ caede reprimit, et Octaviam in Pandatariam ablegatam interfici jubet.

## ALIUD ARGUMENTUM HIERONYMI BALBI.

Impia sors, vario versans mortalia cursu,
Proh pudor! indignum ad fastigia celsa Neronem
Vexerat, et rerum latas donarat habenas.
Huic sata Dardaniâ generosa Octavia stirpe
Iuncta fuit diris avibus thalamoque sinistro:
Illé etenim, infami Poppaeae raptus amore,
Connubium antiquum sprevit tedasque iugales.
Hoc facinus crebris soboles Romana querelis
Increpat, infestâque Neronem voce lacessit.
Heu, nihil est saevi violentius aure tyranni:
Ille ardet stimulis, totusque immersus in iras
Uxorem egregiam morti devovit acerbae.
Tum vero exoritur questus juvenumque senumque,
Ore madent lacrimis, totam dolor occupat urbem.

# ACTUS PRIMUS.

## OCTAVIA.

**Vitae pertaesa miserias suas deflet Octavia.**

Jam vaga coelo sidera fulgens a. d. et m.
Aurora fugat;
Surgit Titan radiante comâ,
Mundoque diem reddit clarum.
Age, tot tantis onerata malis,
Repete adsuetos jam tibi questus,
Atque aequoreas vince Halcyonas,
Vince et volucres Pandionias:
Gravior namque his fortuna tua est.
Semper genitrix deflenda mihi,
Prima meorum causa malorum,
Tristes questus natae exaudi,
Si quis remanet sensus in Umbris!
Utinam ante manu grandaeva suâ
Mea rupisset stamina Clotho,
Tua quam moerens vulnera vidi,
Oraque foedo sparsa cruore!
O lux semper funesta mihi,
Tempore ab illo
Nox es tenebris invisa magis!
Tulimus saevae jussa novercae,
Hostilem animum, vultusque truces.
Illa illa meis, tristis Erinnys,
Thalamis Stygios praetulit ignes;
Teque extinxit, miserande pater,

14. suâ. Fort.: ferâ.

Meliora deus tempora mitis,
Tu modo blando vince obsequio
Placata virum. OCT. Vincam saevos
Ante leones tigresque truces,
Fera quam saevi corda tyranni.
Odit genitos sanguine claro,
Spernit Superos hominesque simul;
Nec fortunam capit ipse suam,
Quam dedit illi per scelus ingens
Infanda parens. Licet ingratum
Dirae pudeat munere matris
Hoc imperium cepisse; licet
Tantum munus morte rependat:
Feret hunc titulum post fata tamen
Femina longo semper in aevo.
NUTR. Animi retine verba furentis!
Temere emissam comprime vocem!
OCT. Toleranda quaevis patiar: haud unquam queant
i. s.
Nisi morte tristi nostra finiri mala.
Genitrice caesâ, per scelus rapto patre,
Orbata fratre, miseriis, luctu obruta,
Moerore pressa, conjugi invisa, ac meae
Subjecta famulae, luce non gratâ fruor,
Trepidante semper corde, non mortis metu,
Sed sceleris. Absit crimen a fatis meis,
Mori juvabit: poena nam gravior nece est
Videre tumidos et truces miserae mihi
Vultus tyranni, jungere atque hosti oscula;
Timere nutus, cujus obsequium meus
Haud ferre posset fata post fratris dolor,
Scelere interemti, cujus imperium tenet
Et morte gaudet auctor infandae necis.
Quam saepe tristis umbra germani meis
Offertur oculis, membra cum solvit quies,

113. Fort.: Et sorte etc.

Et fessa fletu lumina oppressit sopor!
Modo facibus atris armat infirmas manus,
Oculosque et ora fratris infestus petit;
Modo trepidus idem refugit in thalamos meos;
Persequitur hostis, atque inhaerenti mihi
Violentus ensem per latus nostrum rapit.
Tunc tremor et ingens excutit somnos pavor,
Renovatque luctus et metus miserae mihi.
Adice his superbam pellicem, nostrae domûs
Spoliis nitentem; cujus in munus suam
Stygiae parentem natus imposuit rati,
Quam dira post naufragia superato mari
Ferro interemit, saevior pelagi fretis.
Quae spes salutis post nefas tantum mihi?
Inimica victrix imminet thalamis meis;
Odioque nostri flagrat, et pretium stupri
Justae maritum conjugis captat caput.
Emergere undis, et fer auxilium tuae
Natae invocanti, genitor; aut Stygios sinus
Tellure ruptâ pande, quo praeceps ferar!
NUTR. Frustra parentis invocas manes tui,
Miseranda, frustra, nulla cui prolis suae
Manet inter umbras cura; qui nato suo
Praeferre potuit sanguine alieno satum,
Genitamque fratris conjugem captus sibi
Toris nefandis flebili junxit face.
Hinc orta series facinorum, caedes, doli,
Regni cupido, sanguinis diri sitis:
Mactata soceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenaeis potens.
Proh facinus ingens! feminae est munus datus
Silanus, et cruore foedavit suo
Patrios penates, criminis ficti reus.
Intravit hostis hei mihi! captam domum

133. Fort.: Emergito Umbris.

140. Leg. fratre.

Dolis novercae, Principis factus gener,
Idemque natus, juvenis infandi ingeni
Capaxque scelerum, dira cui genitrix facem
Accendit, et te junxit invitam metu;
Tantoque victrix facta successu ferox,
Ausa imminere est orbis imperio sacri.
Quis tot referre facinorum formas potest,
Et spes nefandas feminae, et blandos dolos
Regnum petentis per gradus scelerum omnium?
Tum sancta Pietas extulit trepidos gradus,
Vacuamque Erinnys saeva funesto pede
Intravit aulam, polluit Stygiâ face
Sacros penates, jura Naturae furens
Fasque omne rupit: miscuit conjux viro
Venena saeva; cecidit atque eadem sui
Mox scelere nati. Tu quoque extinctus jaces,
Deflende nobis semper infelix puer,
Modo sidus orbis, columen Augustae domus,
Britannice, heu me! nunc levis tantum cinis
Et tristis Umbra; saeva cui lacrimas dedit
Etiam noverca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque et vultus deo
Similes volanti flamma fervens abstulit.
OCT. Extinguat et me, ne manu nostra cadat.
NUTR. Natura vires non dedit tantas tibi.
OCT. Dolor, ira, moeror, miseriae, luctus dabunt.
NUTR. Vince obsequendo potius immitem virum.
OCT. Ut fratrem ademtum scelere restituat mihi?
NUTR. Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum
Genitoris olim sobole restituas tua.
OCT. Expectat aliam Principis sobolem domus;
Me dira miseri fata germani trahunt.
NUTR. Confirmet animum civium tantus favor.
OCT. Solatur iste nostra, non relevat, mala.

164. Fort.: cec. ast eadem.

NUTR. Vis magna populi est. OCT. Principis major tamen.
NUTR. Respiciet ipse conjugem. OCT. Pellex vetat.
NUTR. Invisa cunctis nempe. OCT. Sed cara est viro.
NUTR. Nondum uxor est. OCT. Jam fiet, et genitrix simul.
NUTR. Juvenilis ardor impetu primo furit;
Languescit idem facile, nec durat diu
In venere turpi, ceu levis flammae vapos;
Amor perennis conjugis castae manet.
Violare prima quae toros ausa est tuos,
Animumque domini famula possedit diu,
Jam metuit eadem. OCT. Nempe praelatam sibi
Subjecta et humilis; atque monumenta extruit,
Quibus timorem fassa testatur suum.
NUTR. Et hanc levis fallaxque destituet deus
Volucer Cupido. Sit licet forma eminens,
Opibus superba: gaudium capiet breve.
Passa est similes ipsa dolores a. d. et m.
Regina deûm,
Cum se formas vertit in omnes
Dominus coeli divûmque pater,
Et modo pennas sumsit oloris,
Modo Sidonii cornua tauri,
Aureus idem fluxit in imbri.
Fulgent coelo sidera Ledae;
Patrio residet Bacchus Olympo;
Deus Alcides possidet Heben,
Nec Junonis jam timet iras,
Cujus gener est, qui fuit hostis.
Vicit sapiens tamen obsequium
Conjugis altae pressusque dolor:
Sola Tonantem tenet aetherio
Secura toro maxima Juno;
Nec mortali captus formâ
Deserit altam Jupiter aulam.

Tu quoque, terris altera Juno,
Soror Augusti conjuxque, graves
Vince dolores!
OCT. Jungentur ante saeva sideribus freta, i. s.
Et ignis undae, Tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidae nocti dies,
Quam cum scelesti conjugis mente impiâ
Mens nostra, semper fratris extincti memor.
Utinam nefandi Principis dirum caput
Obruere flammis Coelitum rector paret,
Qui saepe terras fulmine infesto quatit,
Mentesque nostras ignibus terret sacris,
Novisque monstris! Vidimus coelo jubar
Ardens cometam pandere, infestam facem,
Quâ plaustra tardus noctis aeternâ vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.
En! ipse diro spiritu saevi ducis
Polluitur aether; gentibus clades novas
Minantur astra, quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona neglecto Jove
Irata tellus edidit quondam parens;
Haec gravior illo pestis: hic, hostis deûm
Hominumque, templis expulit Superos suis,
Civesque patriâ; spiritum fratri abstulit;
Hausit cruorem matris; et lucem videt,
Fruiturque vitâ, noxiamque animam trahit!
Proh summe genitor, tela cur frustra jacis
Invicta toties temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Utinam suorum facinorum poenas luat
Nero, ipse divo Domitio genitus patre,
Orbis tyrannus, quem premit turpi jugo,
Morumque vitiis nomen Augustum inquinat.

233. Fort.: frigore.

244. Fort.: tela cur f. facis I. t. tremere r. m.?

247. Fort.: luat Iste insitivus, Domitio g. p.

NUTR. Indignus ille, fateor, est thalamis tuis;
Sed cede fatis atque fortunae tuae,
Alumna, quaeso; neve violenti move
Iram mariti. Forsitan vindex deus
Existet aliquis, laetus et veniet dies.
OCT. Gravi deorum nostra jam pridem domus
Urgetur irâ, prima quam pressit Venus,
Furore miserae dira genitricis meae:
Quae nupta demens nupsit incestâ face,
Oblita nostri, conjugis, legum immemor.
Illo solutâ crine, succincta anguibus,
Ultrix Erinnys venit ad Stygios toros,
Raptasque thalamis sanguine extinxit faces;
Incendit irâ Principis pectus truci
Caedem in nefandam. Cecidit infelix parens
Heu! nostra ferro, meque perpetuo obruit
Extincta luctu. Conjugem traxit suum
Natumque ad Umbras; prodidit lapsam domum.
NUTR. Renovare luctus parce cum fletu pios,
Manes parentis neve sollicita tuae,
Graves furoris quae sui poenas dedit.

## CHORUS.

Poppaeae nuptias detestatur Chorus Octaviae favens. Degenerem, lentam nimis et servilem Romanorum arguit patientiam, et in scelera Neronis invehitur.

QUAE fama modo venit ad aures, a. d. et m.
Utinam falso credita perdat
Frustra toties jactata fidem,
Nec nova nostri conjux thalamos
Principis intret, teneatque suos
Nupta penates Claudia proles!
Edat partu pignora pacis,

261. Fort.: Illi.

Quâ tranquillus gaudeat orbis,
Servetque decus Roma aeternum!
Fratris thalamos sortita tenet
Maxima Juno;
Soror Augusti sociata toris
Cur a patriâ pellitur aulâ?
Sancta quid illi prodest pietas,
Divusque pater?
Quid virginitas castusque pudor?
Nos quoque nostri sumus immemores
Post fata ducis, cujus stirpem
Prodimus, aevi suadente metu.
Vera priorum virtus quondam
Romana fuit, verumque genus
Martis in illis sanguisque viris.
Illi reges hâc expulerunt
Urbe superbos;
Ultique tuos sunt bene manes,
Virgo, dextrâ caesa parentis,
Ne servitium paterere grave,
Nec proba ferret praemia victrix
Dira libido.
Te quoque bellum triste secutum est,
Mactata tuâ miseranda manu,
Nata Lucreti,
Stuprum saevi passa tyranni!
Dedit infandi sceleris poenas
Cum Tarquinio Tullia conjux,
Quae per caesi membra parentis
Egit saevos impia currus,
Laceroque seni violenta rogos,
Nata, negavit.
Haec quoque nati videre nefas
Secula majus, cum Tyrrhenum
Rate ferali Princeps captam
Fraude parentem misit in aequor.

Properant placidos linquere portus
Jussi nautae; resonant remis
Pulsata freta:
Fertur in altum provecta ratis,
Quae resoluto robore labens
Pressa dehiscit, sorbetque mare.
Tollitur ingens clamor ad astra,
Cum femineo mixtus planctu.
Mors ante oculos dira vagatur;
Quaerit leti sibi quisque fugam:
Alii lacerae puppis tabulis
Haerent nudi, fluctusque secant;
Repetunt alii littora nantes;
Multos mergunt fata profundo.
Scindit vestes Augusta suas,
Laceratque comas,
Rigat et moestis fletibus ora.
Postquam spes est nulla salutis:
Ardens irâ jam victa malis:
„Haec," exclamat, „mihi pro tanto
Munere reddis praemia, nate?
Hâc sum, fateor, digna carina,
Quae te genui, quae tibi lucem
Atque imperium nomenque dedi
Caesaris, amens.
Exere vultus Acheronte tuos,
Poenisque meis pascere, conjux:
Ego causa tuae, miserande, necis,
Natoque tuo funeris auctor.
En, ut merui,
Ferar ad manes inhumata tuos,
Obruta saevis aequoris undis!"
Feriunt fluctus ora loquentis;
Ruit in pelagus,
Rursumque salo pressa resurgit;
Pellit palmis cogente metu

Fata, et cedit fessa labori.
Mansit tacitis in pectoribus
Spretâ tristi jam morte fides:
Multi dominae ferre auxilium
Pelago fractis viribus audent,
Brachia quamvis lenta trahentem
Voce hortantur, manibusque levant.
Quid tibi saevi fugisse maris
Profuit undas?
Ferro es nati moritura tui,
Cujus facinus vix posteritas,
Tarde semper credula, credet.
Furit, ereptam pelagoque dolet
Vivere matrem
Impius, ingens geminatque nefas:
Ruit in miserae fata parentis,
Paliturque moram sceleris nullam.
Missus peragit jussa satelles:
Reserat dominae pectora ferro.
Caedis moriens illa ministrum
Rogat infelix,
Utero dirum condat ut ensem.
„Hic est, hic est fodiendus," ait,
„Ferro, monstrum qui tale tulit!"
Post hanc vocem,
Cum supremo mixtam gemitu,
Animam tandem per fera tristem
Vulnera reddit.

# ACTUS SECUNDUS.

## SENECA.

Philosophus, seculi sui vitia detestatus, prisci aevi simplicitatem laudat, utque omnia in dies in deteriora ruerint commemorat.

Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi i. s.
Blandita vultu, sorte contentum meâ
Alte extulisti, gravius ut ruerem editâ
Receptus arce, totque prospicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiae malis
Remotus inter Corsici rupes maris,
Ubi liber animus et sui juris mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quam juvabat, quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex,
Coelum intueri, solis et cursus sacros,
Mundique motus, salis et alternas vices,
Orbemque Phoebes, astra quem cingunt vaga,
Lateque fulgens aetheris magni decus!
Qui si senescit, tantus in coecum chaos
Casurus iterum: nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Coeli ruinâ: rursus ut stirpem novam
Generet renascens melior; ut quondam tulit
Juvenis, tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, niminis magni dea,
Justitia, coelo missa cum sanctâ Fide
Terris, regebat mitis humanum genus.
Non bella norant, non tubae fremitus truces,
Non arma gentes; cingere assuerant suas
Muris nec urbes. Pervium cunctis iter,

379. Fort.: fall. nimis Bl.

Communis usus omnium rerum fuit;
Et ipsa tellus laeta foecundos sinus
Pandebat ultro, tam piis felix parens
Et tuta alumnis. Alia sed soboles minus
Conspecta mitis. Tertium sollers genus
Novas ad artes extitit, sanctum tamen;
Mox inquietum, quod sequi cursu feras
Auderet acres; fluctibus tectos graves
Extrahere pisces rete; vel calamo levi
Decipere volucres; premere subjectos jugo
Tauros feroces; vomere immunem prius
Sulcare terram, laesa quae fruges suas
Interius alte condidit sacro sinu.
Sed in parentis viscera intravit suae
Deterior aetas: eruit ferrum grave
Aurumque; saevas mox et armavit manus;
Partita fines regna constituit, novas
Extruxit urbes; tecta defendit suis
Aliena telis, aut petit praedae imminens.
Neglecta terras fugit et mores feros
Hominum, et cruenta caede pollutas manus,
Astraea virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli crevit atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda; cui vires dedit
Roburque longum tempus atque error gravis.
Collecta vitia per tot aetates diu
In nos redundant. seculo premimur gravi,
Quo scelera regnant, saevit impietas furens,
Turpi libido venere dominatur potens,
Luxuria victrix orbis immensas opes
Jampridem avaris manibus, ut perdat, rapit.
Sed ecce! gressu fertur attonito Nero,
Trucique vultu. Quid ferat, mente horreo.

416. Fort.: frugem suam Int. altam condidit etc.

## NERO, PRAEFECTUS, SENECA.

Incassum monet suum Neronem philosophus, qui tyrannicis institutis pertinaciter insistit, proximumque diem nuptiis cum Poppaeâ destinat.

NERO. Perage imperata: mitte, qui Plauti mihi i. s.
Sullaeque caesi referat abscissum caput.
PRAEF. Jussa haud morabor: castra confestim petam.
SEN. Nihil in propinquos temere constitui decet.
NERO. Justo esse facile est, cui vacat pectus metu.
SEN. Magnum timoris remedium clementia est.
NERO. Extinguere hostem maxima est virtus ducis.
SEN. Servare cives major est patriae patri.
NERO. Praecipere mitem convenit pueris senem.
SEN. Regenda magis est fervida adolescentia.
NERO. Aetate in hâc satis esse consilii reor.
SEN. Ut facta Superi comprobent semper tua!
NERO. Stulte verebor, ipse cum faciam, deos.
SEN. Hôc plus verere, quod licet tantum tibi.
NERO. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
SEN. Crede obsequenti parcius: levis est dea.
NERO. Inertis est nescire, quid liceat sibi.
SEN. Id facere, laus est, quod decet; non, quod licet.
NERO. Calcat jacentem vulgus. SEN. Invisum opprimit.
NERO. Ferrum tuetur principem. SEN. Melius fides.
NERO. Decet timeri Caesarem. SEN. At plus diligi.
NERO. Metuant necesse est ... SEN. Quidquid exprimitur, grave est.
NERO. Jussisque nostris pareant. SEN. Justa impera.
NERO. Statuam ipse. SEN. Quae consensus efficiat rata.
NERO. Despectus? Ensis faciet. SEN. Hoc absit nefas.

NERO. An patiar ultra, sanguinem nostrum peti,
Inultus et contemtus ut subito opprimar?
Exilia non fregere summotos procul
Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in caedem meam.
Absentium cum maneat etiam ingens favor
In urbe nostrâ, qui fovet spes exulum;
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
Invisa conjux pereat, et carum sibi
Fratrem sequatur. Quidquid excelsum est, cadat.
SEN. Pulchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere patriae, parcere afflictis, ferâ
Caede abstinere, tempus atque irae dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Haec summa virtus; petitur hâc coelum viâ.
Sic ille patriae primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur et templis deus.
Illum tamen Fortuna jactavit diu
Terrâ marique per graves belli vices,
Hostes parentis donec oppressit sui.
Tibi numen incruenta summittit suum,
Et dedit habenas imperî facili manu,
Nutuque terras, maria, subjecit tuo.
Invidia tristis victa consensu pio
Cessit. Senatus equitis accensus favor
Plebisque votis, atque judicium patrum est.
Tu pacis auctor, generis humani arbiter,
Electus; orbem tu sacrâ specie regis,
Patriae parens; quod nomen ut serves petit,
Suosque cives Roma commendat tibi.
NERO. Munus deorum est, ipsa quod servit mihi
Roma et Senatus; quodque ab invitis preces

485 Fort.: Ut dedit etc.

487. Fort.: — pio Cessit; senatûs, eq., acc. favor Plebisque votum est; adque judicium patris Tu pacis auctor, g. h. arbiter, Electus orbem jam sacrâ etc.

Humilesque voces exprimit nostri metus.
Servare cives principi et patriae graves,
Claro tumentes genere, quae dementia est,
Cum liceat unâ voce suspectos sibi
Mori jubere? Brutus in caedem ducis,
A quo salutem tulerat, armavit manus.
Invictus acie, gentium domitor, Jovi
Aequatus altos saepe per honorum gradus,
Caesar nefando civium scelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc vidit sui,
Lacerata toties! Ille, qui meruit piâ
Virtute coelum, divus Augustus, viros
Quot interemit nobiles, juvenes, senes,
Sparsos per orbem, cum suos mortis metu
Fugerent penates et trium ferrum ducum,
Tabulâ notante deditos tristi neci?
Exposita rostris capita caesorum patres
Videre moesti; flere nec licuit suos,
Non gemere, dirâ tabe polluto foro,
Stillante sanie per putres vultus gravi.
Nec finis hic cruoris aut caedis stetit:
Pavere volucres et feras saevas diu
Tristes Philippi; hausit et Siculum mare
Classes, virosque saepe cedentes. Suis
Concussus orbis viribus. Magnus ducum
Superatus acie, puppibus Nilum petit
Fugae paratis, ipse periturus brevi.
Hausit cruorem incesta Romani ducis
Aegyptus iterum, nunc leves umbras tegit.
Illic sepultum est impie gestum diu
Civile bellum; condidit tandem suos
Jam fessus enses victor, hebetatos feris

499. Fort.: Cui liceat etc.

518. Fort.: — exhausit et S. m. C., virosque s. c. feros. C. o. v. magnis ducum. S. a. p. N, petit F. p. iste, p. b.: Hausit etc.

Vulneribus, et continuit imperium metu.
Armis fideque militis tutus fuit,
Pietate nati factus eximiâ deus,
Post fata consecratus et templis datus.
Nos quoque manebunt astra, si saevo prior
Ense occupâro, quidquid infestum est mihi,
Dignâque nostram sobole fundâro domum.
SEN. Implebit aulam stirpe coelesti tuam
Generata divo, Claudiae gentis decus,
Sortita fratris, more Junonis, toros.
NERO. Incesta genitrix detrahit generi fidem,
Animusque nunquam conjugis junctus mihi.
SEN. Teneris in annis haud satis clara est fides,
Pudore victus cum tegit flammas amor.
NERO. Hoc equidem et ipse credidi frustra diu,
Manifesta quamvis pectore insociabili
Vultuque signa proderent odium mei;
Tandem quod ardens statuit ulcisci dolor,
Dignamque thalamis conjugem invenit meis
Genere atque formâ, victa cui cedat Venus,
Jovisque conjux, et ferox armis dea.
SEN. Probitas fidesque conjugis, mores, pudor,
Placeant marito: sola perpetuo manent,
Subjecta nulli, mentis atque animi bona;
Florem decoris singuli carpunt dies.
NERO. Omnes in unam contulit laudes deus,
Talemque nasci fata voluerunt mihi.
SEN. Recedat a te, temere ne credas, amor.
NERO. Quem submovere fulminis dominus nequit,
Coeli tyrannum, saeva qui penetrat freta
Ditisque regna, detrahit Superos polo?
SEN. Volucrem esse amorem fingit immitem deum
Mortalis error, armat et telis manus,
Arcusque sacros miscuit saevâ face;
Genitumque credit Venere, Vulcano satum.

561. Fort.: Arcuque sacro et instruit s. f.

Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor est; juventâ gignitur; luxu, otio
Nutritur inter laeta Fortunae bona.
Quem si fovere atque alere desistas, cadit,
Brevique vires perdit extinctus suas.
NERO. Hanc esse vitae maximam causam reor,
Per quam voluptas oritur. Interitu caret,
Cum procreetur semper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
Hic mihi jugales praeferat taedas deus,
Jungatque nostris igne Poppaeam toris.
SEN. Vix sustinere posset hos thalamos dolor
Videre populi; sancta nec Pietas sinat!
NERO. Prohibebor unus facere, quod cunctis licet?
SEN. Majora populus semper a summo exigit.
NERO. Libet experiri, viribus fractus meis
An cedat animis temere conceptus favor.
SEN. Obsequere potius civibus placidus tuis!
NERO. Male imperatur, cum regit vulgus duces.
SEN. Nil impetrare cum valet, juste dolet.
NERO. Exprimere jus est, ferre quod nequeunt preces?
SEN. Negare durum est. NERO. Principem cogi nefas.
SEN. Remittat ipse. NERO. Fama sed victum feret.
SEN. Levis atque vana. NERO. Sit licet, multos notat.
SEN. Excelsa metuit. NERO. Non minus carpit tamen.
SEN. Facile opprimetur. Merita te divi patris,
Aetasque frangat conjugis, probitas, pudor!
NERO. Desiste tandem, jam gravis nimium mihi,
Instare! Liceat facere, quod Seneca improbat.
Et ipse populi vota jam pridem moror,
Cum portet utero pignus et partem mei.
Quin destinamus proximum thalamis diem?

592. Fort.: Et ipsa etc.

593. Fort.: C. p. u. dignior p. m. Vel: C. p. u. digna sic p. m.

# ACTUS TERTIUS.

## AGRIPPINA.

**Ab Inferis prodit Agrippina, faces exitiales praeferens nuptiis Poppaeae et Neronis, cujus mortem praedicit.**

Tellure ruptâ Tartaro gressum extuli, i. s.
Stygiam cruentâ praeferens dextrâ facem
Thalamis scelestis. Nubat his flammis meo
Poppaea nato juncta, quas vindex manus
Dolorque matris vertet ad tristes rogos.
Manet inter umbras impiae caedis mihi
Semper memoria, Manibus nostris gravis
Adhuc inultis, reddita et meritis meis
Funesta merces puppis, et pretium imperî
Nox illa, quâ naufragia deflevi mea.
Comitum necem, natique crudelis nefas
Deflere votum fuerat; haud tempus datum est
Lacrimis; sed ingens scelere geminavit nefas.
Peremta ferro, foeda vulneribus, sacros
Intra penates spiritum effudi gravem,
Erepta pelago, sanguine extinxi meo
Nec odia nati, saevit in nomen ferus
Matris tyrannus: obrui meritum cupit;
Simulacra, titulos destruit, mortis metu,
Totum per orbem, quem dedit poenam in meam
Puero regendum noster infelix amor.
Extinctus umbras agitat infestus meas,
Flammisque vultus noxios conjux petit,
Instat, minatur, imputat fatum mihi

610. Leg.: — gravem. Nec odia nati sang. extinxi meo, Erepta pelago: saevit etc.

615. Fort.: Mortis metus; Totum etc. Vel: more improbo.

Tumulumque nati; poscit auctorem necis.
Jam parce: dabitur. Tempus haud longum peto:
Ultrix Erinnys impio dignum parat
Letum tyranno, verbera, et turpem fugam,
Poenasque, quis et Tantali vincat sitim,
Dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixionisque membra rapientem rotam.
Licet extruat marmoribus atque auro tegat
Superbus aulam; limen armatae ducis
Servent cohortes; mittat immensas opes
Exhaustus orbis; supplices dextram petant
Parthi cruentam; regna, divitias, ferant:
Veniet dies tempusque, quo reddat suis
Animam nocentem sceleribus, jugulum hostibus,
Desertus et destructus et cunctis egens.
Heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea?
Quo te furor provexit attonitum tuus
Et fata, nate, cedat ut tantis malis
Genitricis ira, quae tuo scelere occidit?
Utinam, antequam te parvulum in lucem edidi
Aluique, saevae nostra lacerassent ferae
Viscera! sine ullo scelere, sine sensu, innocens,
Meus, occidisses; junctus atque haerens mihi
Semper quietam cerneres sedem Inferûm,
Proavos, patremque, nominis magni viros;
Quos nunc pudor luctusque perpetuus manet
Ex te, nefande, meque, quae talem tuli.
Quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
Noverca, conjux, mater infelix meis?

619. Fort.: Tam. miserae; p. a. n.

645. Fort.: Ex te nefando, meque etc.

647. Fort.: infelix nimis?

## OCTAVIA, CHORUS.

**Octavia dissimulata tristitia faventem sibi populum orat, ne divortium sui lugeat. Chorus tamen ipsius vicem dolet.**

OCT. PARCITE lacrimis urbis festo a. d. et m.
Laetoque die:
Ne tantus amor nostrique favor
Principis acres suscitet iras,
Vobisque ego sim causa malorum!
Non hoc primum pectora vulnus
Mea senserunt; graviora tuli.
Dabit hic nostris finem curis
Vel morte dies. Non ego saevi
Cernere cogar conjugis ora,
Non invisos intrare mihi
Thalamos famulae;
Soror Augusti, non uxor, ero.
Absint tantum tristes poenae,
Letique metus. —
Scelerum diri, miseranda, viri,
Potes haec, demens, sperare memor?
Hos ad thalamos servata diu,
Victima tandem funesta cades.
Sed quid patrios saepe penates
Respicis udis confusa genis?
Propera tectis efferre gradus!
Linque cruentam principis aulam!
CHOR. En illuxit suspecta diu
Famâ toties jactata dies!
Cessit thalamis
Claudia diri pulsa Neronis,
Quos jam victrix Poppaea tenet,
Cessat pietas dum nostra, gravi

664. Fort.: Potes hoc clemens sper. etc.

Compressa metu, segnisque dolor.
Ubi Romani vis est populi,
Fregit claros quae saepe duces,
Dedit invictae leges patriae,
Fasces dignis civibus olim,
Jussit bellum pacemque, feras
Gentes domuit,
Captos reges carcere clausit?
Gravis, en, oculis undique nostris
Jam Poppaeae fulget imago,
Juncta Neroni!
Affligat humo violenta manus
Similes nimium vultus dominae,
Ipsámque toris detrahat altis;
Petat infestis mox et flammis
Telisque feri Principis aulam!

---

# ACTUS QUARTUS.

## NUTRIX, POPPAEA.

**Territa Poppaea nutrici narrat somnium; quam illa vana interpretatione solatur.**

NUTR. Quo trepida gressum conjugis thalamis tui i. a.
Effers, alumna, quodve secretum petis
Turbata vultu? cur genae fletu madent?
Certe petitus precibus et votis dies
Nostris refulsit, Caesari juncta es tuo
Taedâ jugali, quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecae tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris, maximum numen, Venus.
O qualis altos, quanta, pressisti toros,

699. Fort.: — decor; Nec culta Sen. trad.

Residens in aulâ! Vidit attonitus tuam
Formam Senatus, tura cum Superis dares,
Sacrasque grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput;
Et ipse lateri junctus atque haerens tuo
Sublimis inter civium laeta omina
Incessit, habitu atque ore laetitiam gerens
Princeps superbo. Talis emersam freto
Spumante Peleus conjugem accepit Thetin,
Quorum toros celebrasse Coelestes ferunt,
Pelagique numen omne consensu pari.
Quae subita vultus causa mutavit tuos?
Quid pallor iste, quid ferant lacrimae, doce,
POP. Confusa tristi proximae noctis metu
Visuque, nutrix, mente turbatâ feror,
Defecta sensu. Laeta nam postquam dies
Sideribus atris cessit, et nocti polus:
Inter Neronis juncta complexus mei
Somno resolvor; nec diu placidâ frui
Quiete licuit: visa nam thalamos meos
Celebrare turba est moesta; resolutis comis
Matres Latinae flebiles planctus dabant;
Inter tubarum saepe terribilem sonum
Sparsam cruore conjugis genitrix mei
Vultu minaci saeva quatiebat facem.
Quam dum sequor, coacta praesenti metu;
Diducta subito patuit ingenti mihi
Tellus hiatu; lata quo praeceps, toros
Cerno jugales pariter et miror meos,
In quîs resedi fessa. Venientem intuor
Comitante turbâ conjugem quondam meum,
Natumque; properat petere complexus meos
Crispinus, intermissa libare oscula:
Irrupit intra tecta cum trepidus mea,
Ensemque jugulo condidit saevum Nero,

718. Fort.: Sid. astris cessit, et n. p.

Tandem quietem magnus excussit timor;
Quatit ora et artus horridus nostros tremor,
Pulsatque pectus; continet vocem timor,
Quam nunc fides pietasque produxit tua.
Heu, quid minantur Inferûm manes mihi,
Aut quem cruorem conjugis vidi mei?
NUTR. Quaecunque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer et arcanus refert
Veloxque sensus. Conjugem, thalamos, rogos
Vidisse te miraris, amplexu novi
Haerens mariti? Sed movent laeto die
Pulsata palmis pectora, et fusae comae.
Octaviae discidia planxerunt sacros
Intra penates fratris, et patrium larem.
Fax illa, quam secuta es, Augustae manu
Praelata, clarum nomen invidiâ tibi
Partum ominatur. Inferûm sedes toros
Stabiles futuros spondet aeternae domûs.
Jugulo quod ensem condidit Princeps tuus:
Bella haud movebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum; recipe laetitiam, precor,
Timore pulso! redde te thalamis tuis!
POP. Delubra et aras petere constitui sacras,
Caesis litare victimis numen deûm,
Ut expientur noctis et somni minae,
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.
Et vota pro me suscipe, et precibus piis
Superos adora, manet ut praesens metus.

739. Fort.: cont. voc. stupor.

743. Fort.: intentus vig.

763. sequ. Fort.: Tu vota — monuit [ut p. m., vel: Sup. adorato, abeat ut p. m.

## CHORUS.

Laudat Chorus Poppaeae formam.

Si vera loquax fama Tonantis a. d.
Furta et gratos narrat amores,
Quem modo Ledae pressisse sinum
Tectum plumis pennisque ferunt;
Modo per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portasse trucem:
Quae regit, et nunc deseret astra;
Petet amplexus, Poppaea, tuos,
Quos et Ledae praeferre potest,
Et tibi, quondam cui miranti
Fulvo, Danaë, fluxit in auro.
Formam Sparte jactet alumnae
Licet, et Phrygius praemia pastor;
Vincet vultus haec Tyndaridos,
Qui moverunt horrida bella,
Phrygiaeque solo regna dedere.
Sed quis gressu ruit attonito,
Aut quid pectore portat anhelo?

## NUNCIUS, CHORUS.

Motum populi nunciat ob repudiatam Octaviam nuptiasque Poppaeae.

NUNC. Quicunque tectis miles exsultat ducis, i. s.
Defendat aulam, cui furor populi imminet!
Trepidi cohortes, ecce! Praefecti trahunt
Praesidia ad urbis; victa nec cedit metu
Concepta rabies temere, sed vires capit.
CHOR. Quis iste mentes agitat attonitas furor?

783. Fort.: Q. t. excubat miles ducis.

NUNC. Octaviae favore perculsae agmina
Nunc efferata per nefas ingens ruunt.
CHOR. Quid ausa facere, quove consilio, doce.
NUNC. Reddere penates Claudiae Divi parant,
Torosque fratris, debitam partem imperi.
CHOR. Quos jam tenet Poppaea concordi fide?
NUNC. Hic urit animos pertinax nimium favor,
Et in furorem temere praecipites agit.
Quaecunque claro marmore effigies stetit
Aut aere fulgens, ora Poppaeae gerens,
Afflicta vulgi manibus, et saevo jacet
Eversa ferro; membra per partes trahunt
Deducta laqueis; obruunt turpi diu
Calcata coeno. Verba conveniunt feris
Immixta factis, quae timor recipit meus.
Sepire flammis Principis sedem parant
Populi, nisi irae conjugem dedat novam,
Reddat penates Claudiae victus suos.
Ut noscat ipse civium motus, meâ
Voce haud morabor jussa Praefecti exequi.
CHOR. Quid fera frustra bella movetis? a. d.
Invicta gerit tela Cupido.
Flammis vestros obruet ignes,
Quibus extinxit fulmina saepe,
Captumque Jovem coelo traxit.
Laesi tristes dabitis poenas
Sanguine vestro: non est patiens
Fervidus irae facilisque regi.
Ille ferocem jussit Achillem
Pulsare lyram; fregit Danaos,
Fregit Atridem; regna evertit
Priami; claras diruit urbes;
Et nunc animus, quid ferat, horret,
Vis immitis violenta dei.

792. Fort.: Claudiae (di!) vi parant etc.
803. recipit. Fort.: reticet.

# ACTUS QUINTUS.

## NERO, PRAEFECTUS.

**Aestuans irâ Nero propter tumultum populi in ipsum saeviri jubet, et Octaviam veluti motûs causam, deportatam in Pandatariam, interfici.**

NERO. O LENTA nimium militis nostri manus, 1. s.
Et ira patiens post nefas tantum mea,
Quod non cruor civilis accensas faces
Extinguit in nos, caede nec populi madet
Funerea Roma, quae viros tales tulit!
Admissa sed jam morte puniri parum est:
Graviora meruit impium plebis scelus;
At illa, cui me civium subicit furor,
Suspecta conjux et soror semper mihi,
Tandem dolori spiritum reddat meo,
Iramque nostram sanguine extinguat suo;
Mox tecta flammis concidant urbis meis;
Ignes, ruinae, noxium populum premant,
Turpisque egestas, saeva cum luctu fames.
Exsultat ingens seculi nostri bonis
Corrupta turba, nec capit clementiam
Ingrata nostram, ferre nec pacem potest;
Sed inquietâ rapitur hinc audaciâ,
Hinc temeritate fertur in praeceps suâ.
Malis domanda est, et gravi semper jugo
Premenda: ne quid simile tentare audeat,
Contraque sanctos conjugis vultus meae
Attollere oculos. Fracta per poenas metu
Parere discet Principis nutu sui.

831. Fort.: semper nimis.

833. suo. Fort.: fero.

Sed adesse cerno, rara quem pietas virum
Fidesque castris nota praeposuit meis.
PRAEF. Populi furorem caede paucorum, diu
Qui restiterunt temere, compressum affero.
NERO. Et hoc sat est? sic miles audisti ducem?
Compescis? haec vindicta debetur mihi?
PRAEF. Cecidere motûs impii ferro duces.
NERO. Quid illa turba, petere quae flammis meos
Ausa est penates; Principi legem dare;
Abstrahere nostris conjugem caram toris;
Violare, quantum licuit, incestâ manu
Et voce dirâ? debitâ poenâ vacat?
PRAEF. Poenam dolor constituet in cives tuos?
NERO. Constituet, aetas nulla quam famae eximat.
PRAEF. Quam temperet non ira, non noster timor?
NERO. Iram expiabit prima quae meruit meam.
PRAEF. Quam poscat, ede: nostra ne parcat manus.
NERO. Caedem sororis poscit et dirum caput.
PRAEF. Horrore victum trepidus adstrinxit rigor.
NERO. Parere dubitas. PRAEF. Cur meam damnas fidem?
NERO. Quod parcis hosti. PRAEF. Femina hoc nomen capit?
NERO. Si scelera cepit. PRAEF. Estne, qui sontem arguat?
NERO. Populi furor. PRAEF. Quis regere dementes valet?
NERO. Qui concitare potuit. PRAEF. Haud quenquam reor.
NERO. Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis;
Sed vim negavit: ut ne inexpugnabilis
Esset, sed aegras frangeret vires timor,
Vel poena; quae jam sera damnatam premit,

851. Fort.: Et satis hoc est? S. m. a. d.? Cur parcis? haec etc.
865. Fort.: vinctum.

Diu nocentem. Tolle consilium ac preces,
Et imperata perage: devectam rate
Procul in remotum littus interimi jube:
Tandem ut residat pectoris nostri tumor.

## CHORUS, OCTAVIA.

**Chorus perniciosum multis favorem populi fuisse canit; mox dura fata mulierum domus Caesareae commemorat.**

CHOR. O FUNESTUS multis populi a. d. et m.
Dirusque favor, qui cum flatu
Vela secundo ratis implevit,
Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto saevoque mari!
Flevit Gracchos miseranda parens,
Perdidit ingens quos plebis amor
Nimiusque favor genere illustres,
Pietate, fide, linguâ claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoque, Livi, simili leto
Fortuna dedit,
Quem neque fasces texere sui,
Nec tecta domûs. Plura referre
Prohibet praesens exempla dolor.
Modo cui patriam reddere cives
Aulam et fratris voluere toros,
Nunc ad poenam letumque trahi
Flentem, miseram, cernere possunt.
Bene paupertas humili tecto
Contenta latet:
Quatiunt altas saepe procellae,
Aut evertit Fortuna domos.
OCT. Quo me trahitis? quodve tyrannus
Aut exilium regina jubet,

902. Fort.: Atque evertit.

Si mihi vitam fracta remittit
Tot jam nostris et victa malis?
Si caede meâ cumulare parat
Luctus nostros: invidet etiam
Cur in patriâ mihi saeva mori?
Sed jam spes est nulla salutis:
Fratris cerno miseranda ratem.
Haec est, cujus vecta carinâ
Quondam genitrix, nunc et thalamis
Expulsa soror miseranda vehar.
Nullum Pietas nunc numen habet,
Nec sunt Superi;
Regnat mundo tristis Erinnys.
Quis mea digne deflere potest
Mala? quae lacrimis nostris questus
Reddet aëdon? cujus pennas
Utinam miserae mihi Fata darent!
Fugerem luctus ablata meos
Pennâ volucri, procul et coetus
Hominum tristes, caedemque feram.
Sola in vacuo nemore, et tenui
Ramo pendens, querulo possem
Gutture moestum fundere murmur.
CHOR. Regitur fatis mortale genus,
Nec sibi quidquam spondere potest
Firmum et stabile:
Per quae casus volvit varios
Semper nobis metuenda dies.
Animum firment exempla tuum,
Jam multa domus quae vestra tulit.

920. Fort.: Reddat.

929. Fort.:

N. s. quisquam sp. pot.
Firmam et stabilem Parcam; casus
Volvit varios
Semper etc.

Quid saevior est Fortuna tibi?
Tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippae, nurus Augusti,
Caesaris uxor, cujus nomen
Clarum toto fulsit in orbe,
Utero toties enixa gravi
Pignora pacis; mox exilium,
Verbera, saevas passa catenas,
Funera, luctus, tandem letum,
Cruciata diu.
Felix thalamis Livia Drusi
Natisque ferum ruit in facinus
Poenamque suam.
Julia, matris fata secuta,
Post longa tamen tempora ferro
Caesa est, quamvis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quae rexit Principis aulam,
Cara marito, partuque potens?
Eadem, famulo subjecta suo,
Cecidit diri militis ense.
Quid, cui licuit regnum in coelum
Sperare, parens tanta Neronis?
Non funestâ violata manu
Remigis ante,
Mox et ferro lacerata diu,
Saevi jacuit victima nati?
OCT. Me quoque tristes mittit ad Umbras
Ferus et Manes, ecce, tyrannus!
Quid jam frustra miseranda moror?
Rapite ad letum,
Quibus in nos jus Fortuna dedit!
Testor Superos — Quid agis, demens?

935. Fort.: Qui saevior etc.
944. Fort.: Vulnera, luctus etc.

Parce precari, quibus invisa es,
Numina divûm! Tartara testor,
Erebique deas scelerum ultrices,
Et te, genitor, dignum tali
Morte et poenâ,
Non invisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date vela fretis,
Ventisque petat puppis rector
Pandatariae littora terrae!
CHOR. Lenes aurae, zephyrique leves,
Tectam quondam nube aetheriâ
Qui vexistis raptam saevae
Virginis aris Iphigeniam,
Hanc quoque tristi procul a poenâ
Portate, precor, templa ad Triviae!
Urbe est nostrâ mitior Aulis,
Et Taurorum barbara tellus:
Hospitis illic caede litatur
Numen Superûm;
Civis gaudet Roma cruore.

---

F. H. BOTHII,

D. PHIL. ET AA. LL. M., ARCHIDUCALI, QUAE JENAE EST, SOCIETATI LAT., ITEM TEUTONICAE BEROLINENSIUM, HON. C. ADSCRIPTI,

# ANNOTATIONUM

IN

# L. ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAS

VOLUMEN TERTIUM,

SIVE ANNOTATIONES

IN MEDEAM, AGAMEMNONEM, HERCULEM OETAEUM, ET INCERTI AUCTORIS OCTAVIAM.

# ANNOTATIONES
## IN MEDEAM.

Versu 1. *di*, id est dî, conspicitur in Aldi libro, in ceteris fere *dii*, quemadmodum et alibi *diis*, *abiit*, ubi opus est contractis duabus i litteris, ut versus stent rectis talis. Quod semel monendum duxi. Vidd. Lipsius infra ad 248, nos ad Hercul. fur. 49.

8. *quosque*. Fern. et Caj.: *quoque*, unde suspiceris legendum *quaeque*, quia sequuntur nomina duo neutra. Sed nihil muto. Mox Flor.: *Nunc*, *nunc adeste sceleris*, quae est διττογραφία.

19. Vulgo:

Mihi pejus aliquid, quod precer sponso malum:
Vivat.

Affectus locus: nam recte monet Gronovius, pessimi ominis esse ita conceptas preces: *date mihi malum*, neque haec expediri intelligendo *est* in verbis *Mihi pejus aliquid*, ut placet Grutero. Ceterum quae ipsi in mentem veniebant, haec, *Me pejus aliquid*, *Nisi pejus aliquid. Quod precer sponso malum?* denique *Me pejus aliud quod precer sp. m.*, non magis nobis videntur probanda esse. Legendum censeo:

*In* pejus aliquid, quod precor sponso malum,
Vivat: per urbes erret ignotas egens,
Exul, pavens etc.

Id est: Sponsus, Iason, *vivat* in aliquid pejus, quod malum ei precor: erret per urbes etc. vivat in pejus morte exilium; quomodo *in* finem actionis significare solet, et apud Hunc ipsum habes *in arma* Phoen. 284, *in* bella Herc. fur. 779. Compendium ut centies alibi, ita et hic turbasse puto, cum τὸ *in* haberent pro m', id est *mihi*. Flor. et Fern. *aliquid* et in fine versus signum interrogandi, *aliquid* etiam Caj. et Ascensiana. Ceterum Fern. et Caj.: *quid precor*, quorum hoc rectum est. Ald. *aliquod*, per se se non male, sed κακόφωνον aliquod, quod. Jacobus Gron. in schedis Dietz. de verbo *pejus* conferri jubet Thyest. 4, Oedip. 262, Herc. Oet. 77.

24. *liberos.* Intelligendum e superioribus *expetat.* Cui non in mentem veniat haec legenti nobilissimae fabulae, quam de rege Leario, ad filias frustra confugiente, scripsit Shakspearius?

25. *Parta jam, parta ultio est: Peperi.* Cf. locum simillimum, qui est Oedip. 864. Certum putat, Iasonem punitum iri per ipsos liberos, quos ex se susceperit, utriusque parentis similes, id est sceleratos. Quare addit *Querelas verbaque incassum sero,* tanquam ea, quae non habeat quod amplius queratur et verba faciat, postquam hoc repererit. Quod illa ipsa *parta jam, parta ultio est* inanes querelas censet Gronovius, fugit eum ratio. In hoc igitur cogitato cum acquiescere videretur mulier, et votis defungi: jam se revocans: Quid hoc est? inquit. *Non ibo in hostes?* etc.

35. Vulgo *littori.* Sed recte Gronovius: „Videtur scribendum *littore:* non enim littori opponit moras Corinthus, sed per littus utrumque mari." Et de toto loco: „Aliquid desidero in interpretibus: sic enim loquuntur, quasi directo Medea innuat intelligatque medicatum ignem et incantationes et liberos occidendos. At ars est Poëtae jubentis eam adhuc ignaram imprudentemque et necdum intelligentem, quid ominetur, praesagire et turbatam dictitare, quod futuris ejus consiliis congruit, etsi nondum ipsa verbis hos sensus imponat. Nam currus petit, non tanquam abducturos se post scelus peractum, sed, quasi Phaëthon orbem terrarum, Corinthon et Isthmum crematura. At versu 39. intelligit: Restat, ut ego quoque his nuptiis aliquid solennitatis addam et efficiam, ut sint celebriores meâ vindictâ. Denique *per viscera quaere supplicio viam* est: vel peri, dum perdas. Ut Clytaemnestra in Agamemnone: *per tuum, si aliter nequit, Latus exigatur ensis, et perimat duos.* Tantum intelligit persona, quae loquitur. Sed Poëta, observans vim naturae et animi in praesagiendo, quod instat, ejusmodi verbis hanc mentem ejus explicat, quae etiam significare possint, quod illa, postquam deliberaverit, et explorata habebit consilia, peractura est."

83, 84. Eo ordine hi versus leguntur in omnibus codd., tam scriptis, quam impressis; quem ordinem cum nullâ de causâ mutatum cuperet Delrius, ut legeretur

Si formâ velit adspici,
Cedent Aesonio duci,

ne recte quidem verba ejus intelligentem traxit Gronovium, cum praesertim sic legi in Florentino perperam existimaret.

92. Lipsianus: *Vir longe ut superat viros.* Sed recte Gron.: „Laudavit prius virginem eminentem inter virgines, sponsum inter

pulcros; nunc optat illam pariter excellere inter matronas, hunc inter maritos: hoc est, ut Crëusa Iasoni sit probatissima uxor, Iason Crëusae indulgentissimus maritus."

115. *fugitura.* Sic quidam Delriani, merito probante viro summo, quia *fugitivi* fere dicuntur servi, liberi *profugi* in pari facto. Vulgo: *fugitiva.* Cf. infra 1?? seqq., 272, 451, 494, 881. Agam. 122. Herc. Oet. 743.

129. Malim sane: Nunc est *patrandum.* Vid. infra ad 912.

135. Pall. quoque et Caj. Ascens.: *et* nullum. Mox *munus suum* vocat Iasonis vitam ab se servatam, neque hilum novandum est, ut volunt viri summi. 161. Fern. et Caj.: *Nusquam.*

180. Ita vett. edd.: nam vulgo haec interrogantur, praeter necessitatem. Cruserianus MS.: *re*portat, ut *re*cedens infra 282, monente Isacio Pontano. 190. non *via*, ut vulgo, sed *fuga* est in Florentino, ut monet Jacobus Gron. in schedis Dietz. Recte, et ex more Nostri, cujus moris ignari alterum subdiderint. Vid. J. F. Gron. ad Thyest. 629, 1042, Herc. Oet. 140. Sequente versu Fabricii MS.: Monstrum *superbum*, horribile. 197. *ferat:* auferat, avehat. Simplex pro composito. Virgilius: Omnia *fert* aetas. Lucanus 2, 461: dubiamque fidem fortuna *ferebat.*

201. Gron.: „Cur," inquit, „*auditus a te?* Neque enim periit Pelia, quia auditus est a Medea, sed quia audiit Medeam, et supplicem recepit. Utrum igitur *Auditor*? Apollonius Rhodius lib. 4. ad Apollin.: τύνη δὲ κατ' οὐρανὸν ἵκεο πέτρας Ῥίμφα Μελαντίους ἀρίηκοος. An *Auditus* vult, ipsum Pelian orantem, ut sibi mutaret aetatem Medea, ab eâ audiri et ab exoratâ simulate interfectum. Hoc non dicit fabula, sed ipsam quasi supplicem audisse ac suscepisse. Numquid: *Audiit, et a te Pelia supplicium tulit.*" *Hi motus animorum atque haec exordia tanta Pulveris exigui jactu compressa quiescent.* Ascensianam edit. inspexisset vir doctissimus, nihil mutandum esse intellexisset: nam ibi haec est interrogatio, ut esse debet. Audiri vult Medea. Cui Creon: Num tu audisti Pelian, antequam punires? Sic interpretando V. D. anonym. in Obss. misc. T. 1. p. 75 difficultates a Gron. motas repulit, per ironiam: quasi tu audieris Pelian pro se dicentem, antequam interficeres. Nihil planius.

226. *gloriae florem.* Sic Flor., nonnulli Pall. et Delr., Bernard., quomodo alii: *florem dignitatis, florem ingenii* etc. Vid. Phil. Pareï Lexic. Plautin. v. *Flos vini veteris.* Quod vulgo legitur, *Graeciae florem*, et ipsum quidem auctoritate non caret veterum librorum, neque per se malum est, sed debilius altero, et sequitur *Praesidia Achivae gentis.* Mox recte Nicol. Heinsius: *Geminique* munus, non *Geminumque*, ut vulgo; edd. autem Fern.

Caj. Bad.: *meum*, *Satique*, excluso verbo substantivo. 246. Ascens.: *Creon*, non *Creo*, ut ceteri. Vid. ad Thyest. 783.

248. *praesidis dextrae*: dextrae regiae, Creontis. Flor.: *dextra*, quod recte explicat Gron. Sed alterum concinnius. Avantius cum non meminisset eorum, de quibus nos ad Herc. fur. 49, verba sibi transponenda existimavit in hunc modum:

Petiique supplex praesidis dextrae fidem.

Quem certatim alii secuti. Statim Flor.: *Terram miseriis*, et paulo post: *violentus*, quod exquisitius vulgato *violenter*.

267. Vulgo: *Cui feminea nequitia*, pravo accentu τοῦ *feminea* (*féminéa* pro *féminea*).*) Vel transponenda verba, vel legendum: Cui *feminae* nequitia. Hippol. 560: Sed dux malorum *femina*. Et 571:

— ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem,
— — — —
Quam victus animum *feminae* mitem geram.

277. vett. edd. *rapinas*, non *rapinasque*. Sequente versu libri:

Lacerumque fratrem, quidquid etiamnum novas
Docet maritus conjuges; non est meum.

Sed quid sibi volunt verba *quidquid etiamnum novas docet maritus conjuges?* Explicant, qui omnia explicant: „quibus nunc Creüsam, me olim, malis praeceptis imbuit.“ Iterum quaero: quid hoc sibi vult? Quibusnam praeceptis malis Medeam Iason imbuit? quibusnam imbuturus est Creüsam? Et fac, imbuere, quomodo id imputari potest Medeae, ut illi excusandum sit (*non est meum*)? Nugae maximae. Legendum sine controversiâ: quidquid etiamnum *novus* Docet maritus conjuges. Dicit Medea, neque Peliae necem, neque suam ipsius fugam, rapinas, desertum patrem, dilaceratum fratrem Absyrtum, et quidquid etiam nunc novus maritus, Iason, doceat conjuges, id est, ad quodcunque novum scelus admittendum se, Medeam, exstimulet vir perfidus, omnia ista non esse sua facinora, neque sibi imputanda. Cf. Herc. Oet. 440. *Novus maritus*, ut Plauti Cas. 700 nostrae edit., et passim. Saepissime u et a litterae confusae. Pluralis numerus usurpatus pro singulari, figurâ notissimâ. Quanquam et datâ operâ sic loqui videatur mulier, ut de omnibus conjugibus dicta putet Creon, quae ad solam Medeam pertinent, minaciora illa quidem, quam quae ferantur sine verborum aliquo involucro.

*) Etiam Herc. Oet. 1794 ita peccasse Seneca videtur, si vera est lectio vulgata haec: Pellex superstes, *súpplicià* de quâ expetat. Sed vid. ibi nos.

293. Libri:

*Parumne miserae temporis lacrimis negas?*

quod ne latinum quidem est: nam *Parum* significat *Non satis*. Res nota. Similiter Herc. Oet. 812, ne numeris quidem rectis: *parum sui* Poenae reliquit; ubi liber quidam Delrii: *paulum*; sed rectius Flor.: *parvum* sui.

308. Libri: *ducto*; nec dubium, quin dici possit *ducere limitem*, ut *ducere iter* Thyest. 785. Sed minus id sententiae convenit: nam limitem aliquem valde gracilem ductum esse inter vitae mortisque vias, quid id ad nautam primum, nisi is eo limine *ducatur?* Nam poterat eum limitem non ingredi, poterat e longinquo tutus adspicere, memor istorum Lucretii:

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
*E terrâ* magnum alterius spectare laborem.

Sed sane tam angustâ eum et periculosâ viâ incessisse dicit Noster. Legendum igitur *ductus*, cujus verbi compendium, τῷ *ducto* non dissimile, fraudi fuerit librariis. Virgilius Aen. 9, 324: *lato te limite ducam*. Infra 340 de Argo: Per tam longos *ducta* timores.

313. *lumina*. Ita Flor., cum vulgo τὸ *sidera* denuo inculcent. Idem codex et Lipsianus Mog. et pars Palatinorum sequente versu loco τοῦ *flectitque* habet *defletque*, quod fortasse ortum, p litterâ versâ, ex *pellitque*. Cic. in Arateïs:

Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adjunctam prae se *quatit* Arcton.

330. *piger*. Id est pigro, raro, et in sequentibus *Patrioque* positum pro *Sed patrio*, ut usurpari in utrâque linguâ solet conjunctio. Vid. J. M. Heusinger. ad Corn. Nepot. 4, 3, 7 et Phaedri fab. 1, 3, 2. Fallitur interpres. Mox quod praeferunt libri: *spargeret astra Nubesque ipsas mare deprensum*, vix caret vitio; nam si *astra* sparsit mare, quidni *nubes?* Et ut istas quoque commemorare voluerit poëta, cur dicit *ipsas* nubes, quasi plus sit nubes spargere, quam astra, cum contra sit? His inductus ego rationibus reponam *Rupesque* ipsas, id est ipsas insulas Cyaneas, quas *scopulos* vocat infra 611, et de quibus Herc. fur. 1212:

— — cumque revocatâ vice
In se coëunt, *saxaque* in coelum exprimont
Actis utrinque *rupibus* medium mare.

Saepe r et n, p et b litterae sibi invicem offecerunt; ipsaque vox *rupes* non semel depravata est, velut Ovid. Met. 13, 868, ubi vid. Nic. Heinsius.

409. *quaeve*. Sic Flor., ut animadvertit Jac. Gron. in schedis Dictt.: nam vulgo *quaeque*, errore frequentissimo. Idem liber 423.

non *Datus*, sed *Datus est*, quo numeri eriguntur. Contra Fern. 419: *Adire certe*, *conjugem*, quod efficacius vulgato *Adire certe*, *et conjugem*. 410. quod nunc habent libri, *fervescit*, a Lipsio invectum est, cum in veteribus legeretur *fervebit*, et recte, cum in re futurâ, ut interpretari possis quae Aetna unquam tantis fervebit minis, quantis ego fervebo? tum quia sic interdum usurpari videtur futurum pro praesenti, ut monui in Lectionibus Aristoph. pag. 86, et ad Plauti Cas. 230, Epid. 293, Mil. 395. Sequente versu *mare* cum opponatur Ponto Euxino, interpretaberis mare mediterraneum. Vid. J. H. Vossius ad Ovidii Met. 1, 14, in Vindiciis nostris Ovidianis.

433. Sic Flor., non *malam*, ut vulgo, quo servato indecore hiare orationem observat Gron. Idem liber sequente versu *quoties*, ubi ceteri *toties*, quod minus aptum. Sed statim quod habet *Non timor vincit fidem*, recte ingratam repetitionem carpit vir doctissimus. Ceterum aliquot codd. Delr.: *vicit*, probante quidem Raphelengio; sed Gruterus: „Mihi," inquit, „istud placet: ut ostendat se non tantum eo animo dudum, sed etiam nunc." Quanquam sic et infra: Gnati patrem *vicere*. Ibi igitur se victum dicit Iason, hic vinci; quod non placet, siquidem eodem haec tempore aguntur.

456. Flor., ut legendum conjecerat Scal.: *Nobilem regum manum*, sono insuavi. Gronovius: „Fingebam in illo *nobiles regum manus* aliquid magis conveniens. Argonautis: nam manuariam operam praestabant ipsi reges, remigum officio fungendo. *Manus* autem dici ministros notavimus ad Statii Silvas." Affectatum tamen hoc videtur, ut potius pluralem numerum pro singulari usurpatum existimem.

466. Quidam Delr. et Fern. Caj. Ascens.: O ingratum, synaloephe Plauto atque Terentio minime insuetâ, ut monuimus ad horum Bacch. 716 et Andr. 373. In Nostro nondum reperi, malimque per ironiam: *O gratum* caput, ut *o justissime divûm* apud Statium Theb. 1, 250. Mox quod habent Gron., Schroeder. et qui hos sequuntur, servum imitatorum pecus: *Jussaque*, nihil videtur nisi vitium operarum. Quidquid est librorum scriptorum et impressorum paulo vetustiorum (ne Delrii quidem et Scriverii exceptis):

> *Jussatque* natas, fraude deceptas meâ,
> Secare membra non revicturi senis.

Neque aliter haec intelligantur.

485. *agunt*. Sic Flor., monente Jac. Gronovio in schedis Dietz., qui laudat simile illud Herc. fur. 233: *acta* est praeda ab occasu ultimo, cui loco addas licet Agam. 835. 508. reduxi παρόμοιον *Abdico*, *abjuro*, *abnuo*, quod efficacius Palatino isto *Abdi-*

*eo*, *ejuro*, *abnuo*, legiturque in Fabriciano et Delrianis libris et edd. vett., suspicor etiam in Flor. ceterisque Gronovii. Statim Flor., teste Jac. Gronovio ubi supra: *Ne veniat unquam* etc., *μὴ γένοιτο*: nam vulgo: *Non veniat*.

516. *Pro me? Vel scelus.* Euripides Orest. 644: λαβεῖν χρὴ μ' ἀντὶ τοῦδε τοῦ κακοῦ Ἄδικόν τι παρὰ σοῦ.

518. Locus corruptus. Et libri quidem fere *confligere*, Ald.: *conflige*; unde Gronovius: *nos confligere inter nos sine.* Sed hoc ambiguum, ut in quo et Medeae cum Iasone nescio quod certamen intelligas. Nec tamen melius quidquam ex istâ lectione erui posse puto; nisi forte hoc malis, quod aliquando in mentem veniebat: *Nos confligere*, *et inermas*, *sine*, id est: et quidem inermas, solâ vi incantationum. Nam quae alii: *neu conflige*, *nos conligere*, *nos confligere certamen sine* etc. cuinam placeant? Videndum igitur de Palatinorum unius codicum MSS. et quorundam typis descriptorum lectione *confugere*, quae lectio primo statim adspectu placet, nisi quod in praepositione erratum esse manifestum est. Legam equidem vel: *Nosne* (aut *Nos*) *aufugere*? vel *Nos*, *nos fugere?* quae sunt indignantis, ut, quod infra legitur 881: *Egon' ut recedam?* Virgilius primâ Aeneïde: *Mene incepto desistere victam?* Quodsi cui posterius horum placebit, is altero NOC forte verso exortum dicat CON, quomodo errari nonnunquam in libris vett. monui in Vindiciis Ovid. ad Met. 15, 364. Sed prius quoque bene se habet, neque vulgatae scripturae valde est dissimile. Ne dicam, fieri potuisse, *aufligere* scriptum forte pro *aufugere*, cum sensu cassum esset, neque conveniret *affligere*, ut etiam datâ operâ mutaretur, scribereturque non a librario, sed a correctore, *confligere*.

521. Sic editio Fernandi; et recte. Vulgo: *intra*, quam lectionem declarans Gronovius: „Ipsa," inquit, „apud Ovidium: *Maximus intra me deus est.* Sed hic *deus* Cupido. Senecae autem videtur, ut Floro, *intra esse* idem quod minorem esse." Atqui hoc est *infra* esse, non *intra*. Terentius Eun. 3, 2, 36: Quem ego *infra* esse infimos omnes puto Homines, et sic passim. Mox Flor., teste Jacobo Gron. in schedis Dietz.: gemina si bella *ingravant*, et 528.: adice *et* aetem, ubi vulgo, omissâ copulâ: adjice Aeeten, cum praecesserit eodem versu *adice*, quod sane ingratum, observante Jacobo. *Et Aeeten* significat *etiam Aeeten*, *ipsum Aeeten*, patrem meum. *Adice* utrobique etiam vett. edd., in his Fern. et Cajet., de quâ contractione vidd. Delr. supra ad 471, nos ad Phoen. 426.

535. Vulgo, secundum Flor.:

Nec diligenti tela librentur manu.
Vel me vel istum: quisquis etc.

Vett. edd.: manu: *In me, vel istum* (Fern. ictum); Ascens. autem *de*ligenti, rectissime quidem, quod referas ad verba *Vel me, vel istum*, deletâ interpunctione post *manu*, quae interpunctio fucum fecit Gronovio, ut mutatam prae irâ orationem existimaret, intelligendumque *feri*. Corrigam in transcursu Tibulli locum in Sulpiciae epist. 9, qui itidem male interpunctus scriptusque est in vulgatis libris. Epistola sic legenda, nisi fallor:

Gratum est, securus multum quod jam tibi de me
Permittis: subito ne male inepta cadam.
Si tibi cura toga est potior, pressumque quasillo
Scortum, quam Servi filia Sulpicia:
Solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris,
Ne cedam ignoto, maxima causa, toro.

De me: quod ad me attinet. Nec mutandum *Permittis*. Multum de Sulpiciâ permittere sibi dicitur Cerinthus, qui multum in eam audet. Denique illi *solliciti* sunt parentes Sulpiciae, qui timent, ne ignoti, id est Graeculi nec divitis nec gratiosi, praeda fiat Sulpicia; qui timor illis non *cura*, sed *causa*, maxima doloris.

554. *Gratum est et illud.* Et hoc sibi gratum fore dicit, ultimum certe amplecti liberos, cum comitari se in fugâ non debeant; id quod prius rogavit. Nescio, quid argutentur viri docti. Mox Flor., teste Jacobo Gronovio in schedis Dietz.: *Melioris tibi Memoria nostri sedeat*, cum vulgo legatur *subeat*, quod ita constructum nescio an non sit latinum: nam aut dicendum erat *Memoria melioris nostri*, id est *mei*, *subeat*, aut: M. m. n. *te subeat*, vel *animum tuum*. *) Illud *sedeat* et elegans est, et poëtarum aliorumque scriptorum usu tam tritum, quam quod tritissimum. 568. idem codex, referente ibidem Jacobo, item Mogunt. et vett. edd., in his Herbipol., Fern. et Venetae:

Quidquid *potest*, Medea, quidquid non *potest*.

id est: Quidquid fieri vel potest, vel non potest. Vidd. Douza Centurion. 1, 15, nos ad Plauti Aul. 341. Vulgo, errore frequentissimo: Q. *potes*, M., q. n. *potes*.

579. cf. Hermann. De metris III, 16. p. 685. ed. II.

600. *agitare.* MSS. quidam Delrii: *rogitare*. Mox Gruterus ex aliquot suis: *Nec sancti, violente, mundi Foedera sancta.*

---

*) Memini Propertiani (Eleg. 3, 17, 14) *Quae voluit liquido tota subire deo.* Sed ibi quoque vitium subesse puto, legendumque *liquidam deum*.

Sed Gron.: „Multo," inquit, „major venustas in Florentino *Rumpe nec sacro, violente, sancta Foedera mundi*, per diaeresin pudenter audacem." 620. Moguntiacus codex, qui inter praestantissimos: Littore *extremo*, non *externo*, ut vulgo, quemadmodum *exterior orbis* et *extremum coelum atque ultimum mundi* leguntur apud Ciceronem, similiaque passim apud alios. *Externo* littore occidisse, qui *procul a paternis regnis*, per se intelligitur.

623. Gronovius, defendens poëtam contra Dan. Heinsium, vehementer hic turbantem: „Aulis," inquit, „ex quo morata est Graecos Trojam petentes, infamatur pro malâ statione navium. Lucanus lib. 5.: *ad iniquam classibus Aulin.* Id fingit eleganter non tum primo contraxisse crimen illum portum, sed statim post expeditionem Argonautarum, quod inter illos regem suum navigantem perdiderit; sive ille designetur Tiphys (nam hujus quoque agnoscit *paterna regna*), sive Erginus: uterque enim Boeotus, et in Boeotiâ Aulis. Neque quaerendum, an aliquis prodiderit, ob regis Orchomenii vel Boeoti mortem detentum fuisse Agamemnonem. Hujusmodi enim causas fingere poëtae cuivis licet; atque hoc est illud concessum vatibus laudatumque παραλογίζεσθαι."

637. Sapphicus soluto spondeo. Vid. ad Oedip. 412. 650. expressimus Florentinum, prae cujus lectione sordet vulgata haec:

Raptus est tutas puer inter undas.

Mox *peragrate* Mog., et *Idmonen*, non *Idmonem*, habet Ferr., de quâ scripturâ vide ad Thyest. 783. 654. item descriptus secundum Flor.: nam vulgo legitur: *Condidit serpens.* Libycis etc. Gron.: „Mopsus," inquit, „condidit Idmonem; ipse tabifici sepis venenato ictu in Libyâ concidit, et pro deo habitus. Apulejus de deo Socratis: *ut in Boeotiâ Amphiaraus, in Africâ Mopsus.* Schol. Lycophr. p. 143. Quod in communi Argonautarum luctu Idmonem potissimum Mopsus condidisse dicitur, ejus erga symmysten et pio maxime et grato manibus officio datur. Sic et apud Valerium Flaccum *flens arma revellit Idmonis e celsâ Mopsus rate.* Ipsum autem in Libyâ ὑπὸ ὄφεος δηχθέντα periisse passim tradunt. Quod sequitur, *caruitque Thebis*, significat interfuisse Mopsi, ut Thebis potius obiret quam alibi. Hoc non convenit Mopso Ampyci et Chloridos filio, Titaresio, Argonautae, sed alteri Mopso Apollinis et Mantûs filio, Tiresiae Thebani nepoti, qui in Ciciliâ sedes et mortem invenit. Hic Senecae accidit, quod aliis, qui duas Scyllas, duos Cygnos, duas Atalantas, binos Philippos miscent, et de alteris tradunt, quod de alteris verius est. Similiter in Mopsis erravit Ammianus lib. 14. Vide ad utrumque locum

Cl. Valesium." Ceterum *bene novisse fata* sua dicitur Idmon, utpote edoctus a vate et amico, Mopso.

658. Vehementer Gruterum collaudat Gronovius, quod reposuerit *errabit*, *cadet* pro vulgatis ante se *erravit*, *cadit*. At praeterquam quod cujusvis errat hoc videre, ubi res dicerentur vaticinatione quidem declaratae, sed nondum ad exitum perductae: sic plane Aldus; id quod et ipse nescivit et Gruterus, ut illam editionem fere neglexerunt viri doctissimi et Delrius. Sed neque Ascensii satis adhibuisse Gron. videtur; alioqui non dubitaret, ubi legeretur *Ille qui* pro *Ille si*, quam lectionem habent ceterae edd. vett., sed priorem illam Badiana.

661. Metri genus, alibi quidem Nostro usurpatum, velut Oedip. 489, ubi vide annotata, sed varii moduli versibus immixtum, cum hic inter meros sapphicos solum conspiciatur; id quod non ferendum. Atqui ecce! Ascensius:

*Crimini pendens patrio pependit.*

Aldus quoque et unus Palat.: *Patrio*. Gron.: *Crimini poenas patrio rependet*, cum vellet, opinor, *Criminis patrii*. Legendum videtur:

Crimine et poenas patrio rependet
Fulmine ac ponto moriens Oïleus.

Id est: ob crimen patrium, seu patris. Scriptum *Patrioque pendet* pro *Patrio rependet*, ut in Tibullo *E lucoque vehit* pro *E luco revehit*. Vidd. ibi interpretes, nos ad Hippol. 882, 909.

662. *Oïleus*. Id est Oïleï filius, Ajax Locrus; neque hilum mutandum, ut praeclare ostendit Gron. Alius in hoc genere Graecorum loquendi mos, alius Romanorum. Virgilius Aen. 1, 41:

Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei:

nam is quoque haud dubie voluit Ajacem Oileum, non Oïleï, dure compositis duobus duorum nominum genitivis.

681. Gron.: „Qui orabant ad aras Superûm, dextram solebant illis imponere. Ovidius:

Tange manu mensam, tangunt quo more precantes.

Inde finxit scite in scelesto sacro Medeam non dextram, sed sinistram arae imponere ad precandos scilicet tristes ac laevos deos. Oedip. 564: *fundit et Bacchum manu Laeva.* Stat. 4. Thebaïd.:

Laevaque convulsae dedimus carchesia terrae."

Sic Agam. 392: *Delubra et aras coelitum Supplex adoro.* Et ibid. 792: *Veneremur aras.* Ovidius Fast. 3, 881:

Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana salus, araque Pacis erit.

Quae loca protulit Clar. Schroederus, dum pro vulgatâ librorum lectione *complicans* temere propugnat.

687. *saeva.* Sic Flor., et recte. Ceteri fere MSS. et cusi: *sera*, quod *annosa* interpretatur Gronovius, ut dicuntur quidem *serior aetas* et *seri anni* apud Tibullum et Ovidium; sed *seram* serpentem vel eam dicas, quae sero advenit, vel quae sero seu recens nata est; quorum illud a sententiâ loci alienum est, hoc minus solitum neque id, quod lectioni Etruscae anteponas. Sane non effoetâ serpente hic opus erat, sed vegetâ et viri plenâ. Mox libri: *Jam nunc tempus est*, sed Flor.: *Jam tempus est*, omissâ voce repetendâ, ut vidit Gron. Vid. ad Agam. 860.

702.

Et hydra, et omnis redeat Herculeâ manu
Succisa serpens, caede se reparans suâ.

Gron.: „Haec," inquit, „non intelligenda de Hesperidum custode, neque de illis, quos infans elisit Hercules, ostendit sequenti versu adjectum: *caede se reparans novâ* (Imo: *suâ.*), quod de solâ Hydrâ verum est, cujus et centum dracones agnoscit Hercules Oetaeus." At non de solâ hydrâ Lernaeâ hoc dicitur, sed de omnibus serpentibus, quascunque occidit Hercules. Eas, quotquot fuere, hydram imitatas, caede se suâ reparare et sibi adesse jubet maga.

711. 712. Horum versuum posterior ante praegressum legitur in vulgatis libris, vitiose quidem, ut animadvertit Gron. Ceterum Flor.: *Parthi leves*, vulgus librorum *Parthus levis*, minus variatâ oratione. Mox Etruscus, monente Jacobo Gron. in schedis Dietr.: Lucis *Suesae* n. *Hircaniis*. Fern.: *hyrcaneis*. Mendose. Jac. Gron. l. l.: „Suevos fuisse vicinos Cheruscis in silvâ Hercyniâ prope Ubios, Tacitus auctor est Ann. 2, 44, ad quem locum vid. Lips., item Ferrar. Elect. p. 10" etc.

747 — 750. Vulgo sic:

—— —— Pirenidas.
Gravior poena sedeat conjugis socero mei:
Lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.
Vos quoque, urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaïdes, coïte, vestras hic dies quaerit manus.

Manifestus error librariorum. Nam alios damnatorum apud Inferos cum accurrere jubeat Medea et sibi opem ferre, ut gravior ipsorum poena infligatur Creonti; alios vero (Sisyphum), qui hunc genere attingebant, abesse velit, ne opus suum interventu illorum impediatur: haec duo diversa ita miscentur in vulgatis libris, ut, quid sibi velint, vix intelligas. Quare mirandum non est, graviter labi in declarando loco viros doctissimos. Quorum Gruterus, τὸ *sedeat*

perperam interpretatus *quiescat*, Sisyphum quoque, quem socerum Jasonis appellat, propulso saxo in montis verticem ibique relicto, adproperare vult, evocatum a Medeâ, ad istas nuptias. Gronovius autem, ne uni horum noxiorum continuationem supplicii mulier imprecetur, cum reliquos poenis eximat, in eas angustias compellitur, ut pro *volvat* legendum putes *solvat*, id est „dimittat ab inani labore.“ Quibus quid fingi ineptius potest et a proposito Tragici magis alienum? Neque feliciores duumviri illi, quibus libenter assurgimus, in versu *Gravior*, qui defectu laborat pedis. Nam Gruterus quidem satis habet monere de lectione unius Palatini hàc *Grajorum poena.* Gronovius autem cum in Florentino legisset *Graviorum poena*, ex eo exsculpsit ἄμετρον *Gravior Tityi poena sedeat*, cum nec Tityi ullum sit vestigium in istâ scripturâ, nec quisquam ejus mentionem fieri etiam hic, ut alibi, desideret; prorsus autem absurdum sit arcessitum a Medeâ putare Tityum „in *gratiam*,“ ut ait, „Creontis, ut *adsit et ei faveat pereunti.*“ Aliud agebat vir summus, cum haec scriberet. Sed, *ne longâ ambage morer vos*, legendum est:

Gravior *horum* poena sedeat conjugis socero mei.

Passim male nunc addita nunc omissa littera h turbavit. Hôc quidem loco nescio quis exaravit scripturâ continuâ *Graviororum*, cum vellet *Graviorhorum.* Id alius describens, item frequentissimo errore, alterum *or* omisit fecitque *Graviorum*, quod habet Flor., cujusque similis est Palatini lectio *Grajorum.* *) *Gravior horum* (Ixionis ac Tantali) *poena* est *Poena gravior poenâ horum*, formâ loquendi minime inficetâ, quam illustravimus ad Troad. 46. In verbis *Gravior — mei ut* conjunctio intelligenda. Infra 888:

—— Jamque sic temet para:
*Fas omne cedat, abeat expulsus pudor.*

Plaut. Amph. 367:

Clanculum abii a legione; hanc operam subripui tibi:
*Ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam.*

Epid. 305:

—— Mane me jussit senex
Conducere aliquam fidicinam sibi huc domum;
*Dum rem divinam faceret, cantaret sibi.*

---

*) Mirum, quam eo modo saepe erratum fuerit in MSS. Tibull. Eleg. 1, 7, 7: Illa quidem (Delia) *tam multa* negat, quod explicaturi oleum et operam perdunt viri docti: nam legendum est: Illa quidem, *tam me ulta*, negat. *Tammeulta* transiit in *Tummulta.*

Vide, sis, nos ad Amph. 142. Transpositiones versuum, nunc casu, nunc consilio, factae fere in omnibus poëtis. *)

751. 752. Contrarius, et fortasse verus, ordo horum versuum in Fern. et Cajet. 767. Flor.: Nemoris antiqui *decus domus*, ex quibus vocabulis utrum ponere voluerit (nam utrumque simul nec versui convenit, nec sententiae), ex iis colligas, quae monuimus ad Herc. fur. 1343. Gron.: „Nemoris," inquit, „*antiqui domus* esset" (imo *est*) „silva ita implexa ramis et convestita frondibus, ut pro tecto esse possit. *Nemoris antiqui decus* est silva eximia et antiqua. Et illud audacius." Idem codex sequente versu: *umbras*.

776. *sanguis*. Scal.: sanies. Sed pariter syllabam posteriorem in *sanguis* produxerunt Virgilius, Tibullus, Ovidius. Monuit et Gruterus. Cf. index Tibulli Broukhus. h. v.

786. Vulgo ante Gronovium: *Sonuistis, arae. tripodas* etc. Sed Flor.: *Sonuistis* a. e., in quo agnoscere sibi visus est vir summus lugubre illud Graecorum *αἶ αἶ*, quod *νεκρῶν ἴακχον* vocat Chorus in Euripidis Troadibus. „Notum," inquit, „*αἶ λίνον* (imo *αἴλινος ᾠδή*). Ovid. Met. 10.:

Ipse suos gemitus foliis inscribit, et *αἶ αἶ*
Flos habet inscriptum.

Cum dicto *Sonuistis* auditur post aulaea resonans *αἶ αἶ* vel *αἶ αἶ*. Haec vox, subjicit illa, tam certum mihi signum est faventium deorum, quos adoro, quam motus sonitusque tripodum Apollinem venerantibus." Sic ille, et recte quidem de ceteris, nisi quod istis litteris significari *τὸ αἶ αἶ* nondum adducor ut credam, cum nemo nesciat, a litteram saepe *ah* indicare in codd. (quâ de re vide, quos laudat Basil. Faber in Thes. erudit. schol. h. v.); *τὸ* e vero cum apice valet *est*, cui non ita dissimile *et* conjunctionis compendium, ut videre est Chronici Gottwic. 1, pag. 50 etc. Cur igitur graecam vocem obtrudamus latinae tragoediae? nam in comoediâ locum haberet, et feliciter ita ludit Plautus. Locupletiorem igitur testem istius scripturae, quam dedit Gronovius, expecto, interimque vel legam, secundum Flor.: Sonuistis, *ah*, *et* tripodas etc.; ut Inferos compellet cum fragore ac fremitu appropinquantes, et Hecates canes, ut placet Delrio, de quibus canibus cf. infra 843, Oedip. 567; vel potius servem ceterorum omnium librorum lectionem hanc: *Sonuistis, arae! Tripodas agnosco meos* etc. Aram tetigisse supra dicitur 681.; quae ara qualis fuerit, poëta docet 799 (Tibi *sangui-*

*) Haec medicina etiam Statio facienda Theb. 2, 11, qui versus post septimum inculcandus est, ne Lajo tribuatur medicata virga, quae est Mercurii.

*neo cespite sacrum* Solemne damus) et Oedip. 548 (Tum *fossa tellus, et super rapti rogis Jaciuntur ignes.*). Ibidem descripto sacrificio sic legitur 567:

*Latravit Hecates turba; ter valles cavae*
*Sonuere moestum; tota succusso solo*
*Pulsata tellus.* „Audior," vates ait;
„Rata verba fudi: rumpitur coecum chaos,
*Iterque populo Ditis ad Superos datur.*"

Qui locus huic est simillimus, nisi quod in Oedipo sub dio res agitur, hic vero in penetrali aedium Medeae. Non igitur hic exaudiri facile poterat vallium istarum sonus, non sentiri solum succussum: quod poterat, sonuerunt arae, quas ipsas vocat tripodas suos eo sensu, quem significavit Gronovius, ut quarum motu favorem Triviae intelligat. Sane haec sententia loci, neque sollicitanda vetus lectio propter unum codicem, perbonum illum quidem, sed tamen et ipsum saepius hallucinatum.

822. *serpens.* Fern. Caj. et omnes Delrii codd. vetusti: *repens*, nec male. Mox Dan. Heinsius jubet legi: et docuit condere *virus*, non *vires*; de quo cogitandum. 840. Ascens., elumbi versu, ceterum satis bene:

Stillent artus, fument ossa.

In fine scenae quod vulgo legitur *Dominam et novercam*, longe languidius est eo, quod reposuimus, *Dominam novercam.* Conjunctiones inutiles infarcire est librariorum. *) Versus anapaesticos, partim vett. libros secuti, partim ex conjecturâ, in alium fere, ac quo vulgo leguntur, ordinem digessimus; quâ de re plura alibi.

852 seqq. Hic locus vulgo sic habet:

Quonam cruenta Maenas
Praeceps amore saevo
Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?

et sic porro, usurpatis versibus anacreonteïs, qui abhorrent a tam gravi tristique argumento. Cf. Agam. 758 seqq. Reponendum erat asynartetorum illud genus, de quo diximus ad Pindarum versum et

---

*) Corrigam in transcursu pariter affectum Epicharmi versum illum notissimum, qui bis legitur apud Plutarchum De Fort. c. 3. Wytt. p. 342 Lips. Hutt. t. 7. p. 303. et De Alex. fort. 2. c. 3. Hutt. t. 9. p. 57., sed illic duplici conjunctione, hic unâ, deturpatus (*Καὶ ν. ὁ. κ. ν. ἀ., τὰ δ' ἄλλα κ. κ. τ.*, et *τἄλλα δὲ κ. κ. τ.*), cum sic reponendum sit pro ratione carminis troch. tetram.:

*Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.*

Plauti nostri vol. 4. p. 53, *) ubi et clausulas commemoravimus, quales sunt 856, 860, 867. Ejusmodi versus asynartetos, ex duplice pherecrateo vel glyconio, qualis haud dubie est Agamemnonis 841, compositos, recenset Marius Victorinus Artis grammaticae libro 4. pag. 2587 seqq. Putsch.; ex utroque conflatum habes Agam. 633; e duplice ithyphallico constantem Ennii in Hectoris Lytris Diomedes cap. 1. profert hunc:

Nos quiescere aequom est: novimus ambo Ulixem;

e dactylico tetr. et t. d. c. compositum Naevii Lycurgo Nonius v. schema, quo syllabâ brevior est Horatianus ille Solvitur acris etc. Quorum innumeros olim similes habitos fuisse in scriptis nunc deperditis, Graecorum praesertim, quis neget? Sed jam singula perlustremus. Versu 854 Flor., teste Jac. Gronovio in schedis Dietz.: Vultus *coëcatus* irâ, quod, metro repugnans, frustra tuetur vir doctissimus. Statim vulgatae edd.:

Quis credat exulantem,

quemadmodum et ultimo versu cantici:

Dux noctis Hesperugo.

„Et numeri postulant," inquit, auscultans Fabricio, Lovaniensis. De numeris modo vidimus. Hic monendum, et Moguntiacum cod. MS. (suspicor etiam alios, de quibus non constat), et ex editionibus Herbipolensem, Fernandi, Marmitae, Cajetani et Ascensii, hoc loco habere *exulem*, altero autem, cum discesseris ab Ascensii libro, *Hesperus*, recte usurpatis clausulis, de quibus supra. Quarum ignarus clausularum Badius priore loco fecit:

Quis credat exulem: *cui*
Flagrant genae rubentes etc.

versu autem 860:

Gangeticum nemus. *nunc*
Frenare nescit iras
Medea, nunc amores.

quae sibi habeat. Neque melioris notae vulgata ibi lectio haec:

Gangeticum nemus: *sic*
Frenare nescit iras etc.

in quâ lectione *τὸ sic* et ab aliquot Palatinis abest, neque in iis libris habetur, quos genuina *exulem* et *Hesperus* conservasse monui; quibus libris satius erat obtemperare, quam male feriato

*) Usurpavit etiam Attius apud Festum v. *sospes* hoc versiculo:
Si rite ad patriam salvus et sospes pervenisset.

Avantio, qui et hanc otiosam voculam infersit, et excogitavit τὸ *exulantem*, quod ne sententiae quidem convenit: nam *exul* erat Medea, id est exilio affecta; *exulans* non erat, ut quae nondum profecta esset in exilium. Sed haec hactenus. Extremo choro debilis soni est vulgatum *diem timendum*, neque dubito, quin reliquerit Seneca diem *tremendum*, quae vocabula confundi solent, ut observavi ad Troad. 321.

875. *Ut jussus.* Monuerat Delrius, „sic furere flammas, *quasi* ex praescripto et mandato.“ Eam explicationem superbe spernens Gron., nec satis probans, quae sunt in quibusdam libris, *Ut missus*, *Et jussus*, *Emissus*, jubet legi *immissus* ignis, „id est,“ inquit, „quasi immissis habenis, irrevocabilis, restingui et reprimi nescius,“ laudatque ab se monita ad lib. 3. de ira cap. 6. Recte, praesertim in poëtâ, jussus dicitur iste ignis, utpote non casu exortus, sed medicatus et is, in quo non tam elementi vires agnosceres, quam Inferorum potentiam, magae obnoxiorum. Neque explicandum cum monacho *quasi* jussus, sed: *ita ut jussus est.* Mox Cajet. bene: *Pelopea*, non *Pelopeia*, ut ceteri. Exposuimus alibi de hisce formis.

889. Intelligendum *ut*: vid. supra ad 749. Mox verba *Quae commodavi scelera* recte explicantur, „quae Jasoni, non mihi feci,“ „quae prius admisi in Jasonis gratiam,“ et recte Farnabius comparat 276. 910. audacter dictum: *Quidquid ex illo tuum est, Crëusa peperit*, id est: Perinde est, ac si peperisset. Pro matre nunc est meis liberis Crëusa, et matris est parere.

913. *patrandum.* Sic reponi jussit Gron., et recte: nam parum est, quod vulgo legitur, *parandum.* Cf. supra 129. Similiter obtruserunt *imperare* pro *impetrare* Plauti Men. 110 et Martial. 11, 41. Gron.: „*Agnosco* est invenientis, deprehensumque velut tenentis modum, quo summam vindictae manum per summum scelus imponat. Ut Thyeste: *haud, quid sit, scio. Sed grande quiddam est. ita sit: hoc, anime, occupa.* Nam exstimulatio illa animi sequens utroque loco, ut et in Agamemnone:

> Accingere, anime: bella non levia apparas.
> Scelus occupandum est.

Euripides in hujus nominis fabulâ:

> *Μὴ δῆτα, θυμέ, μὴ σύ γ' ἐργάσῃ τάδε.*“

Cf. nos ad Hippol. 719.

918. *ac* prolis. Caj.: *et* prolis. Fortasse utrumque est interpretis. Sequente versu *Melius, furor!* ut *Di, melius* apud Ovi-

dium Met. 9, 496. 938. vulgo, secundum Lipsii librum et Ascensianam:

> Flentes gementes, Oculis pereant patris;
> Periere matris.

cum ante legeretur: F. g.: sed oculis, quâ voculâ ruentem versum fulcire sibi visus est Avantius, Aldinae curator editionis. Haud melior quorundam Delrii librorum lectio: *in* oculis. MSS. et vett. edd., in his Flor. Mog. Pall. Fern. Caj.: F. g. oculis. Flor. etiam: *patri;* Periere *matri,* quorum de *matri* consentiunt 5 Pall. et, quas dixi, edd. duae vett. Unus autem Pal.: *occulis.* Quid igitur J. F. Gronovius? Nempe is: „Scribe: *Flentes*, *gementes.* *O scelus! pereant patri: Periere matri.* Scelus vocat rapi matri e sinu liberos" etc. Et Jacobus in schedis Diets.: „Forte: *ocius.* Agam. 962, (et ibi J. F. Gron.) Oedip. 645, Troad. 683." Hocne est nescire inventis uti? Nam istud *oculis* plurimorum librorum quid aliud, quaeso, significat quam *occulis*, quod ipsum praebet unus Palatinus? Alterum c omissum, more librariorum. Scribendum confidenter:

> Jamjam meo rapientur avulsi e sinu!
> Flentes, gementes, occulis? —

id est: *occules*, sive *occulere vis.* Cf. Troad. 979, nos ad Plauti Bacch. 859. Agam. 931:

> Recipe hunc Oresten, *ac pium furtum occule.*

Et 980: *abditum fratrem occulit.* Cf. ibid. 991. Ita se ipsa compellat. Thyest. 412: *Repete* silvestres fugas. Ibidem 933:

> Sed jam saevi
> Nubila fati *pelle*, ac miseri
> Tempore in omni *dimitte* notas.
> Redeant vultus ad laeta boni;
> Veterem ex animo mitte Thyesten.

Agam. 193: Pigra, quem *expectas* diem? Et sic passim.

948. Vulgo:

> Quem quaerit, aut quo flammeos ictus parat?
> Aut cui cruentas agmen infernum faces
> Intentat?

An idem bis dixit? Ocius repone *squameos* ictus. Ut *ictus flammei* taedarum ictus ardentium, ita *ictus squamei* dicuntur anguium squameorum. Statim: Ingens *anguis* excusso sonat Tortus flagello. Cf. Agam. 758. Statius Theb. 1, 112:

— Haec igne rogali
Fulgurat, haec vivo manus aëra verberat hydro.

Scriptum forte *scameos* vel *scammeos* ita degeneravit. Similis, sed ad risum composita, Plauti *hospitium pugneum*, *supplicium stimuleum* vel *virgeum*, de quibus ad Amphitr. 140, et ὁ στίχινος θάνατος poëtae incerti Anthol. Palat., a Clar. Jacobsio editae, vol. 2. pag. 360.

954. Vulgo:

Dabimus. sed omnes fige luminibus faces:
Lania, perure. pectus en furiis patet.

Si omnes istas faces *oculis* figi voluit, cur *pectus* patere furiis dicit? Legendum: Dabimus (poenas), sed omnes. Id est: et quidem omnes. Herc. Oet. 1485: Herculem excipiat rogus, *Sed* ante mortem. Apulejus Metam. lib. 10. in re turpi: Tum me prorsus, *sed* totum, recipit. Phaedrus Fab. 4, 17, 19:

Odore canibus anum, *sed* multo, replent,

ad quem locum Desbillonius: „Sic," inquit, „apud Plautum Rud. Act. 3, sc. 5. v. 20. dicit aliquis: affer huc clavas, *sed* probas." Et pridem monuerat in lexico Plautino Phil. Pareus. Poenas igitur dare cupit Medea, sed omnes, id est non crudelitatis modo in fratrem, sed etiam amoris insanissimi, quo exarsit, cujusque se piget. Nam eo pertinet *oculorum* mentio. Terentius Adelph. 3, 2, 20:

Adolescenti ipsi eriperem oculos, posthaec praecipitem darem.

ubi vetus interpres: „Bene *Oculos*, amoris inlices (vulgo *indices*, corrigente Zeunio), adjutoresque flagitii." Ovidius Met. 14, 698:

*Viderat* a veteris generosam sanguine Teucri
Iphis Anaxareten, humili de stirpe creatus,
*Viderat*, et totis perceperat ossibus aestum.

Oculos igitur perurendos laniandosque praebet propter amorem nefarium, pectus propter cetera, quae admisit.

960. Vulgo: *Placemus.* Alterum e Palatinis et vett. editionibus Gruterus reduxit, ut multo fortius. Mox Eguiarius nove: sceleris *auctricem.* 976. recte Gron.: „*Perage, dum faciunt manus.* Neque enim ad tantum facinus semper erunt promptae: fac, dum dolet, dum nullus affectus irâ potentior. Herculo Oetaeo:

Scelus occupandum est: perge, dum fervet manus.

— Non semper autem facere manus, non aliunde discendum quam ex Senecâ lib. 2. de Clementiâ cap. 9. exemplo Augusti, ubi inter alia: Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adolescentem nobilem,

hoc detracto integrum, Cn. Pompeji nepotem, esse damnandum. *Jam unum hominem occidere non poterat;* cum M. Antonio proscriptionis edictum inter coenam dictarat." 980. Flor.: *magna me et invitam*, et in sequentibus cum Fern.: nihil adhuc *facti* reor, quod frustra defensum it Gron. Sed recte idem liber cum Cruseriano et Delrianis: Spectator *iste*. Palatinorum est et vett. editionum, quod vulgatur, Spectator *ipse*.

992.

Torosque, quos non nostra violavit fides.

Hoc dicere Jasonem non posse, nisi impudens pariter et imprudens sit, bene observat Gron., monetque, *τὸ non* abesse a nonnullis MSS. Conjicit itaque legendum: quos *heu!* nostra etc. Sed hoc est hariolari. Reponendum haud dubie: *violabit*. Fidem in posterum Jason promittit, et redire vult in gratiam cum Medeâ, ut servet filium superstitem. Quem spernens illa et hunc jugulat, dicitque:

I nunc, superbe, *virginum thalamos pete!*
*Relinque matres!*

Saepisse b et v litterae confusae. Statim Flor.: Me de*do* morti, non *dede*, ut vulgo; quod merito placuit Gronovio. 998. idem liber: *satiari â manus*, unde vir summus faciebat: satiari *haec* manus. Mihi librarius, cum scribere vellet *animus*, quod alteri valde simile, repressisse videtur manum, et a litterae jam perscriptae apposuisse signum solitum, quo delenda indicabant: nam et sic illa natio interdum, neque semper apicem subscribebant; velut in Plauti codice MS., qui olim Helmstadii servabatur, Aul. prol. 24. legitur *aliquit* cum puncto t litterae inscripto, quo significaretur legendum esse *aliqui*.

1000. Mog.: *Minimum* est dolori.

1004.

Moramque saltem supplicis dona meis.

Recte Gruterus Suspicion. 2, 11: „Cum petit donari moram suppliciis suis, nihil aliud petit, quam ut maturentur." Addit Gron.: „Quia *donare* est remittere, *donare moram* morae gratiam facere." Plura vide apud ipsos et Danielem Heinsium in annotatione ad hunc locum et ad Phoen. 233.

1014. Vulgo:

— — vehar.
JAS. Per alta vade spatia sublimi aetheris;
Testare etc.

ut in coelum aufugere jubeat Medeam Jason, cujus erat potius optare, ut in Tartarum mulier detruderetur. Neque *Sublimus* est ex usu Senecae. Legendum:

Ego inter auras aliti curru vehar,
Per alta *vadens* spatia *sublime* aetheris.

Scriptum vadēsspatia, vadēspatia, vadespatia. Cicero: Animi *sublime* feruntur etc.

# ANNOTATIONES
## IN AGAMEMNONEM.

Vers. 4.

Fugio Thyestes Inferos, Superos fugo.

Incertum se dicit Thyestes, Inferosne an Superos magis aversetur. Utrorumque igitur *pari* flagrat odio. At ita non videtur, si genuina est lectio vulgata: nam *fugere* aliud minusque est quam *fugare*. Fugimus etiam stultos, molestos, et eos, quorum commercio non delectamur; fugamus, id est repudiamus spernimusque, non nisi malos et quos odio habemus Vatiniano. Quare idem verbum utroque loco reponendum censeo, legendumque oratione multo concinniore:

Fugo Thyestes Inferos, Superos fugo.

Oedip. 796: ipsa me pietas fugat. Sequente versu legitur in vulgatis libris: En, horret; sed in Florentino: *Inhorret*, quod haud dubie melius. Versu 6. MS. Cruserianus apud Isacium Pontanum:

Video paternos, video fraternos lares.

Sed efficacior vulgata.

12.

—— Nonne vel tristes lacus
Incolere satius? nonne custodem Stygis,
Tergemina nigris colla jactantem jubis.

Inepta lectio, ad quam neminem adhaesisse vehementer miror. Nam pisces vel ranae et id genus incolere dici possunt aquas, homines non possunt. Et hoc ut feras, quomodo tandem incoletur Cerberus? Ocius reponendum *Adcolere* satius? Habitum *acolere* pro *incolere*. Nihil certius, nec raro sic erratum. Lygdamus Eleg. 3, 37, ex nostrâ emendatione:

Me vocet *ad* vastos amnes nigramque paludem
*Ditis* in ignavâ luridus Orcus aquâ.

Ad quem locum Clar. J. H. Vossius in editione A. Tibulli et Lygdami: „Nicht *in*, sondern *ad* vastos amnes schrieb Lygdamus: denn *zu* den Strömen der Unterwelt, nicht *hinein*, soll ihn der Gott rufen. *Vocare ad coelum* sagt Catull. VI, 17; *mittere ad Styga*,

*ad Stygias undas* Ovid. Trist. V, 2, 74, und I, 2, 65, das lezte mit dem Schreibfehler *in undas.* Selbst wo *in* stehen darf, lieben die Dichter *ad*: wie Domitius Marsus: *campos misit ad Elysiôs*, welches *ad* bei Tibull El. 1, 4, 58 verschrieben ward." Scilicet ibi quoque vulgus librorum: *campos ducet in Elysios;* sed a Vossio collati sex: c. d. *ad* Elysios, quod alteri non sine causâ praeferendum duxit vir sagacissimus. (Vide tamen ad Phoen. 207.) Qui quod et istam elegiam et alias quinque, quae inter Tibullianas leguntur, temporum et stili rationibus adductus, Lygdamo attribuit, quo nomine se ipse appellat iste scriptor, fecit, quod factum probant, quicunque nasum habent. Sed quisnam ille Lygdamus? Graeculum fuisse, et quidem libertum vel liberti filium, recte suspicatur Vossius in praefatione Tibulli germanice ab ipso versi pag. 20., ubi et meminit Massiliensis cujusdam eo nomine militis apud Lucanum 3, 710 *), et servi apud Propertium Eleg. 3, 4. Ab eo servo compositas elegias istas cur arbitrer, quoniam locus ille inductus a me est, jam paucis dicere videtur. Fuit igitur Lygdamus, ut ex Propertii loco laudato et 4, 7, 43 colligas, ejus poëtae servus verna, quem quâ de causâ atriensem vocet vir eruditissimus, non reperio; etsi minime contemnendum illud fuit servorum urbanorum officium, ut vel Plauti Casinam 2, 8, 28 conferenti liqueat, ad quem locum videndi interpretes. Sed vulgaris tamen moduli servi fuerunt, qui isto munere fungerentur; noster autem et Graecus fuit, et is, quocum, ut cum vernâ et homine polito, familiariter viveret dominus minime severus; quem cyathissare juberet in conviviis (4, 8, 37), quo uteretur callido amorum conciliatore (3, 4. 4, 8, 79); denique de cujus amasiâ mentionem facere, hominisque dolorem ex perfidiâ seu crudelitate ejus captum solari non dedignaretur (3, 4, 2.). Jam Graeci fere intelligentes erant et artibus liberalibus exculti, ut quibus committi soleret puerorum educatio. Quid mirum, ejusmodi hominem sive in servitute, sive post donum pileï, se ad scribenda latina carmina contulisse, praesertim ea, in quibus plus artis inesset quam ingenii; qualia reverâ sunt, quae sub nomine Lygdami circumferuntur? Et mihi quidem verisimile videtur, Propertium, qui se a pueris puellisque curatum vellet (3, 7, 45), et Cynthiae recitare scripta sua in deliciis haberet, idem et coram Lygdamo fecisse; idque eo saepius, quo frequentius officii causâ sibi praesto esset probatae fideï (4, 8, 79) neque inficetus servulus.

*) Stantem sublimi Tyrrhenum culmine prorae
Lygdamus excussâ Balearis tortor habenae
Glande petens calido fregit cava tempora plumbo.

Quibus audiendis Sexti carminibus ad similia tentanda, ut fieri solet, excitatum, in ipsâ hâc scholâ minime malâ progymnasmata sua poëtica fecisse Lygdamum puto *); quae deinde latius est persecutus, ita ut merito illis accenseatur elegiarum scriptoribus, de quibus salse Propertius, Lygdamum, ni fallor, et ipsum *leviter* tangens, 3, 1, 13:

Quid *frustra* missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.

et astrologus Babylonius 4, 1, 135:

At tu finge elegos, *fallax* opus (haec tua castra):
*Scribat ut exemplo cetera turba tuo.*

Leviter, inquam, ut magistrum decuit, pericula discipuli atque alumni sui non omnino improbantem (cujus rei mutuati aliquot ab eo versus sunt indicio, quales et apud Ovidium leguntur nonnulli, quos utrosque indicavit loco laudato Clar. Vossius); sed a nimiâ tantum Lygdamum, quam ei fuisse facile suspicor, poëtandi cupidine deterrentem. Quod aegre tamen tulisse videtur Graeculus, ut qui Propertii, bene haud dubie de se meriti, nusquam meminerit; cumque silentio se transire videret aequalem (Lygdam. eleg. 5, 17) Ovidium (Pont. 4, 16), par pari retulerit, et ex omnibus poëtis cum Graecis tum Latinis unius, et dudum quidem mortui, fecerit mentionem (eleg. 6, 41), Catulli. Ceterum in scriptis ejus hodie superstitibus nullum servitutis vestigium superest, ut manumissus ea composuisse videatur; quemadmodum et alios Romanorum libertos Graecos, in his Phaedrum et Hyginum, profecisse in litteris latinis constat. Et promittit quidem ei libertatem Propertius (3, 4, 42), neque hominem vendidit auctore Cynthiâ iratâ (4, 8, 79), ut qui defunctâ illâ etiam in servitio fuerit (4, 7, 43). Vel igitur pileo donatus ab hero fuit, vel suo ipsius peculio, genium defraudans, ut ille ait, e domini potestate excessit. Sed hoc quo minus credam, cum liberale ingenium facit Propertii, tum Lygdami paupertas (eleg. 3, 10, 31), cujus et malorum pertaesum se etiam vitam odisse non diffitetur (eleg. 2, 7.). Ejus haud nobiliore loco natam fuisse amasiam Neaeram, ex ipso mulieris nomine recte colligit Vossius, comparatis Virgilii eclog. 3, 3 et Flacci epod. 15, 11. Sed de diverticulo in viam.

15. Videndum de Florentini et unius Palatini codicis scripturâ: evinctus *rotâ*. *Invinctus* placuit Lipsio. 28. Scaliger: „Quomodo,“

*) Nec meo animo vulgares servuli amores dignos habuisset, de quibus verba faceret, Propertius. Sed carmine aliquo jam tum Neaeram Lygdamus celebraverat. Hinc ille l. 1.:

Sic tibi sint *dominae*, Lygdame, demta juga.

inquit, „auctore oraculo Thyestes epulatus sit liberos, nusquam lego; quomodo eodem oraculo cum filiâ concubuerit, exstant vestigia apud Hyginum fab. 87. Omnino nobis constat, *cortina*, non *fortuna*, scripsisse Senecam, quum manifesto Thyestes per eundem causum (!) imperatus epulationem filiorum, per quem etiam postea jussus incestus fuit. Atqui per cortinam. Ergo et epulatio filiorum per cortinam.“ Rectius, opinor, Gronovius fortunam pro fato accipit, quo inscium se maculatum dicat nefandis epulis, scientem impulsum ad incestos concubitus per Phoebum. Idem vir doctissimus 38. Lips. et Flor. codicum lectionem *sortis incertae fides* bene explicat: sortis incerta fides, per hypallagen. „Quia,“ inquit, „tam tarde apparuit, dubitatum de eâ significat. Ut Petronius:

— Et vatis fides
Calchantis atro dubia pendebat metu.“

56. Vulgo: *Redde*, per se quidem haud male (cf. Med. 938.); sed cum modo Aegisthum Umbra compellaverit, malim sane, ambiguitatis vitandae causâ, quod suadet Gron.: *Reddo* jam mundo diem. Non ita raro e et o litterae confusae in MSS., velut Tibulli 1, 2, 52 cum margo editionis Brix. habeat: aestivo *fulgerat* orbe *deos*, legendum videtur: *fulserat* o. *dies;* fulserat, id est fulgere desiit, obscuratus est, usurpato plusquamperfecto pro perfecto, sicut passim, Vid. ad Hippol. 540. Quanquam nec male reposueris: *fulserat* orbe *deus*, Phoebus.

59. Ita Flor.: nam vulgo:

Dubio*que nimis* excelsa locas,

immisso in medium versum anapaesticum tribracho, qui non nisi extremo locum habet, ut monuimus ad Thyest. 832. Mox pessime distinguitur: — Bootes. Ut — rotat! cum τὸ *ut* referendum sit ad *sic* in superioribus. 85. vett. edd., in his Fern. et Caj., Quaeque *supernos*, et statim eaedem, cum ab Aldi discesseris: *qualibet* hora. 91. *nimium suos* ventos dicit nimis secundos.

113. Vulgo: *perit;* sed Ascens. *periit*, quod sententia requirit; nisi quod versûs causâ faciendum *perit.* Vid. ad Herc. fur. 49. 130. recte Flor.: *non quit:* nam vulgatum *nequit* a numeris abhorret, nec placet Ascensii *nequiit.* Sequente versu *ut* omissum in membranis Etruscis. Nic. Heinsius: *quam moras possim ut pati.* Nihil aut non multum interest. Apparet autem, m praegressum offecisse conjunctioni. 138. *dejectus.* Libri etiam: *devictus* vel *devinctus*, ut Flor. Hoc explicaturus Gron.: „An,“ inquit, „est ligatus, impeditus, et alludit ad nexus nodosque luctantium, de quibus in Diatribâ ad Statium?“

146.

Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?

Causam non esse dicit, cur dubiam fortunam, id est casum, timeat aliquis, qui ultimâ seu pessimâ fortunâ utatur. Se autem intelligit, quae minime timebat dubiam fortunam. Ergo legendum, si verum est *τὸ quid:* Cui ultima est fortuna, quid dubiam timeat, *φοβοῖτ' ἄν?* Sed hoc versus respuit; admittit hoc:

Cui ultima est fortuna, *quis* dubiam timet?

Sic itaque reponendum. Harum vocularum compendia saepius confusa. Ceterum Fern. et Caj.: Cui *dubia* est f., quid dubium t.? 155. membranae Burdegal.:

At te reflectat *conjugis* nomen sacrum?

quod merito placuit Lovaniensi prae vulgato *conjugii.* 162. secuti sumus Florentinum. Vulgo: *Pudet pigetque,* quod itidem vulgare.

168. *recedentes focos.* Thyest. 768:

— Impositas dapes
Transiluit ignis, inque *trepidantes focos*
Bis, ter, regestus et pati jussus moram,
Invitus ardet.

Et similiter Herc. Oet. 1729 seqq. 190. vulgo: *Troïca ae,* sono insuaviore. Quod legitur 202,

Mors misera non est commori cum quo velis,

argute dictum; cumque amantis videatur, praesertim in uxore ao viro, velle *συνθνήσκειν τούτῳ,* revera est hostis iratissimi. 205. vett. edd.: impet*us*, ut supra 127.

207. Nondum adducor, ut haec genuina credam. Nam *nunc* quidem id scelus admittere in se velle Clytaemnestram, cum per se liqueat, tamen et praegressis indicatur, ubi de Agamemnonis reditu dicitur, et sequentibus illis *hunc domi reducem paras Mactare?* etc. Non igitur attinuit, hoc loco denuo inculcare tempus, de quo satis constabat; sed tot deïs virisque, a quibus inviolatus in bello abiit Agamemnon, opponitur Clytaemnestra *mortalis,* et *Graeca,* et *conjugem fraude furtivâ aggrediens.* Quae singula cum persequi eloquenter potuisset Noster, satis habuit dicere, usurpato pro omnibus uno verbo, sed maximi ponderis: Hunc fraude *tu* conaris et furto adgredi? *tu,* quae sis ea, quam minime id deceat? Nam sic legendum, neque ferendam esse vulgatam lectionem censeo.

220.

*Ultrix inultum* Graecia hoc facinus feret?

Puerile polyptoton vocat Gronovius; non ego, neque admitto Florentini scripturam *Victrix.* Agamemnonem interfici a Clytaemne-

strâ, quid id ad Graeciam *victricem*? Sed *ultricis* maxime intererat, tale facinus vindicari. Atque ultricem, et similis quidem injuriae, toto bello Trojano egerat Graecia. Accedit quod infra 347 *victrix* audit Juno, itemque Diana 375, quae frigent cum mortalibus communicata. 224. Eguianus: *Opprime.* 226. similiter Caesar de bello Gall. 6, 5: totus *et mente et animo* in bellum insistit. Et ita saepius.

250. Tò *suapte* pro dissyllabô nusquam alibi Noster habet, neque similes non earundem vocalium contractiones apud eum invenias. Cf. Herc. Oet. 1096, et ad eum locum annotata. An igitur dedit Seneca:

Quid reris ad suapte naturâ trucem
Trojam addidisse?

Ad trucem: ad truculentiam Agamemnonis. Non paulo hoc elegantius vulgato Quid rere ad *animum* suapte etc., videaturque haec illius interpretatio. Herc. Oet. 390: *Materque* multum rapuit, id est matris status. Cf. ibidem 229. Octav. 124. Adice his *superbam pellicem*, cum vellet superbiam pellicis Poppaeae. Mox Lipsianus Tenetque *regnum*, quod in ordinem Gruterus recepit, ceterorum *regem* non male tuente Gronovio. 258. elegantissime Flor.:

Palam *marita* possidens pellex domum,

quod non erat cur mutaret Nic. Heinsius ad Ovidii Heroïdas, reponeretque: P. *maritam* p. p. *domum.* Nam *maritam* domum esse, in quâ nupta, sponte intelligitur; sed *marita pellex* argute dicitur Cassandra, ut infra *Captiva conjux* 1002. Altero post versu idem codex *agis*, quod suadenti magis convenit quam vulgatum *rapis.* Cf. 289. 262. libri vulgati: — *sibi: Nec conj. hoc resp.*, *nec dom. detet;* Delriani *non* utroque loco, quod altero fortius. Interrogandi signum apposui, quemadmodum Herc. fur. 577. ubi vidd. annotata. 264. Ald. et vulgo libri: *privato toro*, Flor. *privato in toro*, formâ orationis variatâ. Praecedente versu Fern. *haec.* Vid. ad Troad. 537. 269. Flor. quoque: *aut.* Sed recte Grut.: „Sustuli interrogationem, neque patior heic quorundam *aut:* miratur enim, Clytaemnestram, familiae regnatricis et prolem et nuptam, ignorare adhuc vetusta illa et omni aevo ubique usurpata regnorum jura." Ipse Gron. fatetur, haec duo vocabula tam frequenter confundi in antiquis libris, ut, utrum stare debeat, saepius ex sensu, quam ex fide librorum, sit judicandum. Quod Cicero aliique: Novum *et* inusitatum, novum *et* inauditum, novum *et* inopinatum, nihil ad rem.

290. *nubam.* Sic Vossianus, ut voluerat Grotius. Vulgo: *nubet*, quod minus exquisitum. Mox Flor.: *quid deos probro ad-*

*dimus?* non: *advocas*, ut vulgo; et recte: generalis est sententia. Sic, monente Gron., Hippol. 198:

Titulum furori numinis falsi *addidit*.

Jam verba *Subripere — virum* referenda ad sequentia, a quibus vulgo separantur. 301. libri fere: *haec vacat regia vivo*. Ascens.: A. ab o.: *regia haec vacat viro*, et similiter Gron.: *regia haec pateat viro*. Sed recte Ald., nesciente Delrio: *haec vacat regi ac viro*, id est haec *domus*, quod suppeditant praegressa, in quibus *dedecus clarae domus* dicitur adulter, quem fovere ignominiae sit *cuivis domui* nobili. Plautus Cas. 405: Fac vacent aedes etc. Mox vulgata lectio *cruenta Tyndaris* etsi ferri potest, malim tamen: *cruentam*. Cruenta adhuc non fuit Clytaemnestra, neque sic dici possit nisi ab effecto. Sed vitanda ambiguitas. Scriptum *cruentū*, *cruentu*, *cruenta*, ut similes sunt a et u litterae in codd.

314. Vulgo:

Stirps Inachia. tu quoque nostros,
Thebais hospes, comitare choros,
Quaeque Erasini gelidos fontes,
Quaeque Eurotam, quaeque virenti
Tacitum ripâ bibis Ismenon,
Quam fatorum etc.

At quae Erasinum bibunt, Argivae nimirum sunt. Strabo lib. 8.: *Ἄλλος δὲ ποταμὸς* (Inachum commemoraverat) *Ἐρασῖνος ἐν τῇ Ἀργείᾳ ἐστίν*. Ergo jungendae Argivae Mycenaeis. Rursus ad Thebanas pertinet Ismenus fluvius. In unum igitur conferenda locum verba *tu quoque nostros*, *Thebaïs hospes*, *comitare choros*, et illa *quaeque virenti* etc.: quibus quod Boeotos generatim intelligi posse Gron. existimat, fallitur; et sic tamen haec perversa. Trajecti versus propter principia, ut opinor, similia; id quod saepe factum. Ceterum et hic et per totum chorum aliter ac vulgo digerendos esse versus, ne sententiarum ac numerorum nexus dissolveretur, sensit Paulus Melissus, nec adversante quidem Grutero, nec obtemperante, ut in re, quam non multum ad se pertinere arbitraretur. Ceteri vero editores alter alterum certatim, ut fit, descripserunt, nec quidquam in his mutare ausi sunt, quia scilicet sic legebant in libris suis. At librorum in hoc genere aut nulla aut perparva auctoritas, ut qui fere ab hominibus exarati sint rei metricae prorsus ignaris, versusque pro lubitu rationeque pagellarum suarum ordinantibus. Quos neque hoc loco neque alibi in simili causâ dignos habuimus, quorum vestigiis insisteremus.

325. Vulgo:

Arcus victor pace relatâ,
Phoebe, relaxa.

Sed verba *pace relatâ* absunt a Palatinis nonnullis, Moguntiaco HerLip. Fern. et edd. Venetis, suspicionemque non levem movent interpolationis, quae suspicio augetur taedio similium clausularum *pace relatâ*, *Phoebe*, *relaxa*; quale vitium purgatae auris Tragicus vitavisset. Secutus igitur sum istos libros potius quam vulgatos. Mog. etiam *vinculo* pro *victor*, quod quo pertinere dicam nescio. 338. libri *ambos*, quae alterius formae lectae explicatio. 370. Ascens.: *quae* jam stabilis, non male, modo de fide ejus lectionis constaret. Sequente versu Mog.: *respicit*, unde Lovaniensis *despicit;* sed non aliud quam vulgatum *respuit* voluisse arbitror librarium. Vid. infra ad 877. 374. Fern. Caj.: *numeras victrix.* 376. expressi Florentinum et Gruteri tres libros, Gronoviique membranaceum, quibus adstipulatur Fernandi editio, primum a me collata. Nam digna haec poëtâ esse, censeo cum Grotio et Gronovio. Vulgo:

Flebile saxum,
Et adhuc lacrimas marmora fundunt
Antiqua novas.

Pro *fundunt* liber vetus Commelini *sudant*, duo Gruteri *mittunt.* Recte Gron. comparat Horatii illud eruditum epist. 1, 19: Fidis enim *manare poëtica mella* Te solum.

Idem rationem cantici ita explicat ad 315: „Invitari facit (ab Argivis) peregrinas, quae essent Argis, ad celebrandum solennem ipsis diem. Sic solebant. Livius lib. 4.: *Spectaculum comitate hospitii, in quam publice consenserant, advenis gratius fuit.* Sic apud Euripidem in Electra Aegisthus sacrificans invitat ignotum Orestem pro Thessalo hospite:

*Νῦν μὲν παρ' ἡμῖν χρὴ συνεστίους ἐμοὶ*
*Θοινῆν γενέσθαι· τυγχάνω γὰρ βουθυτῶν*
*Νύμφαις.*"

404. *Meliora.* Id est bona, seu fausta, posito comparativo loco positivi. Vidd. Cic. de Offic. 3, 15, ubi agit de formulâ juris Melius Aequius, Vechneri Hellenolex. 1, 1, 5, nos infra ad 957 et ad Plauti Aul. 288. Alterum abhinc versum sane explico per hypallagen, ut *dare classibus austros.* De 412 cf. nos ad Hippol. 859. Nam hic quoque vulgati libri:

Quis fare nostras hauserit casus rates.

Sequimur nos Florentinum, nisi quod omnium librorum lectio *dispulerit* jam mutanda est in *dispulerat.* Alioqui Tragicus σολοικίζει. Ad sententiam quoque hoc rectius: nam ante dispulsi erant duces Graeci, quam quisquam eorum naves amitteret naufragiumque pateretur. Et saepe haec verborum tempora confunduntur.

414. Vulgo *jubes.* Novi asyndeti amantem Nostrum; sed *est modus in rebus.* Hoc loco τὸ *jubes* ortum esse ex *jubēs*, quovis pignore certarim. 430.:

—— —— unda vix actu levi

Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit:

Recte Flor.: *actu levi*, ut Lucanus, monente Gron. lib. 9.: *rapido actu*, *violento actu:* Virgil. Aen. XII, 687 *magno — actu.* Vulgatum ante Gron. erat: *tactu.* Wakefield. ad Lucret. V, 1329 emend. *ictu.* Sed turbant aliquantum duplices ablativi, quorum uter causam, uter effectum indicet, non statim assequare. Malim igitur *a flatu tremit*, quemadmodum *a sole calet* et similia dicuntur. 456. quod habuit Flor., *Et id*, nihil aliud fuisse puto quam *Et iā*, id est *Et iam:* siquidem a et d litterae persimiles sunt in MSS.. Certe *jam* verum est, quâ voce singula temporis momenta indicantur, quibus latius latiusque recesserit a littoribus Trojanis Graecorum classis.

475. „Quae sunt *tela ventorum?*" inquit Gronovius. Respondet vir doctus, esse *vires eorum undique collatas cum magno impetu*, comparatque Ciceronis illud epist. ad Atticum 7, 6: *Nisi forte haec illi tum arma dedimus*, id est prorogatum Caesari quinquennium et habita ratio absentis. At hoc est longe petere, quod in promtu est. Tela ventorum sunt *nives*, *arenae*, *nimbi* denique, quae recensentur singula in sequentibus. 494.:

Miserisque lucis tanta dulcedo est malae.

Hoc lumen optant.

Sic vulgo edd. Delrius aliquanto melius: — malae: Hoc etc. ut saltem conjungenda haec in unam sententiam esse intelligamus. Sed hoc parum. Nam *lucis malae* sive in genere dicatur, quis adeo insanus est, ut lucem, rem optimam, appellet malam? sive fulgura intelligamus, quid differunt *lucis tanta dulcedo est* et *Hoc lumen optant?* Depravata loci scriptura est, legendumque secundum Fernandi editionem, in quâ: *male:* Hoc etc.:

Miserisque lucis tanta dulcedo est: male

Hoc lumen optant.

Male hoc, tam ingratum, tamque periculosum, lumen optant, id est valde, vel cum damno suo. Vid. Gronov. ad Thyest. 3. Idem vir doctissimus 498 *mari* pro *mare* legendum vidit. Nam quod et *alto* mutat in *alio*, et interpretatur navem diu sub undis tractam, quam remotissimo ab eo, ubi absorbuit, loco et in alius nominis mari (Lesbio, Icario, Carpathio etc.) rursus evehat mare ac proferat, commendationem habet ab ingenio, non veritate.

512. *Agamemno.* Similiter, monente Gron., Attius Armorum judicio, Cicero epist. ad Attic. 13, 47, et Statius; Livius autem 58,

4. *Aretho*, Valerius Maximus 6, 9 *Polemo*, et 8, 9 *Solo*, Quintilianus 14, 22. *Palaemo*, Silius Oxonii 2, 192 *Tero*. Gellius item *Solo* 10, 18, et *Ario* 16, 19. Neque aliter Latini, ubi non graecissant, quemadmodum et *Plato* dicitur, et *Antipho*, *Ctesipho*. *Demipho* etc. Valeant igitur Ascensius et Aldus cum corruptâ suâ lectione *Priamo Agamemnon*. Nam quod raro sic Noster solet, ut monuimus, secundum Gron., ad Thyest. 783, facit more recentiorum, quos tamen deserens nonnunquam auctoritatem petit a vetustate.

517. *Perdenda mors est?* Ita Mog. et Veneti. Recte. *Perdenda mors est*, ut vulgo quidem legitur, esset necessitati cedentis, mortemque oppetentis. Sed qui haec, sperat etiam, et avertere cladem tentat precibus. Sic, notante Grut., Thyest. 1096: *Perdideram scelus*, et Med. 976: Non in occulto tibi est *Perdenda virtus*. In superioribus aliquot Palatt. et Delriani cum edd. vetustis: victa quem tellus *tegit*, non *premit*, ut vulgo, quod minus aptum in re exoptatâ. 523. legunt *Sistite*, cum unus deus compellatur. Ejusmodi vitia corrigenda etiam sine libris. 536. ineptum est, pace Gruteri dixerim, quod vulgatur, hoc:

Ratisque partem secum et Ajacis tulit.

Ambustus Ajax, non discissus. Ergo legendum *et Ajacem* cum Mog., Joviano Pontano lib. 1. de Fortitudine, Fabricio et Delrio. 540. *In se.* Potest explicari, ut navem ad se traxisse dicatur Ajax. Sed hoc per se intelligas, malimque sane: navem manu Complexus *ipse* traxit. Cum nave trahendus videretur Ajax, ipse pro mole suâ navem traxit. Cf. 537, 553 sequ. Non semel sic erratum: vid. ad Herc. Oet. 1118. 555. *Vocat.* Invitat, arcessit. Cf. 565 seqq. Herc. Oet. 158. Infra 588:

— cum pateat malis
Effugium, et miseros libera mors vocet.

564. *hinc et Chalcida*. *Anthedona* legendum conjecit Gron. Eustathius, ipso monente: *Ἀνθηδὼν πόλις λιμένα ἔχουσα, ἐσχάτη τῆς Βοιωτικῆς παραλίας τῆς πρὸς Εὐβοίας*: unde Homerus *ἐσχατόωσαν* dicit. Libri fere *Chalcedona* vel *Calcedona*; Ald.: *et hinc Chalcida*. Jacob. Gron. in schedis Dietz.: „Hyginus fab. 14.: Admetus Pheretis filius, matre Periclymene, Minoïs filiâ, ex Thessaliae monte Chalcedonio, unde oppidum et flumen traxit. Adde Stephanum in *Ἡραία*. De Alcedoniis urbibus Harpocratio, ad quem vid. Vales. p. 197. Cf. prol. Justini lib. 8. Euboea *Χαλκωδοντίδων* patria Euripidi in Ione. *Χαλκώδων* Pausan. p. 567 et 570. prope Chalcidem." Hinc scribendum constat, minimâ quidem mutatione: *Chalcodona*. Sequente versu, similem terminationem vitaturus, dedi *Aulin* pro *Aulida* vulgato. Lucanus 5, 236: iniquam classibus *Aulin*

587. Metrum Aeolicum, de quo sic Terentianus Maurus, postquam egit de hexametro bucolico, pag. 2431. Putsch.:

Aeolicum ex isto genuit doctissima Sappho,
Quod sit quinque pedum, velut hos modo perspicis:
Nam addit primum illi (vulgo; illa) dissyllabon, ut libet;
Spondeum nec enim capiti locat omnium,
Sed quia mobilis hic locus, et chorion solet
Admiscere, deïn quater addere dactylon etc.

*Mobilem locum* et hic et alibi, velut 2440 et 2442, appellat, quem *basin* Hermannus in libro de Metris Graecorum et Romanorum, quo quidem nomine ipsos metrorum pedes legitimos significant veteres grammatici. Marius Victorinus pag. 2489. Putsch.: „Graecorum," inquit, „sermone duorum pedum copulatio *Basis* dicitur, velut quidam gressus pedum; qui si ejusdem generis, id est pares, jugati fuerint, *dipodiam*, aut, ut quidam, *tautopodiam*, sin dispares, ut trochaeus cum iambo, *syzygiam* efficiunt; in quâ Arsis unum, alterum Thesis pedem obtinebit." Conf. Hephaest. pag. 37 edit. Turneb. et ejus Schol. ibid. 31, 76; item Aristid. Quintilian. Musicc. antiqu. a Meibomio editt. vol. 2. pag. 49. De cretico, qui claudit h. l. versum Aeolicum, cf. Hephaestio pag. 287. libri Hermanniani, nos ad Oedip. 448. Quo metro librum integrum scripsisse poëtriam Sapphonem qui tradit secundum Atilium Fortunatianum, ut ait, G. Fabricius, fallitur: nam de quo loco grammatici haud dubie cogitavit, qui locus est pag. 2700. Putsch., eo de metro Asclepiadeo loquitur Atilius. Ceterum ejus metri ignarus Avantius similem sequentis versum fabricatus est hunc:

Quam mortalibus heu! dulce malum additum.

Nec melius Lovaniensis monachus uncinis inclusit τὸ *additum* tanquam spurium, cum neque metro adversetur, et lectum sit, nedum tolerabile, ut observat Gronovius ad h. l.

589. Versus asclepiadeus, cujus in loco mobili usurpatus dactylus est, ut in glyconio Oedip. 728, si veri sunt libri; quod adscribant licet, ut tot alia non trita, commentariis suis Metrici. Vide nos ad Oedipi l. l.

591 seqq. Male haec ita distinguuntur in vulgatis libris:

Nullus hunc terror nec impotens
Procella Fortunae movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta. nullos civium etc.

In quibus quo pertineant verba *Pax alta*, nemo facile dixerit: nam quod Gronovius *pace altâ* frui vult eum, qui mortem non metuat, mentem poëtae non est assecutus, qui audacter *flammam Tonan-*

*tis* vocat *pacem altam*, id est mortem, ut quâ in pacem altam dentur homines; quomodo *pax fluminis* legitur apud Florum 4, 2, et *pax ventorum* apud alios non semel; Ovidius autem dixit in re simili Met. 11, 623:

> Somne, quies rerum, placidissime Somne deorum,
> *Pax animi* etc.

et ipse Noster in superioribus mortem appellat *portum aeternâ placidum quiete*. Cf. Herc. Oet. 534 sequ. Ceterum ad verba *Qui vultus Acherontis* etc. referri omnia media, tanquam ἀπὸ κοινοῦ, bene monet Gron.; quo magis mireris, et sententiam eum verborum *pax alta* non perspexisse, et intactam reliquisse tam malam interpunctionem. Sed similiter et infra erratum 619 et 689, ubi τοῖς *muris* et *Attin* finiti sermonis notam subjiciunt; et rursus 674, ubi non subjiciunt.

594.

> Pax alta, nullos civium coetus
> Timet, aut minaces victoris iras,

ut locus constet ex iambico trim. brachycat. clodo et asynarteto illo, qui conflatus est ex duabus penthemimeribus iambicis; de quibus versuum generibus exposui ad Oedip. 471. et 483. Quorum metrorum posterius quidem huc conveniret; alterum autem ferri nullo modo potest, ut tristissimum in re laetâ. Oedip. 483:

> Sacer et Cithaeron sanguine undavit.

et 739:

> Aut foeta tellus impio partu
> Effudit arma etc.

Cf. infra 805, 820, *) et similes trochaïcos 608, 620 sequ. 623, 625 etc. Accedit oratio prioris versûs in posteriorem perperam distracta; de quo vitio vidd. Melissus supra ad 314, nos passim in his annotationibus; cum ex nostrâ ratione existat iambicus senarius, qui et rei sedatae, quae dicitur, peraptus est, et sententiam totam comprehendit. Quo admisso sequens versus ad asynartetos illos pertinet, qui ex iambis et trochaeis constant, habenturque apud Pindarum Olymp. epod. 2., Olymp. 14., Pyth. str. 3., Plautum, alios; quibus ex alterâ parte respondet infra 624:

> Danaumque fatale munus,

quo metro et similibus item utuntur Pindarus non uno loco, et

---

*) Addas quoque licet locum ex Attii Bacchis ap. Macrob. Sat. 6, 5, qui locus ita digerendus est:

> Deinde omnes stirpe cum inclutâ Cadmi  i. tr. br. cl.
> Devagant matronae, percitae tumultu,  as.: 2 ithyph.

Plautus Artamonis fragmento primo; item Alcman apud Plutarchum Sympos. lib. 3. quaest. 10, 3. pag. 659 B. et in libello de facie in orbe lunae pag. 940 A., ubi sic legendum:

*Οἷα Διὸς θυγάτηρ*
*Ἔρσα τρέφει καὶ Σελάνας.*

Nam quod *Σελάνας δίας* habet Quaest. natur. 24. pag. 918 A., lapsus videtur viri κακομνήμονος. Vidd. Clar. Welckeri Fragmenta Alcmanis pag. 57.

596. Vid. ad Oedip. 406. Sequentes duo versus, uti et 601, 611, 619, 847, sunt dochmiaci, cum acatalectici, tum hypercatalectici; quod metri genus etiam in asynartetis usurpare solet Noster.*) Horum versuum 598, 611 et 847 quod in commissurâ dactylum habent pro cretico, id non per licentiam fieri, ut videtur doctissimo A. Seidlero in libro de versibus dochmiacis pag. 79, sed ex ipsâ ratione metri explicandum esse, et inter legitimas ejus formas referri ab Aristide Quintiliano l. l. supra ad 587 pag. 39, nuper ostendimus in censurâ operis Seidleriani, quae inserta est libello nostro vernaculâ linguâ scripto De reï metricae elementis (Grundzüge der Metrik), pagg. 53 seqq. Nam choriambicos putare istos versus nolim cum propterea, quod laetius id metri genus; tum quia in omnibus choriambum sequitur anapaestus, quod mirum esset in dipodiâ iambicâ, quae loco principis pedis solet usurpari. Nec mirandi duo dactyli continui, ut qui solennes sint in istâ formâ versuum dochmiacorum. Soph. Trach. 1024:

*Τῇδ' ἐμέ, τῇδ' ἐμέ, πρόσλαβε κουφίσας.*

Ibidem 1041:

*Εὔνασον, εὔνασον ὠκυπέτᾳ μόρῳ.*

Euripid. Phoen. 130:

*Οὐχὶ πρόσφορος ἀμερίῳ γέννᾳ.*

Orest. 1363:

*Ἀργεῖον ξίφος ἐκ θανάτου πέφευγε,*

qui quidem versus hisce Nostri simillimus est, nisi quod priorem istorum dactylorum in medio verbo finiri voluit Seneca, puto, ut minus animadverteretur commissura; quali artificio et alcaïci variari solent (vid. Horat. Od. 1, 37, 14, h. l. 599, 613) et Pindarum usum in pentametro elegiaco pridem monuimus in notis vernaculae ejus eclogarum versioni subjectis. Sed haec hactenus. Flor.: Pulvereamve nubem.

---

*) Attius quoque Bacch. v. vago ap. Non., usurpato dochmiaco: Indecorabiliter alienos alunt.

599. Vulgo:

Hosticâ aut muros populante flammâ,
Urbe cum totâ populos cadentes.

Sed vett. edd., in his Fern., item Delrius secundum libros suos:

Non urbe cum totâ populos cadentes
Hosticâ muros etc.

quod longe efficacius. Nec scio, quo prolubio negationem omiserit Badius. Gruterus autem, Palatinos haud dubie codd. secutus, τὸ *Non* quidem restituit, sed ordinem versuum mutavit. Cujus vestigia tacitum premere Gronovium, vehementer miror; cumque mihi non constet de Florentini libri lectione, veterem illam verbis numerisque vividiorem postliminio redire jussi. 604. MS. Burdegal.: non tristis *adit.* Sed hoc est illud, quod sequente versu dicitur, *vitae ponere finem.* Hic de *animo* tantum ejus sermo est, qui id non pertimescat. De sequentis versus metro vid. ad Oedip. 475. 613. similis Oedipi 720; 614. ejusdem fabulae 733 et 735; 620. Oed. 473. 621. ibidem commemoravimus ad 475.

626. *Tremuitque saepe,* Virgilius Aen. 2, 242: quater ipso in limine portae Substitit atque utero sonitum quater arma dedere. Pertinent huc *tremuli* equi apud Nemesianum, quos animosissimos interpretatur Bas. Faber in Thesauro erudit. scholast. 632. male libri:

Tacitumque murmur percussit aures;
Et fremuit male subdolo parens Pyrrhus Ulixi.

Imo: *Ut* fremuit. Causa istius murmuris erat Pyrrhi cum Ulysse expostulatio. Frequenter autem voculae *at et ut* permixtae deprehenduntur in codd. De metris versuum vid. ad Oedip. 471. et Med. 852. 644. pro vulgato *Hecube* cur reposuerim *Hecabe*, vide ad Troad. 846. 648. Caj.: Diruta *narra.* An voluit *narras?*

655. explicari utcunque potest vulgata lectio. Videndum tamen de Florentini *petet*, Nic. Heinsii *omne queis tempus patet.* Nobismetipsis in mentem venit legendum esse *perit,* quae verba Herc. fur. 49. et alibi saepius confusa, et *quis* secundum Heinsium. Decet ejusmodi oratio *duram viraginem* et *patientem mali* (664.). Sequente versu cum *ipsae* vim nullam habere mihi videatur, rescribam equidem *isto*, gemitu. Etiam haec vocabula non ita raro sibi invicem offecere. 664. Florentinus nobis auctor est: nam vulgo habetur: *Nec enim quamvis.* 667. Flor.: *mobile*, de quo Gron.: „An," inquit, „juvat Persius: *liquido cum plasmate guttur Mobile collueris.*" Mox idem codex et Lipsianus: Garrula *narrat.* 693. vulgo libri: *Superos reor*, littera r frequentiore. Ibi quoque descripta Florentini lectio, ut etiam 701, quo loco nec Gron. propaganda censuit, quae vulgo leguntur, haec: *regiam miseri senis*

*Vacuam relinqui.* Livius, in descriptione expugnatae a Gallis Romae, 5, 39: Si arx Capitoliumque, sedes deorum, si senatus, caput publici consilii, si militaris juventus superfuerit imminenti ruinae urbis, *facilem jacturam esse seniorum, relictae in urbe utique perituras turbae.* Quae in mentem fuerunt, opinor, Nostro, cum haec scriberet.

724. Male libri:

Jam Troja cecidit. falsa quid vates ego?

Falsamne vatem dici Cassandram, quae fuit verissima? Ocius distingue post *falsa.* Falsa fuit Troja, id est decepta. 735. etiam Ascens. et Ald.: *Amazonium.* Fern.: cultum ferrum amatonū. Recte Delrius laudat *Amazoniam securim* Horatii Od. 4, 4, 20, et ejusdem illud Sat. 1, 1, 99:

— At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.

Euripides Hecub. 1275:

*ΠΟΛ. Καὶ σήν γ' ἀνάγκη παῖδα Κασάνδραν θανεῖν.*

— — — — —

*Κτενεῖ νιν ἡ τοῦδ' (Ἀγαμέμνονος) ἄλοχος οἰκουρὸς, πικρά,*

— — — — —

*Καὐτόν τε τοῦτον, πέλεκυν ἐξάρασ' ἄνω.*
*ΑΓΑΜ. Οὗτος σὺ, μαίνῃ καὶ κακῶν ἐρᾷς τυχεῖν;*
*ΠΟΛ. Κτεῖν', ὡς ἐν Ἄργει φόνια λουτρά σ' ἀναμένει.*

Qui locus est praeclarus. Unde Noster infra 889:

Armat *bipenni* Tyndaris dextram furens.

737. Ita Flor. Infra 871:

Et ipse picta veste *sublimis* jacet,
Priami superbas corpore exuvias gerens.

Vulgo: colla *vexatus*, et comparat Gron., quae leguntur apud Tacitum Annalium 6., haec: *faucesque jam exanimis laqueo vexatae.* Tentat quoque *subcisus.* Sed nobis potior lectio Etrusca. 749. et sequens hoc ordine leguntur in Fern. et Cej.; contrario in vulgatis, minus quidem concinnâ oratione.

755.

Reserata paulum terga nigrantis poli.

Novi montium terga, et fluviorum et maris; terga poli seu coeli an recte dicantur, nescio, malimque propemodum *tesqua* nigrantis poli. Vid. Festus. Herc. fur. 701, ubi regnum Inferorum describitur:

Sterilis profundi vastitas squalet soli,
Et foeda tellus torpet aeterno situ.

Scriptum fuerit *tesca*, *terca*, *terga*, quemadmodum q et c et g, itemque r et s, litterae confundi solent. Statim vulgatae edd.:

Instant sorores squalidae.
Sanguinea jactant verbera,

et sic porro, de quibus versiculis idem dicendum, quod de anacreonteïs illis Med. 852. Quorum duos quosque in unum conjungunt vett. edd., quas secuti sumus. Pro *Sanguinea*, absque hiatu esset, a quo prorsus Noster abstinet, legendum arbitrarer *Anguinea*. Med. 947:

Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quaerit, aut quo squameos (vulgo: flammeos) ictus parat?
Aut cui *cruentas* agmen infernum *faces*
Intentat? *Ingens anguis excusso sonat*
*Tortus flagello.*

Thyest. 96:

Quid ora terres *verbere*, *et tortos ferox*
*Minaris angues?*

quod est ἓν διὰ δυοῖν. Et sic passim crinibus et flagellis angues gestare Furias videmus apud poëtas. Quanquam et variare Nostro licuit. 768. Flor.: Cervice taurus vulnus *incertum* gerens, ubi vulgati libri: C. t. v. *incisâ* g. *Incertum*, id est non mortale, quali vulnere in terram procumbenti tauro rectius comparatur animi deliquium Cassandra passa, quam tauro, cujus cervix incisa sit proindeque ipse jugulatus. Mox idem liber *lauru*, quod exquisitius publicato *lauro*.

788. Rectius fuerit *Secura vives*, siquidem haec pertinent ad praegressa *Ne metue dominam famula*, et quidquam metuere Cassandram vetat Agamemnon propterea, quod secure, Argis se regnante, victura sit. 789. vulgo legitur: *At magnum tibi est.* Copulam delevi, ut *tibi*, quae vox est gravissima, plene exaudiatur; cum praesertim τὸ *est* sit in proximâ Agamemnonis oratione, quae cum hac Cassandrae arcte conjuncta est; unde id verbum facile repetatur. De versu 800 cf. supra 614, de sequente notam ad Oedip. 488, de 807, quae ibidem ad 718. Sapphicis, qualis est 808, frequenter Hic utitur, ut monuimus ad Oedip. 412; nec magis est quod offendamur soluto in choriambum molosso 811, quâ de re vid. itidem ad Oedip. 488. Florentinum autem secutus Gron. invito metro legit *Retulit.* 820. satis Tragico usitatum habet metrum iambicum clodum, de quo conferas licet, quae supra ad 594. Versum 824. cur dochmium existimem potius quam choriambicum, significavi ad Oedip. 718. Asynartetus ille versus iambicus, qui est 829. et supra 632., hoc loco post se habet clausulam ex dimidio ejus-

modi versu constantem, ut solent clausulae. Vid. ad Troad. 405. De altero abhinc versu item asynarteto vid. ad Oedip. 473, de 841. ad Med. 852; denique de alcaïco inverso et dochmiaco hypercatalectico, qui sunt 845. et 847, conferenda, quae supra notavimus ad 596 et ad Oedip. 406. Ceterum versus 807 — 816 ita leguntur in vulgatis libris:

Jussitque Phoebum tardius celeres
Agitare currus, et tuas lente
Remeare bigas, pallida Phoebe;
Retulit pedem, — —
— — — — — — — —
Hesperum dici; Aurora movit
Ad solitas vices caput, et relabens
Imposuit senis humero mariti,

ubi minus bene Flor.: Imposuit seni collum marito. 830. autem et sequentes sic se habent in iisdem;

Geminosque fratres pectore ab uno (Flor.: *ex* uno, unde facile erat metrum intelligere.)
Tria monstra natos, stipite incusso
Fregit insultans: duxitque ad ortus
Hesperium pecus,
— — — — — — — —
— — — — — — — —
Vidit Hippolyte ferox
Pectore in (vett. edd. et Delrius secundum suos libros, P. e) medio rapi spolium; et sagittis
Nube percussâ Stymphalis alto
Decidit coelo,
Arborque etc.

In quibus fere omnibus nec sententiae congruunt cum versibus, et numeri sunt ii, quos aegre explices, nedum reperias apud Nostrum Tragicosque; quin hiatum medio versu toleraverunt, pro suâ in hoc genere patientiâ, editores versu *Hesperum dici*, quem hiatum nusquam sibi permisit Seneca. Sed de ejusmodi peccatis alibi dixi pluribus, quae repetere hoc loco non est animus. Mirari autem subit, ne notissimas quidem metrorum formas, quales sunt sapphici et alcaïci, agnovisse tot viros eruditissimos, qui in expoliendo hoc poëta operam posuerunt.

860. *Eheu.* Fern. et Caj.: *Heu.* Fuisse videtur Heu heu, et alterum omissum, more librariorum. Vid. ad Med. 693. Verbis *Quid hoc est?* Cassandra corripit animum suum tristem ac desperantem; quam formulam illustravi ad Thyest. 421. 867. vulgo: *Spectamus.* Gron.: „Flor.: *Spectemus.* Satis enim dixerat rem

oculis ostendi, et se videre et interesse et frui, et nullo dubio falli. Nunc, age, inquit, ne tam gratum spectaculum visus cito praetereat, contemplemur intentae, et omnem notemus ordinem facinoris."

877. *Venere fata.* Id est fata seu mors Agamemnonis. Sed generalis videtur haec sententia, cui subjecta specialis est de sanguine domini. Jamque minus commodum *Venere fata*, quasi nondum venerint, quibus eversa Troja fuit, et ipsa vates adducta in servitutem. Quare malim *Vertere* fata. Supra 221:

Equos et arma classibusque horrens fretum
Propone, et alto sanguine exundans solum,
Et tota captae fata Dardaniae domûs
*Regesta* Danaïs.

et 757: *fata se vertunt retro.* Mirum, quam saepe pares numero ductus litterarum permixti fuerint in MSS., velut infra 905 in plerisque omnibus codd. est concit*us* pro concit*os*; 930. vulgus librorum habet *demum*, sed optimi *donum*; 962. Florentini lectio *auratae* nihil aliud est quam *at iratae*; et 1001. *dudū* degenerasse censeo in vulgatum *dono*, quod quid sibi velit, non exputes. Marius Victorinus De carmine heroïco pag. 1962 Putsch.: „Metrum Priapeum est, cum in hexametro versu *supremi* inter se pedes concatenati a reliquis tribus sequentibus divisi separatique sunt, veluti in Bucolicis:

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim."

ubi mireris, *supremos* dici versûs pedes, qui primi sunt. Sed legendum: cum in hexametro versu *III primi* inter se etc. *) Et ita saepissime erratum, seculis praesertim a Christo nono ac decimo. 883. Flor.: Nec penitus *egit*, quod frustra tuetur Gron. At egregie Ascensius 890: *pius*, ubi vulgo editores *prius*, cum sequatur *ante*quam ferro petat. Pulcre *pius*, id est sacerdos seu sacrificans aliquis, opponitur *impiae* manui Clytaemnestrae. Mox Flor.: *exanime*, unde Nic. Heinsius, non improbante Gronovio: *exanime impetit.* Idem liber 899. non *Hic est*, ut vulgo, sed *Est hic*, sub ictu posita voce graviore. 904. Fern.:

Eversa domus est, funditus regna occidunt.

Altero abhinc versu rectius videtur hoc: vultus veste *tutabor* tuos. Herc. fur. 1008: parvum *protegens* gnatum *sinu.* Conf. Terentius

*) Non minus insigni ejusmodi vitio in Ciceronis de finibus I. c. 16. cum vulgo legatur: cum vis in mente consedit, reponendum est: cum jus in m. c., hoc ipso, quod adest, turbulenta non potest fieri.

Eun. 4, 3, 6 et 5, 2, 20 (in oculos involem, involem in capillum), ubi interpres vetus: „Minae istae proprie feminarum sunt, et in se et in alios unguibus saevientium, ut (Aen. 4, 673):

Unguibus ora soror foedans, et pectora pugnis."

Tò *furabor* sublectum fuit, ut opinor, infra 925, ubi locum habet vox, referturque ad argutum illud *pium furtum* occule in superioribus. *) Sequente versu recte Flor.: Externos *times*, quod respondet sequentibus: Domus *timenda* est. Nec tamen omnino male Fern. Caj.: Domus *fugienda* est, quod si cui placebit, is reponat licet: *Externos fugis*? (et sic codd., cum a Lipsiano et Florentino discesseris) *Fugienda domus est.* Sed nolim deteriore versûs regione collocari *domus*, verbum gravissimum; nec probo simul illata *refugis* et *fugis*. 913. vulgo legitur *concussum Ilium*, frequentiore litterâ mugiente. Vid. ad Thyest. 783.

926.

Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.

Gron.: „Dicit Seneca, secundis quidem amicorum perinde fidem deberi quam adversis, sed adversis demum eam agnosci et probari: nam fortunam facile sequuntur homines, at *amicus certus in re incertâ cernitur.* Est enim *exigere* nonnunquam examinare, probare, experiri. Sic Ovidius: *Ipsa, quod hae faciant, opus exigit.* Epist. Canaces: *Auctorisque oculis exigeretur opus.* Livius lib. 34.: *Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea, quae Lacedaemone fiunt.* Sic Suetonio: *exigere pondus.*" Haec etsi non improbo, tamen, quia videntur opponi *poscere* et *exigere*, ita potius enarrem, secundum ceteros interpretes: Felicibus amicis fidem praestare decet; infelices autem adjuvare plane oportet viros bonos; tantoque hoc officium majus illo est et sanctius, quanto Exigere plus est quam Poscere.

957. *Citius.* Recte Gron.: „Est elegans ἰδιωτισμὸς, *citius* secundâ collatione, ut *Ocius*, pro quam citissime, statim. (Vide tamen supra ad 404.) Sic in ludo de morte Claudii: *Tum Hercules, Audi me, inquit, tu, et desine fatuari. Venisti huc, ubi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ut tibi alogias excutiam.* Et infra: *Antecesserat jam compendiariâ viâ Narcissus.*

---

*) Non semel f et t litterae confusae. Naevius Lycurgo ap. Non. v. *fervere:* Longe lateque trans nostros fervere, quae sensu cassa restituere mihi videor legendo:

Longe lateque fraus in nostros fervere.

Fraus Lycurgi, quâ Bacchas occidi jussit. Vid. Diod. Sic. 3, 65.

*libertus ad patronum excipiendum, et venienti nitidus, ut erat in balineo, occurrit et ait: Quid dii ad homines? Celerius, inquit Mercurius, et venire nos nuncia."*

962. *Dixi parenti satis.* Ita Flor., et recte, id est ei, quae gaudere debeat, filium in tuto esse. Infuscavere sententiam correctores male feriati, qui fecere *Justae parenti satis*, quod scilicet aptius opponeretur sequentibus *at iratae parum*; cum non intelligerent, longe efficacius per se esse τὸ *parenti*; quod miror neque Gronovium assecutum. Sed is omnino infelicior hoc loco, ut qui etiam dubitet, quo pertineat depravata Florentini scriptura *aaratae*, de quâ cf., quae nos supra ad 877. Cujus loco membranae Burdegalenses apud Delrium: *at injustae*, quae item existimanda emendatio est ejus, qui invenisset *justae*, putidamque verborum concinnitatem sectaretur. Neque Electrae sunt verba *at iratae parum*, ut placere omnibus video; sed gravissime Clytaemnestra et vultuose, ut cum Donato loquar: *At iratae parum* (*dixisti*). *Morieris hodie.* Moriendum ei esse dicit propterea, quod parum iratae sibi dixerit. In sequentibus Fern. et Caj.: *Decedo* ab aris. 975. Caj.: mone*bis*. Τὸ *Etiam* ad iram pertinet. Vide nos ad Plauti Asin. 93, Cas. 520, Curc. 187. — 983. Flor. *obruta* pro *obsita*, solitâ r et s, itemque i et u, litterarum confusione.

1001. *Periisse* Aldus, quo juvantur numeri: nam vulgo: *Perisse.* Ceterum in publicatâ librorum lectione hâc:

Periisse dono feminae, stupro, dolo.

quid sibi velit *dono*, scio cum ignarissimis, malimque *dudum*, quod quam facile commutari cum isto potuerit, supra significavi ad 8--. Donatus ad Terent. Andr. 3, 4, 3: „Adverbia temporis aut certa sunt, ut *hodie*, *cras*; aut incerta, ut *dudum*, *nuper*." Plautus Amph. 2, 1, 65:

Nam ut *dudum* ante lucem a portu me praemisisti domum.

et Aul. 3, 3, 9:

Coctum ego, non vapulatum, *dudum* conductus fui.

Res nota. Dolum Helenae intelliges istum, de quo Virgilius Aen. 6, 510 seqq. Mox *Furiosa* Flor., ceteri: *Furibunda*, quod supra positum 973.

# ANNOTATIONES
## IN HERCULEM OETAEUM.

In argumenti principio Balbus posuit:

Presserat, unde dies terris fragrantibus ardet,
Unde oritur Titan, unde (?) aurea lumina condit,
Et quo (?) bruma rigens adstringit frigore pontum,
Hunc amor indomitis misit sua sub juga flammis:
Namque Iolen etc.

quae nimis juvenilia. Vide notam ad argumentum Troadum.

Versu fabulae 3, Jacobus Gronovius in schedis Dietzianis tentat: *Secura* regna, comparatque infra 794:

Pacata tellus, inquit, et coelum et freta;
Feris subactis omnibus victor redi:
Depone fulmen.

Si offensus eo fuit vir doctus, quod vocativus *Secure* usurpatus hoc loco est pro casu recto, non meminit illorum Persii sat. 3, 27.:

Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum *millesime* ducis,
Censoremve tuum vel quod *trabeate* salutas.

Cf. Vechneri Hellenolex. pag. 242. edit. Heusinger., nos ad Sophoclis Ajac. 674. Ceterum minus rectâ interpunctione libri:

— — protuli pacem tibi,
Quacunque Nereus porrigi terras vetat.
Non est tonandum.

Gravissimis istis verbis *protuli pacem tibi* oratio prior finitur; quod cum per se longe sit efficacius quam vulgata illa ratio, etiam necesse est sic fieri propterea, quod separatis verbis *Quacunque Nereus porrigi terras vetat* a sequentibus *Non est tonandum*, jam nusquam, nec in coelo, nec in terris, tonandum erit Jovi, cum terram tantum se illi securam praestitisse dicat Hercules, deusque et in coelites interdum fulgure sit usus.

7. *Sed mihi coelum, parens, Adhuc negatur?* Mira Sed

conjunctio, ubi expectâris potius *Cur*, *Quid*, vel simile. Saepius confusa *Sed*, *Si*, *Sic*. Legendum itaque puto:

—— Si mihi coelum, parens,
Adhuc negatur: parui certe Jove
Ubique dignus.

Terentius Eun. 5, 2, 26:

—— nam *si* ego digna hâc contumeliâ
Sum maxime: at tu indignus, qui faceres, tamen.

ubi interpres: „Deest *et*, ut sit ordo: Nam *etsi* maxime." Sic passim, et eleganter quidem, eâ particula usurpatur. Fern. et Caj.: Adhuc negatur: parui etc.

16. Jacobus Gron. ubi supra ad 3.: „Ne fuisse quidem in Arcadiâ legitur, neo usquam tradit Seneca. [Oblitus apri Erymanthii est vir doctus. Conf. 981, 1537.] Mirum ni hic aliquid confusum, cum versu 37. sit *Argolicas*. [Cf. 1681.] Fort.: *Non sus* per urbes errat Arcadias. leo et Stymphalis" etc. Imo legendum est *Argolicas*, et eo pertinet Palatinorum aliorumque librorum scriptura *Arcadicas*, siquidem c et g, itemque d et l, litterae saepe confunduntur. Cf. et 419. 20. *κακόφωνοι* Florentini et Delrianorum lectio *fregi* greges. Sublectum videtur *τὸ fregi* infra 56. 28. perstandum erat in antiquâ lectione *infestum*. Non quodcunque tellus genuit, quamvis infesta, occisum est ab Hercule, sed quodcunque *infestam* genuit; quomodo infra dicitur 57: Quidquid *immane* obstitit, Solae manus stravere. Quod habent praestantes codd., *infesta*, ortum puto ex *infestũ*, ut magna est in libris a et u litterarum similitudo. 31. recte *animum* vir summus interpretatur iram Junonis, quâ irâ excitatus heros fuit ad maxima patranda; quamobrem eam sibi negari dicit, tanquam id, quod desideret, quôque aegre careat. Herc. fur. 33:

—— Superat et crescit malis,
*Irâque nostrâ fruitur; in laudes suas*
*Mea vertit odia.* Dum nimis saeva impero:
Patrem probavi, *gloriae feci locum.*

Infra 287: Quidquid est victum tibi, *Hic vincet animus.* Conf. 308 etc.

35. MS. Colon.: *dum terram Hercules habet*, *videtque*, quod non inelegans videbatur Commelino, neque nobis displicet. Id est: habitat, vivitque. 40. nihil mutandum vidit Gron., sed ex proximo versu intelligendum *subditum*, ut faciendum esse pridem senserat Dan. Heinsius, qui sic inter alia ad h. l.: „Quod *τὴν ἅμαξαν* vocat *Scythicam*, more veterum erudite facit, qui *τὰ πρὸς βοῤῥᾶν πάντα Σκυθίας ἐκάλουν*, teste Strabone. Recte igitur Septentrio-

nes *Ursa Scythica.* Et Ovidius, ne vocem Scythiae saepius repeteret, terram Ursae proximam vocavit:

Proxima sideribus tellus Erymanthidos ursae
Me tenet, adstricto terra perusta gelu."

45. recte Gron.: *Intraque* pro *Infraque.* „Longius," inquit, „pertinent metas victoriarum mearum quam metae diei." Miscentur haec vocabula: vid. ad Med. 521.

47. *Laxata per me nox.* Aliud cantant membranae Etruscae, hoc: *Lassata prior est nox.* Prior, quam ego; quae descriptio est victoriae: nam verba haec certaminum *cessit, defecit gradum, lassata est, incucurrit.* Herc. fur. 609:

—— Si placerent tertiae sortis loca,
Regnare potui. *Noctis* aeternae chaos,
Et Nocte quiddam gravius, et tristes deos
Et fata *vici*; morte contemtâ redii.

Chaos ultimum hostem extitisse dicit, sed inde quoque se salvum rediisse. Cf. infra 767.

48. *Inde ad hunc orbem redi, Unde retro nemo.* Gron.: „Flor.: *Unde omne retro est. Omne, τὸ πᾶν*, universum. A quâ parte, quicquid est, retro et longe remotum est. Cui, quicquid est, ab tergo est. Pedo Albinovanus:

Jampridem post terga diem solemque relictum,
Jampridem notis extorres finibus orbis
Per non concessas audaces ire tenebras,
Hesperii metas extremaque littora mundi."

Profecto sic legendum est, nec me movent inepti quidam, qui *omne* pro *omnia* dici negant. *Πᾶν* pro *πάντα* Aeschylus Agam. 731, Soph. Trach. 71, Elect. 982. Pacuvius Dulorestе Rhetor. ad Herenn. lib. 2.:

Sunt autem alii philosophi, qui contra Fortunam negent
Esse ullam, sed temeritatem omne autument regere. Id magis
Veri simile ajunt, quod usus reapse experiundo edocet.

ubi libri: temeritate omnia autument regi. Virgilius, si recte divino, Aen. 6, 33: quin protinus *omne* Perlegerent oculis, non *omnia*, quod a numeris abhorret. Statius Theb. 3, 626: Vobis ventura atque *omne*, quod ultra est, Pandere moestus eo. Vulgata h. l. lectio ferri nullo modo potest, ne polita quidem ab Ascensio, qui dedit: *Nemo unde retro*: nam satis erat dici *Unde nemo*; *τὸ retro* putidum.

51. Flor.: *Pars quota est Perseus mei.* Et sane omnia propemodum sua brevi exsecutus erat Hercules, jamque rectius alius cujusdam facta suis comparasset; et cujus potius quam Persei, qui

totum orbem pervolaverat? Repressi tamen manum, quia infra dicitur de Baccho et Perseo 94. Sequitur corruptus locus, hic:

— quasque devincam, feras
Tellus timet concipere, nec monstra invenit.
Ferae negantur. Hercules monstri loco
Jam coepit esse. quanta nunc fregi mala,
Quot scelera nudus?

Apparet hoc velle Senecam: Tellurem nec feras, nec monstra amplius habere, quae Herculi opponat; sed Herculem ipsum instar monstri esse, ut qui tot bestias sceleratosque nudus vicerit. Quodsi sententiam assecuti sumus, sic fere legendum erit:

— nec monstra invenit
*Feris necatis;* Hercules monstri loco
Jam coepit esse: quanta *enim* fregi mala etc.

Lectionem *Feris necatis* persimilem esse vulgatae, concedent, quicunque norunt codices MSS. *Tò nunc* etiam Delrium male habuit, qui reponebat *confregi.* Sed verisimilior nostra ratio. Gruterus quod a verbis *quanta nunc* aliam partem orationis incipere existimat, fallitur. 69. etiam Fern.: *fugacem*, non *fugatae*, ut vulgo libri. In sequentibus iidem *At ille*, — *et nimbos trahit*, ubi expressi Florentinum. Ejusdem 77. lectio *pejus ac levius Styge* quo pertineat, non habeo dicere: nam de nihilo non esse puto. Sequente versu etiam Ascens.: *Jurata;* sed eâ editione Delrius caruit.

80. Plot.: *Haud astra merui*, et 93: *o quoties.* Neutrum praetulerim vulgatis. Sequentia recte Gronovius interpunxit. At eundem *τὸ ara* codicum defendentem 102. quis ferat? Scripserat Josephus Scaliger: „Quaenam *ara* potest attollere templum? an templa sunt in aris?" Quid ad haec ille? Nempe sic inquit: „*Tolli* et *premere* dicitur, quidquid supra est. *Tollit* igitur *ara templum*, quae templo tegitur, quae in templo est. Miror magnos viros hic haerere potuisse." Et nos rursus te miramur mirantem, Gronovi, neque quidquam ineptius unquam te scripsisse, existimamus. Quanto rectius (de Scaligeri commento *acra* ne dicam) Janus Rutgersius Var. Lect. 2, 6:

Qua templa tollens *acta* Cenaei Jovis etc.

Aeschylus *Κηναίου Διὸς ἀκτὴν* dixit, Sophocles *ἀκτὴν Εὐβοιίδα*, qui et alib sic in Trachiniis:

*Ἀκτή τις ἀμφίκλυστος Εὐβοίας ἄκρον
Κήναιόν ἐστιν.*

Noster infra 839:

Nunc puppis illum *littori Euboïco* refert.

Praetuli tamen *ora*, cum propterea quod similius est vulgato, tum

quia saepius hôc Tragicus utitur, altero ne semel quidem. Non ita raro misceri a et o litteras, monuimus in Vindiciis Ovid. ad Metam. 12, 481. *) Sequente versu MS. Rapheleng.: et una *sic* tellus erit.

105. *fuit.* Finitur, non est amplius. Virgilius: Fuimus Troës. Mox libri:

Illum si medio decipiat ratis
Ponto, cum Borean expulit Africus,
Aut Eurus Zephyrum, cum mare dividunt,
Non puppis lacerae fragmina colligit,
Ut littus medio speret in aequore.

Quae lectio non in eo tantum reprehendenda est, quod τὸ *cum* ineleganter repetitur, sed falsam etiam sententiam habet, siquidem expulsus Zephyrus non amplius scilicet dividit cum Euro mare, sed hic solus tum regnat. Quinam igitur venti dividere dicuntur mare, et quo sensu? Interpres: „Victores," inquit, „venti Eurus et Africus mare scindunt, ejusque sibi dominium vindicant." De voce *dividunt* cavit, ne in alterutram partem peccaret: utrâque enim potestate, quae locum habere potest, simul usurpatam censet, quod ineptum. Sed omnino falsus est, ut qui sic interpretetur, quasi non *Aut*, sed scriptum sit a Senecâ *Atque* Eurus. Quid multa? Nonnihil affectus est locus, legendumque procul dubio *qui* mare dividunt, ut omnes isti intelligantur venti quatuor, quos nominavit: nam hi praecipui et poëtis fere usitati, ut monet Gronovius ad Hippol. 1129. Vel *quimare* pro *quūmare* habuere librarii, ut *cui* pro *cum* Oct. 499, vel *cui* forte pro *qui* scriptum, cum sequens m se agglutinasset, in *cum* mutatum est; quâ de re vidd. J. Gulielmius et interpretes ad Plauti Cas. 449. Hoc unum. Sed haud melius est, quod item legitur h. l. in vulgatis libris:

Non puppis lacerae fragmina colligit,
Ut littus medio speret in aequore.

Qui homo disjectae navis suae fragmenta colligit, non propterea id facit scilicet, ut littus sperare possit mediis in fluctibus, quod ut inveniat, situs terrarum circumjacentium noscendus ei est, sed coagmentare cupit fractas tabulas, ne hauriatur. Bonum itaque *sperat*, quod praebet liber Moguntinensis apud Delrium; deinde repo-

*) Attius Eurysace apud Non. in *squalor i* inusitatam, egregiam, cum legendum sit:

Proh dî immortales, speciem *humanam* invisito
Tam egregiam, indignam clade et squalitudine?

Stat. Theb. 1, 104: Turba minor (*centum* cerastarum!) diri capitis pro hoc: T. minax etc.

nendum *Aut* littus. Periit versûs initialis littera, ut saepe factum deprehenditur in MSS. „Scitur enim," inquit Gruterus infra ad 281, „versuum primam litteram haud etiam adponi solitam a scribis, dum miniatam cupiunt. itaque parum docti unam pro alterâ collocarunt." Ennius Eumenid. apud Non. v. facessere:

Edico, vicisse Orestem: vos ab hoc facessite!

ubi simili vitio libri *Dico*.

123 sequ.

Stamus: nec patriae moenibus heu locus,
At silvis dabitur.

Libri vett.: *Et* silvis. *At* a Scaligero est. Scriptorum nonnulli, item Fern. Caj.: *nunc* pro *nec*, quorum vocabulorum similia in membranis compendia; Florentinus autem, id quod reï caput est: *patriis messibus*; denique Dan. Heinsius: *heic* locus, qui et *nunc* probavit. Hinc concinnata a nobis verba Tragici hoc sensu: Miseros fugis, Mors: nam nos superstites adhuc sumus (*stamus*) miserrimae, et quas satius fuit cecidisse simul cum urbe nostrâ.

138. *vocat*. Cf. Agam. 555. Statim Flor.: *fugit*, non *fluit*, ut vulgo. Recte Gron.: „Nimirum non meminerant *fugere* esse Senecae quocunque motu labi, decurrere, ire, ut *fuga* pro itione; quemadmodum superius notavimus (ad Thyest. 629)." Idem non male ad 160: „Parthi," inquit, „debent intelligi venire, quousque Parthicum patebat imperium Senecae tempore. Multa enim passim talia inspergit suo quam heroum aevo congruentiora. (Et quis poëtarum id non facit?) Quum bello civili inter Tresviros C. R. et occisores Caesaris Hierosolyma caperent et Hyrcanum abducerent Parthi, quantum aberant ab Arabiâ?" Contra assentiri non possum viro doctissimo, 165. reponenti, quod habent libri nonnulli, in his Mog. et Caj., *patuit*. At idem interdum *patere* quod valere et esse. Fateor, sed in re aptâ et cui nihil insit ambigui; quemadmodum *satis patentes divitias* pro satis magnis. Noster De tranquill. cap. 9., et similia passim alii dixerunt. Sed patere vultum alicujus dici, et quidem pro fato, quis ferat? quis tale quid audiens risum teneat? Libri tantum non omnes: *Pro fato potuit*, id est potuit, quantum fatum; valuit instar fati, quae *toû posse* significatio tam trita, quam quod tritissimum. Eam igitur lectionem servemus; idque eo magis, quod statim sequitur Commoda cladibus magnis magna *patent*.

167.

Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges etc.

Ita Ascens. et Flor., inconditâ quidem oratione, et sex verbis continuis sibilo terminatis; quod valde invenustum. Nec meliora, quae

habet Flor. in sequentibus, haec: *Thessalicum stitit aggerem Coeloque*, nisi quod minus placet vulgatum *Thessalicos aggeres*, quia, ut ait Gronovius, e caespitibus constat agger, gigantibus autem pro caespitibus montes erant, e quibus non aggeres, sed aggerem ingentem unum constipavere, e quo in coelum escenderent. Hoc igitur inde arcessivi; ceterum servavi reliquorum librorum lectionem *Qui vastus Briareus, qui* etc., cujus lectionis, modo recte distinctae, optima est sententia.

170. *Commoda cladibus magnis magna patent.* Recte Gron. interpretatur, magnis cladibus patere sive adesse magna commoda: ex ultimis calamitatibus hoc existere commodi, ut nihil sit ultra metuendum. 181. cuncta sua infortunia simul deflere se velle virgo significat, sed unum tantummodo pectus datum sibi esse a tellure, hominum matre; quare digne id facere se non posse. In quibus quid desiderandum videatur viris summis, non intelligo. 184. Florentini *Sipylum* lectius est vulgato *Sipyli*. Sequente versu optimi libri: *fingite, Superi;* tralaticii: *figat, Superi*, meliore quidem metro; sed cf. infra 196, nosque ad Herc. fur. 1064. Versus 187 — 207. ita descripti in vulgatis, male quidem distractis sententiis, cui malo passim medicati sumus:

> Ubi moesta sonat Phaëthontiadum
> Silva sororum. me vel Siculis
> Addite saxis, etc.

quomodo et in fine cantici legitur:

> Regemque pati, vultusque suos
> Variare potest. vires pepulit
> Pondusque mali, casus animo
> Qui tulit aequo.

191. Flor.: *Vel in Edonas ponite silvas*, quod haud scio annon latinum sit, et modo legimus Vel in Eridani *ponite* ripis. Sed idem MS. 216. recte: *queror*, ubi vulgo *querar*, quod nec Gronovio placebat.

229. Nimis secure Gron.: „Flor.: *Felix, quisquis*, ut in Mog. Delrius, in uno suorum invenit Gruterus, qui cetera recte ordinat, *nec de profundiore ulcere suspicari debuit.*" Imo debuit, Gronovi: nam ipse ille, quem laudas, praestans liber Mog.:

> Felix quisquis novit famulum
> Regemque pati, vultusque suos
> Variare potest.
> Patiens quisquis novit famulum
> Regemque pati, pepulit vires
> Pondusque mali casus animo qui tulit aequo.

Habet igitur non minus quam Pall. aliique libri ista *Patiens quisquis*, et habet post altera, quae nunc vulgantur, ut minus rectis addere emendatiora solent librarii; id quod observavi ad Herc fur. 1343. Jam si Flor. et ille Gruteri codex omittunt verba *Patiens* etc., contra vett. edd., in his Fern. Herbipol. Veneti et Ascens., quibus similis scriptorum auctoritas, publicatis istis carent. Quis tantas lites componet? Ratio. Dolore percita, vixque sui compos, mutari in avem Iole optaverat supra 201, felicemque futuram se dixerat, si corpus humanum exuisset. Eam doloris intemperantiam compescens chorus:

Sapiens, inquit, quisquis novit famulum
Regemque pati etc.

nam *Sapiens* legendum vidit Dan. Heinsius, neque *παραφραστέον* cum monacho: „quicunque aequo fert animo, se ex regni culmine in servitutem decidisse, et vultum fortunae scit adaptare.“ Id est: *Patiens* est, quisquis *patitur* etc. Quo quid fingi putidius potest? Facilis profecto sagacissimi Heinsii emendatio, sententia aptissima, denique vox ea, quam prae alterà illà placuisse Tragico credibile sit propterea, quod majorem quam ista vim habet: nam secundum Stoïcos qui sapiens est, idem et felix; non contra. Ceterum pro CAPIENC (id est SAPIENS) forte exaratum puto, litteris inter se permutatis, PACIENS (nam sic fere libri vett., non Patiens), quemadmodum *geret* pro *reget*, *telum* pro *letum*, et similia non raro inveniuntur in codd. vetustis. Quod quidam libri omittunt verba *vultusque suos variare potest*, non magis audiendi sunt quàm Ascensius ejusque hàc ex parte imitatores, qui ditare sibi videntur scilicet poëtam legendo: Pondusque mali (vel *male*), *nec servit inops*, Casus etc. quem ineptissimum pannum unde habeant, eo reddant suadeo corruptores. Dedi autem *Vult. potest var. suos*, elegantiore ordine verborum, qui ordo mutatus saepe est a descriptoribus, velut hoc ipso loco in Palatt. et veteribus edd., cum ab Aldi discesseris, habetur *pepulit vires*, in vulgatis autem *vires pepulit*; a quibus utrisque dissentiens Flor.: *Rapuit vires pondusque mali*, quod lectius vulgato, et recipiendum in ordinem, nisi quod pro *mali* legendum est *malis*, vel *malo* cum Gronovio.

240. Ita Flor. et Lipsian., cum vulgo legant *Parumve claris noctibus sidus micat*, tribus verbis continuis s litterà finitis. Quod 243. scripsi *exilit*, et 256. *exerit*, ubi in vulgatis libris sunt *exsilit*, *exserit*, et similiter alibi dedi *expectare*, *execrabilis*, *exequi*, *exilire* etc. cum veterum librorum auctoritate adductus feci, tum ipsà rei ratione victus, siquidem veteres haec et similia dicebant *esferre*, *ecfligere*, *ecsanguis*, *ecsecrabilis*; recentiores, ubi praepositionem s littera sequebatur, τὸ x supposuere, ut e cs vel gs con-

*Satum.* Priscianus lib. 1.: „X duplicem loco C et S, vel G et S, postea a Graecis inventam, assumsimus, ut Dux, ducis, Rex regis.“ Et Frider. Sylburgius in libello de vetere Romanorum scripturâ: „E consonantibus etiam, quae nunc geminari solent, omittebant alteram, ut *Osa*, *Clase*, pro Ossa, Classe“ etc. Et ista quidem obsoleta; sed illud eripiet nobis nemo, nunquam stante republicâ scripta fuisse *exsequi*, *exspectare* et id genus alia, in quibus eo antiquum servantes geminatae s litterae vastiorem sonum haud dubie vitaverunt. *) Cf. Scioppii Susp. Lect. 2, 21. 247. Flor.: *Attonita fertur*, quae est διττογραφία.

272. *Ego sum noverca.* Fortiter dictum. Id est Sum pro novercâ, habeo animum novercae. Similiter infra 314: *Aderit noverca, quae manus nostras regat, Nec invocata.* Audacius etiam illud est Med. 910: *Quidquid ex illo tuum est, Creusa peperit.* Et ita saepius feliciter audet Noster. Sequitur: *Profer manus quocunque.* Quid hoc sibi vult? aut quid attinet, Junonem manus proferre, et quidem non in Dejaniram (quanquam et hoc ineptum: nam quid opus manibus prolatis, ubi imperare satis est?), sed *quocunque?* Silent interpretes, nisi quod Gron. monet, Florentinum et omnes fere, quos viderit, quibus adde plerosque Pall. et vett. edd., habere *Perfer*, unde Nic. Heinsius fecerit *Fer*, *fer* manus quocunque. Nam Ascensius ita haec interpretatus: „Profer aut perfer; i. e. ad finem usque extende manum, scil. tuam quocunque, i. e. quacunque parte potes,“ fecisset melius, si tacuisset. Corruptus, si quis alius, locus est, et legendum, nisi omnia me fallant; *Perdere Alciden potes: Profer minus quodcunque.* Perdere Herculem jubetur dea, et quidquid jam agere decreverit minus isto facinore tam arduo et glorioso, proferre, id est differre in aliud tempus. A et I litteras permixtas nonnunquam turbare in codd., cum alibi monui, tum in Vindiciis Ovid. ad Met. 12, 481. Cf. infra 339. Pacuvius Chryse apud Non. v. flucti:

—— Interea loci
Flucti flaccescunt, silescunt venti, mollitur mare,

ubi similiter libri: Interea loca.

275. *Reperi.* Id est Excogita, ut recte Lovaniensis. Ad 281, Gron.: „Recte omnino scripti: *Num flamma.* An etiam ignis miscebitur aquae, et Ursae occident? quasi dicat: Perinde istud futurum, ut hoc, id est neutrum unquam. Vide lib. 4. Observ. cap. 11.“ 306. vulgo legitur Non *praeferetur.* Sed modo dixit, praelatam

*) Contrarium pro arbitrio affirmantes me non movent orthographi Caesellius et Papirianus, quos laudat Delrius ad Octav. 833.

esse pellicem; nec sane prohibere mulier potuit, quominus alia sibi praeferretur, sed ulcisci Herculem potuit. Et id se velle significat: nam legendum haud dubie est: *Non perferetur*, id est Non patiar. Saepe mixta in scriptis similia harum praepositionum compendia. Mox libri vulgati: *non erit votis opus*. Imo *erat*, ut alii, in his vett. edd. praeter Aldi. Piget mulierem in auxilium vocatae Junonis, cum ipsa jam parem se sentiat Herculi. „Aderit," inquit, „noverca (id est novercalis et Junone dignus animus, suum autem intelligit) etiam invocata." Male igitur Flor.: *Patres erimus*; male J. F. Gron.: *Pares coimus*; male denique Jacobus in schedis Dietz.: *Par est Erinnys*, ubi Stanlejum laudat ad Aeschylum pag. 736. 308. *Iam cessit ira*. Monet Anglus Anonym. Obss. Misc. I. p. 77. molesta esse *recedit* et *cessit* in duobus versibus continuis ideoque legit: *cecidit ira*. Sed mitiore mutatione scribi posse putat, *iam cessat ira*: accedit annotator batavus. A quibus utrisque dissentiens doctissimus Wüstemannus in schedis quas penes me habeo, minime inepte legendum censet: *resedit* animus, quomodo Cicero dixit: Marcelli impetus resederunt. Horat. Od. III, 3, 30 bellum resedit. Troad. 217. 331. bene Gron. *Illi* videbis, non *Illic*, ut vulgo. 339. Flor.: *inspiciet*, a et i litteris confusis. Vid. supra ad 273. Idem liber 354 *cum staret parens*, quod efficacius vulgato *c. starent lares*. Quod τὸ *nempe* ad anteriora retuli, de eo cf. 333, 564, 367 et grammaticos. 357. Flor. *Vulcumque*, unde Gron.: *Vultumque anilem traxit* etc. Potuitne pejus in adolescentulâ? Faciunt huc, quae ad Phoen. 182. Dan. Heinsius, ubi parum curatam rem metricam exprobrans J. Lipsio: „Sane," inquit, „eximius vir iste beneficio optimi libri *) plurima in autore hoc felicissime emendavit. Sed quae domo adfert, saepe aliud agenti excidisse non dubitamus. Malevoli sit hominis secus putare. Neque aliter de magnis viris loquendum. Quae cum obiter monemus, malevolis praeripimus, ne triumphum propter naevos hominum magnorum ducant, cum virtutes eorum sensu assequi non possint."

365. *famulo*. Flor. Cruser. Cantabrig. apud Isacium Pontanum, item edd. vetustiores, *famula*. Sed recte Gruterus monet, eum, cujus auspiciis aliquid geratur, omnes administros non absurde vocare famulos, quamvis alioquin pares, imo superiores; et opportune

---

*) „Quem habemus," inquit Lipsius in epistolâ ad Raphelengium, animadversionibus in has tragoedias praemissâ, „dono Paulli Melissi, magni vatis." Alterius non meminit codicis MS., sed deterioris, quo item et ipse usus et Raphelengius, qui codex fuit Abrah. Ortelii.

laudat illud Valerii Flacci de Argonautis Jasoni auscultantibus: tacitique sedent ad jussa *ministri*. 371. Nic. Heinsius malebat in *illis* arsit, ut Naso: *quid in hospite — ureris*, et merito deus *arsit in illâ*. 381. recte, ut opinor, Flor. *habet*, non *alit*, ut vulgo legitur. Dictum per hypallagen pro eo quod est Ut silvae vernantes habent formam *altam*, id est conspicuam. Agam. 395:

Telluris *altum* remeat Argolicae decus.

390. Quia sequitur *eripuit*, concinnitatis gratiâ et hic legam: Materque multum *eripuit*. 393. rectissime Dan. Heinsius: „Familiare mendum est, quod obrepsit (vulgatum *vultus*). Scripserat enim: *Cessere cultus penitus*. Nam hoc vult, deesse quidem cultum Iolae, ut captivae; formam tamen etiam sine isto eminere." In eandem sententiam Euripides Orest. 126:

*Ὦ φύσις, ἐν ἀνθρώποισιν ὡς μέγ' εἶ κακόν,*
*Σωτήριόν τε τοῖς καλῶς κεκτημένοις!*
*Εἴδετε, παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθρισεν τρίχας,*
*Σώζουσα κάλλος, ἐστὶ δ' ἡ πάλαι γυνή!*

400. Crux interpretum, quorum commentis haec addere libet Jacobi Gron. in schedis Dietz.: „MS. Flor.: *quaeque mens quicquam deos Orabat ullos*. Unde exsurgit: *Quando mens q. deos O. u.?* Foemina superba errorem et culpam neglecti numinis pro virtute ac laude habet. Infra 1843: *Nil ego a Superis petii Incolume nato* ait Alcmene. Thyest. 888: *Dimitto Superos*. Conf. Herc. fur. 519. Liv. 6, 41: *tanquam jam nihil pace deorum opus sit*. Catull. de phaselo: *Neque ulla vota littoralibus deis Sibi esse facta*. Suoton. Octav. 28: *Fecitque se compotem voti*, ubi vid. Casaub. *Mens* pro *Mens mea*. Thyest. 957, Herc. fur. 651, 1145, Hipp. 179." Ita vir doctissimus. Sed haec sententia neque superioribus neque sequentibus satis convenit. Codex Lips.: *quove* (vel *queve*) *mens quicquam deos*. Flor.: *quaeve* (vel *quaeque* secundum Jacobum Gron.) *mens quicquam deos*. Hinc conjectandum. Et statim quidem apparet, alienum esse istud *mens*. Plauti Truc. 815. MSS.:

— Video eccum, *qui manstutorem* med adoptavit bonis.

Vett. edd.: V. e., qui *meis tut*. etc. Ubi legendum vidimus *qui amans* tutorem, ut ibidem 788 *si aquam* pro vulgato *si quam*, quemadmodum mutila nonnunquam vel a fronte vel in fine vocabula deprehendi monet Gron. infra ad 1181. Ad eam faciem ita corrigam hunc locum:

— cumque (vel, si mavis, *quumque*) amans quidquam deos
Orabat ullos nuribus Argolicis: fui
Mensura voti.

Sententia praeclara: nam et ipsas virgines Argivas sibi optasse dicit thalamos Dejanirae, et cum amans, i. e. amicus, ipsis quidquam optaverit a diis ullis, eandem Dejaniram fuisse mensuram voti. Simillimae in multis codd. litterae a et u. Hinc e τῷ *quūque* cito factum *quăque*, mox *quaeque* vel *quaeve*; truncatum autem *mane* sedulo mutatum est, ut sensu cassum. Sic libri olim depravati. *Mensura voti*, ut *mensura timoris* apud Lucanum 3, 100.

401. *Interim* pro interdum positum esse, monet Freinshem. in indic. Flor. h. v. et est nunc res notissima.

410. Virgil.: *Urbem quam statuo, vestra est.* Petronius, observante Gron.: *Hunc adolescentem quem vides, malo astro natus est.* Vid. idem ad 4 de benef. cap. 32. Sequente versu nihili sunt *viva spolia*, nec placet Gronovii *victa* per hypallagen, qua figurâ non est abutendum. Puto equidem *vulva* forte exaratum pro *fulva*, qui leonum color est, ita degenerasse. Saepe enim confusae f v et b litterae, ut in vulgus notum.

416. *orbe consepto.* Ovidius Met. 1, 30: Circumfluus humor Ultima possedit, solidumque *coërcuit* orbem. Vidd. ibi interpretes et Schroederus ad h. l. Vel intelligendus orbis terrarum coelo circumdatus; quâ de re legendus J. H. Vossius in Epistol. mythol. 27., ubi sic inter alia vir elegantissimus: „Die Dichter mit einigen Naturlehrern beharreten bei der sinnlichen Vorstellung *eines von Bergsäulen getragenen Himmelsgewölbes*, und liessen die Götter auf der Höhe desselben, über der Mitte des Erdkreises, in verschiedenen Pallästen wohnen.“ Alterutro modo haec intelligenda, neque quidquam mutandum censeo.

424.

Unusque Titan vidit *atque unus dies*
Stantem ac cadentem.

Noster lib. 3. de irâ cap. 36.: Totum *diem* meum scrutor. Ubi Gron.: „Notissimo tropo *Dies* pro *Actis Diei*.“ Plura dat Basil. Faber in Thesauro erudit. schol. Et hoc quidem loco rem pro personis dictam accipio, acta pro agente, Hercule, ne quis cavilletur, ipsa acta vidisse acta dici. 446. vulgo legitur: *culpa par odium exigit*. Sed quo tandem modo culpa dicitur odium exigere? Corruptus locus. Atqui Flor.: *culpa propius exigat. Exigat* etiam vett. edd. Repone: Major admisso tuus, Alumna, dolor est, *culpa prope jus. Exigat.* Prope jus esse dicit culpam Herculis, id est juri vicinam, et contractam in re, quem exigere ille possit, utpote more ac consuetudine, quae juri proxima sunt, receptam. Agam. 256:

Feresne thalami victa consortem tui?
At illa nolet. Ultimum est nuptae malum
Palam marita possidens pellex domum.
CLYT. Aegisthe, quid me rursus in praeceps agis,
Iramque flammis jam residentem incitas?
*Permisit aliquid* v i c t o r *in* c a p t a s *sibi?*
Non conjugem hoc respicere, non dominam decet.
*Lex alia solio est, alia privato in toro.*

Qui locus est instar commentarii. 443. recte Ascensius: „Id est: facit ut non sint, sed pereant."

448.

Leve esse credis pellicis nuptae malum?

Imo *pellices*, vel *pellicem* cum Gronovio. Sequente versu plerique omnes libri:

Quidquid dolorem pascit, id nimium puta.

Inepta sententia, siquidem non cujusvis doloris causa nimia cuipiam videatur sano. Cane pejus et angue uxores odisse maritorum concubinas, omnibus in confesso est; idque ipsum dicit h. l. Dejanira, modo mecum reponas secundum Florentinum, qui *hoc* habet pro *id*:

Quidquid dolorem pascit *hunc*, nimium puta. *)

Dolorem hunc, *ζηλοτυπίαν*. Similiter paulo post: *magnus dolor Iratus amor est.*

459.

—— —— Discussi fores.
Umbrae stetistis: et mea jussi prece
Manes loquuntur. sonuit (Flor. *novit*) infernus canis.
Mare, terra, coelum et Tartarus servit mihi.
Nox media solem vidit, et noctem dies.

Quaenam haec est confusio temporum verbalium *stetistis*, *loquuntur*, *sonuit*, *servit*, *vidit?* Insanierit necesse est Seneca, si ita scripsit. Sed non est ita, sed depravata haec sunt, nec ordine suo posita; quae sic mihi videntur legenda esse:

Discussi inferas
Umbras, et estis, ut meâ jussi prece,
Manes, locuti; sonuit infernus canis;
Nox media solem vidit, et noctem dies.
Mare, terra, coelum et Tartarus servit mihi;

---

*) Saepius o et u confusa. Lucanus 2, 567: non tam coeco trahis omnia cursu, Teque nihil, Fortuna, pudet. Sed legendum est; *num* tam — pudet?

Nihilque leges ad meos cantus tenent?
Flectemus illum; carmina invenient iter.

*Fores Taenareas* Hic infra, et similia cum ipse tum alii dixere; *fores* pro iisdem nemo dixit, nec potuit, si intelligi se vellet. Huc accedit importuna *Umbrarum* compellatio, ubi statim inferuntur *Manes*, quorum alterutrum posuisse satis erat. Dedi igitur, facili mutatione, *Discussi inferas umbras*, quae descriptio est caliginosi regni Inferorum. Herc. fur. extremâ: redde me *infernis*, precor, *Umbris* reductum. Infra 1984:

Nunquam *Stygias* fertur ad *umbras*
Inclita virtus.

Herc. fur. 50:

Vidi, ipsa vidi, *nocte discussâ Inferûm*
Et Dite domito, spolia jactantem patri
Fraterna.

Etiam reliquae, a me factae, mutationes minime violentae, neque novum *et* pro *ut*, et contra, scriptum offendere in codd. Sed haec persequi putidum. Dicamus potius cum poëtâ:

—— Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

467. *aut ubi inveniam malum, Cui cedat ille.* Ita Pall. Delriani et quicquid est editionum veterum praeter Aldi, qui nescio quo prolubio obtrusit *cedet*, quod soloecum in re, cujus eventus incertus est. Neque hunc secuti Delrius, Gruterus, Scriverius; secutus est Gronovius; quod mireris, nisi fortasse aberrarunt ejus operae: nam nihil monet. 479. *petis?* Ita Flor.: „nam revera oraverat," inquit Gron. Vulgo: *jubes.* 485. Hunc versum legi etiam Hippol. 602., annotavit Commelinus. 494. Lipsian. et Flor.: Quâ *trepidus* astris. An fuit *intrepidus?* vel *tepidus?* Sequente versu Flor. non *riget*, ut vulgo, sed *rubet*, ut observat Jac. Gron. in schedis Dietz. „Rubet a sole," inquit vir doctus, „ubi non amplius sunt coeli frigora." Et confert infra 782. 503. cum *silvis* pro *ripis* praebuisset Flor., servatâ tamen ceterorum librorum lectione *Jam paene*, rectissime Gron. reposuit *Par paene* s. t. silvis erat, quibus illa comparat Ovidii de Peneo: *summisque adspergine silvis influit.* 506. malim *gerens* propter 502.

513. *Prohibetur undis.* Monachus Lovaniensis: „Scilicet," inquit, „Hercules. Sunt autem haec verba Nessi." At Gruterus: „Imo Nessus prohibetur undis fieri conjux Dejanirae." Sed quomodo undis, qui totus jam iis exiisset? nam de inundatis campis adjacentibus nugae. Nec tamen melior alterius ratio: nam Herculem dici, unde intelligamus? Quid multa? Etiam hic locus corru-

ptus est, ut alii hujus tragoediae non pauci, legendumque, ut opinor: Prohibetur *ulnis*, i. e. brachiis vel manibus Dejanirae oppositis. Horatius epod. 5, 21:

Manum puella savio opponat tuo.

In proximis verba *complexus ferens* parum placent cum propterea, quod τὸ *ferens* salvâ sententiâ abesse potest, tum maxime, quod praecesserunt: in pontum *ferens*, et: dorso *ferens*, nisi hoc quidem loco legendum sit *gerens*, quae vocabula saepe confunduntur. Tentabam itaque *ferus*, id est immanis et a bonis moribus abhorrens, ut qui sic fallat depositum. Vel *ferum gressum*, id est gressum feri sive equi, qualis gressus Centaurorum. Ovidius Met. 12, 211: Nubigenasque *feros* *), et 450: *quadrupedantis* Oecli. Conf. Gron. infra ad 722. 518. Vulgo: *tum* longum, quod betâ languidius. Saepissime *cum* et *tum* confusa. 528. malim Illit*am* vest*em*, ne τὸ *s* frequentius sit hoc versu. Contra, litteram mugientem fugiens, 537. dedi secundum vett. edd.: nitent*es* vest*es*, ubi vulgo singularis numerus.

538. *tactu intimas.* A Lipsio est, qui invenerat *tactus imas*. Ceteri libri fere *tactus sinus*, Flor. *tacitus mas*, Heinsianus major *tacitus imas*. Legendum puto: et *tectissimas* intret medullas. Vox aptissima et Ciceroniana, ductus litterarum persimiles. Conf. infra 1261 seqq. 542. Flor.: *Te deprecor*, et altero post versu: *te aliger*. 543. soloecum est, quod libri habent, *quatit*. Scio plures ejusmodi locos esse in scriptoribus; sed corrigendos omnes esse ajo. Mox nollem codici Flor. Gronovius obtemperasset, praeferenti *ex umero*, unde ille *ex humero*, id est, inquit, „ex parte coryti sive pharetrae, quae maxime humerum tuum gravat, quia graviores sagittas continet.“ Certe hoc ipso Senecâ affectatius. 553. vulgo: *fronte subitâ*, quasi frontem antea deus non habuisset. Secutus itaque sum Ascensium. Flor.: *rabidam*. Eundem codicem expressi 562, ubi plerique omnes libri: *Tu, qui noverca es g. i. d.*, et vett. edd., cum ab Aldi discesseris: *Tu qui noverca gravior*. Probavit etiam Gron. Cur igitur in notam relegavit? Nam ipsa sententia requirit, quae haec est, Cupidinem vicisse Jovem, vicisse Plutonem, eidemque ob id ipsum (*Tuque*, id est Tu quoque) et Herculem jam esse vincendum, illis comparandum. Cf. infra 751. Etiam *et vince* Flor., non *evince*, ut ceteri. Sed 569.

*) Ἀγρίους, usitato apud Veteres cognomine Centaurorum, ut docet Clar. C. F. Heinrich in libello, qui sic inscriptus est: Demonstratio et restitutio loci corrupti in Platonis Protagora. Kil. 1813. 4. pagg. 24.

cum idem liber habeat *Celanda vis est dira, ne pateat, doli*, reliqui autem codd. fere dent *C. vis est: illa ne pateant mala*, τὸ *dira* quidem facile admitto, nec sperno *doli*, etsi usitatum in magicis τὸ *malum* (cf. supra 492, 525, 567), quia hoc modo legimus; sed conjungere *vis* et *doli* non sustineo, sed seorsim *vis* accipiendum esse dico, quod vocabulum idem ac *malum* sonat veneficii. 564. Prolata *vis* est. Med. 846: Peracta *vis* est omnis. Cf. infra 826. Papinius Theb. 2, 283: quae pessima ceston Vis probat. Celandum dicit Lichae veneficium, ne forte utentis eo Dejanirae doli aperiantur Herculi a ministro fido. 575. Flor.: *Dum* poscit; sed rectius vulgatum. 579. idem *cinctus*, ut Horatius. Vid. Gron. Etiam 583. melius Etruscus *lugendam vicem*, non *lugendas vices*, ut vulgo, quemadmodum *dolere nostram* et *aliorum vicem* dici monet Gron.

590. vulgo: *rapido*, sed Flor.: *rupto fonte*, quod recipiens in ordinem Gron.: „quasi," inquit, „reseratis claustris," et comparat Ovidii Met. 1, 278 seqq., quae vix, et ne vix quidem, huc pertinent. Legendum procul dubio: *rupto ponte*. Plancus apud Ciceronem Epist. fam. 10, 23. *Interrupi* pontes. Hic simplex pro composito. Med. 584: properatque torrens Ister, *et junctos vetat esse pontes*. Non ita raro p et f litterae confusae.

600. *claudit*. Id est includit, in se continet, congregatos habet ἐν μυστοδόκῳ δόμῳ, ut ait Aristophanes Nub. 303, sive in sacello secreto et profanis clauso. 628. Hebro fluvio Thracia significatur, quae magna ex parte fertilis et optandum cuivis regnum; id quod ipse fatetur Delrius. Apage igitur ejusdem *Hermum*, quem si ponere h. l. Tragicus voluisset, commemorasset simul cum Lydiâ, non demum mentione factâ Hispaniae et Tagi. Aurifer quidem non magis Hebrus quam Ganges. Sequ. versu Flor.: *jungat*. 633. eundem intelligo, de quo supra dictum 622: Cupit hic *gazis* implere famem: nam eodem pertinet, quod hic legitur: Solas optat, quas *ponat*, opes, „id est," inquit Gronovius, „recondat ac mille arcis strangulet, nec ipsi nec cuiquam alii utiles." Recte autem vir doctissimus *ponat* legi jussit secundum Flor., qui *ponit*, ubi vulgo, litterâ p forte versâ, *donet*, quod abhorret a sententiâ. *gemmiferi* — *Istri*. Displicet Anglo Obss. misc. T. 1. p. 77. coniicienti *g. Indi*. N. Heins. advers. I, 5 malit *Austri* vel *Euri*. Heringa quoque Obss. cr. 32. p. 290 *Austri*. 633. edd. vett. *reges*, recentiores quaedam: *regem*, quod ferrem, si sequeretur *regisque* lares. 639. Flor. Fern. Caj. *alios*, non *aliquos*, ut vulgo, quo frigidius fingi nihil potest. Jungenda verba *omnes alios*. *Ducere* somnos i. e. invitare, arcessere. Illustrat haec locutionem Gron. Obss. II, 1.

p. 210. Broukh. ad Prop. El. I, 14, 9. Cf. Hippol. 512. 652. idem liber: *lenior* unda est. *Διττογραφία*, ut opinor. 702. Flor. *Maenas*, Heins. major: *mennas*, quod idem valet. Sed libri ceteri *Thyas*, quod minus tritum, cujusque illud glossema esse arbitror. In sequentibus Lipsian. et Flor. *medio* pro *rapido*; Heins. major a manu prima: *gravido*, unde Raphel. et Gron.: *trepido*.

719. Legendum censeo: *ut* fraudem struit, id est *postquam*: Timuit Dejanirae animus conscius sibi fraudis, quam struit. Saepe confusa haec vocabula. Vel secundum Ascens. et Ald., quae *astruit*, reponamus: *et*, *fraudem an struat*, Libet experiri. Nihil melius reperio. Gron., si quaeris: *et fraudem strui* („nempe," inquit, „ab ipso Nesso, qui quasi philtrum hoc ei commendaverat"); Grotius: *et fraudem arguit*. 722. recte, ut opinor, Flor.: *dolus*, ubi ceteri libri: *deus*, quod frustra defensum eunt. Ipse se prodidit dolus, fraudulentum esse. Cf. 934. Mox legendum: *Lassabat*. Ardor solis non laxat, sed lassat homines. Hercule furente primâ recte dicitur, sed longe alio sensu, *laxatur dies*. 728. Flor. et unus Palat.: *comam* T. *astris*. *Comam* etiam Fern. et Caj. Legendum, si quid video: *et Phoebi sonat Tepefactus astro*. *Sonat*: stridet, dum fervet ab ardore. S et C litteras misceri in libris, nemo nescit. Vide nos ad Plauti Capt. prol. 3, Poen. 370, et in Vindiciis Ovid. ad Met. 4, 376. 736. Flor. et Lipsian.: *comas*. Sequenti versu praeponitur in vulgatis 739, legiturque ibi: Dumque *ipsa*. Utrumque falsum. Et *ipsa* quidem prorsus alienum, saepeque haec pronomina confunduntur. Sed neque separandus versus 736. ab istis *Quin ipsa* etc., siquidem haec una res est, cujus singulae partes languens vellus, terra spumans, labantia omnia contacta. De quibus cunctis Dejanira: „Dum," inquit, „*ista* miror, causa mirandi perit;" id est: corrosa omnia evanescunt.

739.

Tumensque tacita sequitur, et quassat caput.

Affectus locus. Fuit cum cogitarem de deâ Tacitâ, cujus cum alii meminere, tum Ovidius Fast. 2, 271 seqq. Sed recte Lipsius de Nutrice haec dicta censet, quae cum filio, ut ait, superveniebat moesto moesta. Legendum censeo:

Dumque ista miror, causa mirandi perit.
Gnatum paventem cerno, et ardenti pede
Gressus ferentem. Prome, quid portes novi!
Timens quid ista sequitur, et quassat caput?

Ista, nutrix, quam monstrat digito. Simillimae a et d litterae in scriptis. Hinc accidisse puto, ut pro *quidista* forte exaratum *quiaista* porro mutaretur in *quitaista*, *quitacita*, quod ἄμετρον cor-

rector aliquis polivit. *Timensque* Mog. et Veneti. Flor.: *Tamensque tacita quassat caput*, omisso *sequitur*, per oscitantiam, puto, descriptoris.

744.

Terris, *freto*, sideribus, *Oceano*, Inferis.

Cave ταυτολογίαν putes. *Fretum* non mare hoc loco dicitur, sed proprie significat angustias maris Hispaniam inter et Africam, Caspium mare et Oceanum Scythicum, Europam et Asiam, sive Hellespontum, aliasque, de quibus vidd. Mela et geographi. Accipiendus singularis numerus pro plurali. Nec nolim tamen, τῷ *freto* accepto pro mari, ut passim: *oceano infero*. Infra 1073: *Inferni* ratis *aequoris*. Mox haereo in verbis *delubra praeclusa omnia:* nam si Junonis templa patent Dejanirae, ut dicit, quomodo eidem praeclusa sunt delubra *omnia?* Legendum videtur:

—— Templa Junonis pete.
Haec *nisi* patent, delubra praeclusa omnia.

Mog.: del. *recluso* o. 753. *nescio qua*. Ita Flor., ut legendum viderat Raphelengius. Male Avantius, et qui secuti eum sunt, Delrius, Scriverius, alii: *Nessea*, cum ne per umbram quidem suspicionis constare possit Hyllo de cruore Nessi, ut recte monet Heidelbergensis criticus. 759. eundem codicem expressi, cum vulgo legatur: *N. s. moeres. Hercules toto* etc., nisi quod Ascens.: *toti*, quod fortasse rectius. Certe 762. minime ineleganter Ascensius: Hunc *ejulatum*, ubi vulgo: *ejulatu*. 764. libri: Luctum occupasti prima. non sola H. Interpunctionem correxit Jac. Gron. in schedis Dietz. 779. Flor.: *Ipsas colus*, quod efficacius lectiusque vulgato *Ipsa colos*. *Colus* pro *colos* ubique iste liber, ut monet Gron. 771. Mog.: *stuuet* peragere, quod *stupet* esse suspicatur Delrius. Sed τὸ s se agglutinasse puto ex nomine Herculis. 777. etiam Ald.: *latere*. 789. Libri *tunc*, ut etiam 808 et passim, sine discrimine. Sed vid. J. H. Vossius ad Tib. 1, 1, 21., ubi sic vir praestantissimus: „Der Dichter Regel lautete so: Vor einem Mitlauter und mehreren steht *tum;* vor einem Vokal darf das schwächere *tum* zerfliessen, wie Hor. Sat. 1, 2, 97, multae tibi *tum* officient res; statt des nachdrücklichen nimmt man *tunc*. Zum Beispiel Virg. Landb. 1, 136 ff. *Tunc* alnos, *tum* stellis, *Tum* laqueis" etc. Nulla in hoc genere auctoritas librorum.

795. Post breve intervallum temporis subjecta haec superioribus existimanda, ne mireris iteratum *inquit*. Conf. infra 1649 — 1664. Ovidius Met. 6, 280:

Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,
Pascere, *ait*, satiaque meo tua pignora luctu! —
Corque ferum satia, *dixit*.

ad quem locum vide a nobis monita in Vindiciis Ovid. 799. *fugax*. Recte Gruterus: „Apage nonnullorum (Raphel.) *ferox*. — Virgil. lib. 2. Aen.:

Clamores simul horrendos ad sidera tollit,
Quales mugitus, *fugit* cum saucius aras,
Taurus, et insertam excussit cervice securim."

804. *vasta*. Ingens, magna, Strabo, laudante Gron., lib. 10. urbem Chalcidem semper habuisse dicit *μέγα ἀξίωμα καὶ πρὸς πόλεμον καὶ πρὸς εἰρήνην*. Ibidem parum placet *voces*, quod est in proximis. An fuit: et Cyclas *vices* Excepit omnes, id est vices vocum repercussarum? Certe sic erratum initio comoediae, quae inscripta Querulus: vid. Annotatt. nostras in Plautum pag. 835. Mox Flor.: *sequitur et quaerit;* altero autem ab hoc versu rectissime: et *parvum* sui, non *parum*, ut vulgo. Vid. ad Med. 293. *Paulum* habebat liber quidam Delrii. 815. Flor.: *H. vicit Lichas*. Videtur haec correctio ejus, qui repetitionem ejusdem verbi non ferendam esse arbitraretur. Sed cf. infra 1517 sequ., nec desunt similes alii poëtarum loci, et quidem efficacissimi. 822. nisi *tela* interpreteris *ista tela*, sagittas, quas dixit, exhibebit tibi vox negotium, quia non quodvis scilicet telum vel jacitur, vel adeo leve est, ut comparari cum Lichâ abjecto possit. Legam igitur *Ea* tela fugient, vel, quod malim, Et *illa* (arundo) fugiet, quae vulgatae simillima lectioni. Statim Flor.: In saxa *versus*, unde Gron.: *vertex*, caput.

826. *Vix pestem indicat, Et saevit.* Apage istud *Vix!* Non vix, sed plane, indicaverat Hercules, gravissimo se malo premi. Omnino autem displicent verba *Vix pestem indicant*, nec iis, quae jam locutus Hercules est, recte dicatur significare pestem istam labentem. Reliquerat, opinor, Tragicus:

In me juvat saevire: *vis pestem incitat.*

Saeviendum sibi in se ipsum Hercules putat propterea, quod non eum esse hunc morbum sentit, cui medicari quis se posse speret, sed vi (magicâ: vid. supra ad 569) incitatum, cui remedium praeter mortem nullum inveniat. De *vis* pro *vix* a me reposito vid. nota sequens. Pro *incitat* scriptum *inticat*, mox *indicat*, ut *civisatque* pro *civitasque* Herc. fur. 268, ubi plura ejusmodi errata adscripsimus. 834. quod suadet Gron., *Sed causa tamen est visque sufficiens malo*, contrariam atque ipse vult sententiam habet. *Sufficiens malis* is, qui par malis est, dicitur Curtio 8, 4, 10, similiaque passim alii usurpaverunt. Recte igitur se habet *τελεία ὑποστιγμὴ* post *tamen est*, et de Herculo accipienda verba *Vixque sufficiens malo*. Non quidem apparere dicitur causa istius cladis, sed subesse tamen certissime. 842. vulgo Dejanirae tribuitur, quasi deliquium animi passae. Sed in *λειποψυχίᾳ* non loquuntur. Recte

itaque Lovaniensis secundum vett. edd.: „Ipsum Herculem relinquit animus, vires deserunt, paulatim emoritur.“ Sophocles Trach. 791:

*Τοσαῦτ' ἐπισκήψαντος, ἐν μέσῳ σκάφει*
*Θέντες σφε, πρὸς γῆν τήνδ' ἐκέλσαμεν μόλις,*
*Βρυχώμενον σπασμοῖσι· καί νιν αὐτίκα*
*Ἢ ζῶντ' ἐσόψεσθ', ἢ τεθνηκότ' ἀρτίως.*

855. Vulgo: *perdidi erepto Hercule*. Sed Lipsian. et Flor.: *p. sola Herculem*. Voluerunt haud dubie: *perdidi in solo Hercule et ipsa populos*. Perdiderat Phaëthon populos, sive humanum genus. Idem se admisisse dicit Dejanira, dum unum Herculem perdiderit. Nihil planius, nec reponendum cum Gronovio: *Perdidi haud solum Herculem, Et ipsa populos*. 858. *Haec erit voto manus*. Lipsius: „Cur necem aliunde, inquit, petam? dabit haec manus, et expleverit votum. a me eam capiam.“ Et Gron.: „Id est: pro voto.“ Infra 1298: *semper haec nobis manus Votum spopondit*. 868. signum interrogandi apponendum duxi secundum Fern. Mox Ortelian.: *Colligite, gentes, saxa*. Raphelengius: *Conjicite*. 873. solità confusione Flor.: nulla *non* cesset. 888. Gron.: *ut parcat sibi*. Nic. Heinsius: *Quicunque fata incessit*. Sed infra demum agitur de fato 902 sequ. Hoc loco is reprehenditur, qui aliquid in se admissum excusare studet, sibique parcit. Recte igitur, qui *facto*; in quibus Delrius. Cf. 907. 893. vulgo: Vitam relinques misera. *Dejan*. At Alciden sequar. Sed Flor. et omnes libri vett. Delrii: *ut* Alciden; praeterea Flor.: *miseram*, unde concinnans nostram lectionem Gron.: „Ita,“ inquit, „duplex ponat pretium relinquendi.“ 898. libri publicati: *Virum sequeris?* tanquam mortuo jam Hercule, cum modo dixerit mulier, adhuc eum superesse. Imo legendum: Virum sequéris, quae sunt civiliter imperantis. Jubet eam sequi Herculem, quem superstitem credit. Sed Dejanira: Non, inquit, sequi, sed praegredi castae solent, ut Alcestis.

900. Explicat Gron.: „Recte dicis: ideo sumere debeo, quia me convictam intelligo et damno: nec quisquam est noxius, quin se ipse condemnet, quin debere supplicium agnoscat. Nimirum apud conscientiae tribunal se judice nemo nocens absolvitur, ut canit Juvenalis.“ Minime quidem mala haec interpretatio, nisi quod multi sunt, qui culpam praestare se posse putant, quae in eos merito confertur. Quare magis probo reliquorum librorum (nam ita, ut editum, solus Flor.) lectionem *irrogat*, ut neminem, qui sit nocens et malus, culpam fateri suam dicat Dejanira, sed negare quidquam se commeruisse aut peccasse. Sed omnium optime placet Raphelengius, qui legit *innocens*, quae sententia nec lusca est et ea,

quâ aptiorem aliam non excogites, modo et hunc versum des nutrici. 903. Vulgo non distinguitur post *sortitus*, quasi is fata sua damnare diceretur, qui fata iniqua sortitus fugeret; quod ineptum. *Sortitus*: sortitus est.

932. *pluribus venia obfuit.* Egregia Hugonis Grotii emendatio, cum vulgo legatur sententiâ obscurâ: *Sed saepe donum in pluribus veniae fuit.* Flor. nihil juvabat, nisi quod aberat praepositio. 949. auscultaverunt Raphelengio, reponenti *Vacat*, cum simile hoc crederet illius in Hercule furente: *Deest una numero Danaïs: explebo nefas.* Omnes libri tam scripti, quam impressi, *Vacet*, quam lectionem declarans recte Delrius: „Jubet," inquit, „earum unam, quae labore irrito aquam hauriebant, vacare: se obituram vices ejus. Illa, quae numero deerat quinquagesima, non vacat: nunquam apud Inferos cum sororibus forato vase undas, quas perderet, repetiit." 961. Flor.: *bella cum ferro.* Gron.: „Lege *Belis in ferro.* Vide ad lib. 1. Achill. Statii v. 558." 971. eaedem membranae: *Lux illa sistat exigat*, unde Gron.: *Lux illa restat, quae exigat poenas tibi, Reddamque vitam.* Vel *Lux ista satis est.* Sed retinendum potius *sistat.* Thyest. 744, ex ejusdem codicis fide: Hactenus *sistat* nefas, Pius est, quem locum comparat etiam Jac. Gron. in schedis Dietz. 976. pedestre est, quod legitur, teque *languenti manu* Non audit arcus, id est ob languentem manum. Malim sane: *languentem manu.* Statim libri omnes *Animosa.* Placuit *Animose* Lipsio. Sed recte Grut.: „Cur," inquit, „minus placeat *Animose conjux*, malimque librorum scripturam, est quod non videam, cur ita compellare debeat maritum adeo viribus defectum, ut vix mortem feminae inferat. at se *animosam* jure dicat, quod ultro morti ipsi incurrat, nihil refugiens, ut solent mulieres. Sic et infra eadem v. 994: mater *intrepidum* tibi Praebebit *animum.*"

982. Flor.: *Et quidquid aliud cessit. ab illis tamen, Conjux, redisti.* „Id est: succubuit tibi," inquit Gron. „Sed excidit syllaba. Videtur fuisse: Et q. a. cessit. *et* ab illis tamen." At posterius illud *et* nullam omnino vim habet. Nec tamen melius, qui itidem metri, ut videtur, gratiâ fecere: *restitit.* Legendum, nisi omnia me fallant:

Et quidquid aliud cessit. *A bellis* tamen,
Conjux, redisti.

Bella Herculis opus. Ipse Herc. fur. 638: Me *bella* poscunt. Cf. ibidem 211. Et sic passim. A bellis, inquit, quamvis periculosis, tamen semper rediisti; quidni a sacrificio? Vitium ortum e scripturâ continuâ. Sequente versu Gron. in praefatione: *Error hic cul-*

*pa vacat.* Sed nihil opus. 986. idem secundum Flor.: *Trepida* quid etc., sed suavior vulgatae sonus. 990. recte Gron. l. l. *Quam luce.* „Non tantum," inquit, „decus te ex Hercule pariendo tribui, quantum eripui occidendo patrem." Et sane hoc voluit poëta.

1007. Vulgo: *poscit Alcides. dabo.* Secuti hic quoque summus Florentinum, ut locis omnibus, in quibus vulgatà vel meliorem lectionem, vel certe non deteriorem, habet. Sequente versu idem liber: Jamne Inferorum, *Dira;* sed furiam dici Diram, quemadmodum furias Diras, haud memini. In proximis τὸ *diras* corruptum fatetur Gron., tentatque *apertas,* aut *laxas.* Sed neque *carceris* emendatum, nam *carcer* per se nusquam significat regnum Inferorum, nec potest. Sublectum infra 1142. Reponendum censeo:

Sed *en! reclusas Tartari* video fores.

Nihil frequentius c r s et t, itemque i et u, litteris inter se commutatis, nec raro cl in d transiit. Quid mirum, exarari coepisse *sedencedisastartari*, mox factum esse *sedeccediras carcari*, tum *carceris?* 1012. Flor.: *Membra quis queritur rotae?* quod mihi videtur elegantissimum, ut Ixion dicatur queri membra sua apud ipsam rotam, ad quam religatus est, quoniam nemo adest, quem compellet, quique ipsum vicissim alloquatur. Sordent prae his vulgata, nec placet, quod Nic. Heinsio: *membra quis teritur rotâ?* Sequente versu cur *stetisse* potius quam *stare* dicatur Tisiphone, causam vix reperias. Judicem agit, ut quae *causam* (id est rationem momentaque sceleris) *reposcat*, seu poscat (vid. Ernest. clav. Cic. v. Reposcere). Judicum autem est *sedere* (Herc. fur. 581 etc.). Sed alienum hoc a furiâ inquietâ. Legendum itaque censeo *exstitit. Reposcit* Flor. et 1024.: *Herculem in terris,* ubi vulgo codd.: *Herculem terris.* Illius lectionis nativus quidem color est. 1029. male interpungitur: *si mori pateris tamen, In matre peccas.* 1031 itidem bene Flor. Inh. t. est, *verum* et eripiam scelus. *Verum* scelus vocat, quod sciens admittit, cum Herculem nesciens occiderit. Quid ad hoc vulgatum: *pergam et eripiam scelus?*

1039.

Oblitusque sequi fugam
Amisit liquor impetum.

Ita Flor., quod ante vulgatae lectioni *fugas* praeferunt, Lipsiique emendationem *fugax* ambiguis accensent, quasi non centies s pro x, et contra, scriptum legeretur in codd., neque satis appareret, Nostrum ob oculos habuisse illud Horatii Od. 2, 3, 11: et obliquo laborat *Lympha fugax* trepidare rivo. Nam ut demus illis, *fugam* dici solere Tragico motum seu cursum, quid tum postea? aut

quid diversi habent *oblivisci fugam sequi*, id est cursum, et *amittere impetum?* Perparvum sane interest. Melius haud dubie *fugax*. Sed ne hoc quidem reponendo defungi licet: nam qui *sequi cessat*, is utique *impetum amisit*. Alterum igitur horum posuisse sufficiebat, neque pro sano habendus locus est, sed legendum, si quid video, *Oblitusque sui*. Pro *sui* forte exaratum *seci* in *sequi* videtur transiisse, quemadmodum c et qu misceri constat. Torrentes, rivos, fluvios denique pariter moratus esse Orpheus dicitur, 1051. ineptum est, quod obtrudunt, hoc:

> Et juxta Rhodopen stetit
> Laxatâ nive cantibus.

Egregios vero cantus, quibus nix liquescat! Cf. infra 1287. Quanto modestius Claudianus apud Delrium:

> Porrexit Rhodope sitientes carmina rupes,
> *Excussit* gelidas *pronior* Ossa *nives*.

Atqui praebuerant aliqui Pall. *candidus*. Quanti erat facere:

> Et juxta Rhodopen stetit
> Laxatam nive candidus.

Horatius, quem in melicis sectatur Noster, Od. 1, 9: Vides, ut altâ stêt *nive candidum* Soracte. *Laxatam*, requiescentem, et cantu delectatam. Herc. fur. 476:

> Post multa virtus opera *laxari* solet.

1041. Dum flumina Orpheus moratur ea, quae in Hebrum effundi solent, ipse Hebrus desiccatus esse visus Thracibus.

1055. *cantus*. Modo legimus *cantibus*, legemus infra *Cantu*, *cantus*, *Cantûs*, *cantibus*, denique *cecinit* 1093. Adeone inopem verborum vel Senecam esse, vel ipsam linguam latinam? Cave credas; sed et hoc loco et 1072 *carmen* vel simile aliquid fuisse arbitror in autographo, quemadmodum Herc. fur. 590 vulgo legitur *cantibus*, sed in Florentino: *carmine* etc. Cf. infra 1081. Ceterum ille codex: Ad cantus veniunt *tuos*, sed non placet. Idem 1067. non *Movit*, ut vulgo, sed *Vidit*. „Recte," inquit Gron. „*Tristes* intellige, non ut omnia Inferorum *tristia* dicuntur, sed cantu flebili tristes." Audio; sed quid fiet τῷ *Tartara*? nam intelligere ἀπὸ κοινοῦ *tristia* duriusculum. Reponendum puto *Vicit*, cujus interpretatio est *Movit*. Herc. fur. 582:

> Tandem mortis ait *Vincimur* arbiter.

et 590:

> Quae *vinci* potuit regia cantibus,
> Haec vinci poterit regia viribus.

Cf. hoc ipso loco 1070 et 1082. Mox Ascens. Dum *cantu*, Ortel. *volucrem*. Sed cf. Thyest. 10.

minas ipsius, ut mortem oppeteret." Frustra itaque Gron.: *cadere potui feminae*, quomodo jactet apud Tacitum Arminius, tres sibi legiones succubuisse. 1184. Gruterus non ineleganter: *Sin nimis.* 1187. Gron.: *Hic gravior tibi, Noverca, pudor est.* Non improbo, malim tamen: *Hic g. tuo, N., p. est:* ut suum ipsius nunc pudorem graviorem dicat, quam Junonis ob superatum hunquam a se Herculem. Quod dat Flor.: Quid diem hunc *talem* putas, videtur *σφάλμα* librarii, alteram pro alterâ litteram perscribentis, quemadmodum alibi *geret* pro *reget*, *leto* pro *telo* et similia leguntur, de quibus vide annotata ad Herc. fur. 268. 1191. plane assentior Grutero, legendum esse *furebas* potius quam *ferebas.* Minime id tulit Juno, sed impatiens erat ejusmodi ignominiae, sibi ab homine illatae. Herc. fur. 108.: nobis prius *Insaniendum* est.

1200. vulgo: *Ditis* evici moras. Flor.: *lucis erui* m.; sed vitiosum *erui*, nec placet Gronovii *emerui.* Retinendum est *evici*, *moras* interpretandum obstacula, quibus impeditus erat Hercules, quominus ad lucem mundumque superum rediret, quae tamen omnia perrupit. Sequente versu recte Flor. et Lipsian.: *ut telo inclitae Mortis carerem*, nisi quod legendum potius *inclito* cum Gronovio. Sic plane supra, ut monet vir doctissimus, 1167: *haud meae telum necis Saxum est*, et superius: *quidquid ad mortem trahit, Telum est abunde.* Statim vulgati libri: *o ferae victae, o ferae*, quod putidum. Flor. et Cajet.: o ferae *victae*, *ferae.* Legendum ajo: *O feri victi et ferae!* Feros reges vel latrones et feras fudit Hercules; neque agnominatio inepta. Cf. 1242, 1296 etc. Mox vulgatum Ad Styga *reduxit* etsi ferri potest, ut *subducere* illud Lucani 2, 492, tamen non est pro immani feritate Cerberi, nec dubito quin legendum sit *retraxit.* Origo fraudis d et t litterarum vicinitas. Naevius incert. trag. ap. Non. v. promicare:

—— Si quidem vis loqui,
Non pertacere muta, longe promicanda oratio est.

ubi inepte libri: *Non perdocere multa.* 1206. *gemina serpens* non significat angues istos duo, quos a Junone immissos elisit infans Hercules. Intelliguntur hydra Lernaea et draco Hesperius. Cf. locum ex Attii Trachiniis apud Cic. Tusc. 2, 8. 1211. non *Capit*, sed dedit Tragicus *Cupis*, ut colligas ex sequentibus 1215. et 1219. Proximo versu facimus cum Florentino: nam in vulgatis est: Vastâ *pressus mole gigantum.* qui elumbis versus. 1213. nos quoque legendum arbitramur *montiferum*, quia confundi solent, etiam ab Hoc ipso, gigantes cum Titanibus. Vid infr. 1310. Alioqui rectior esset Moguntini, Eguiani et sex Palatinorum lectio *mortiferum.*

Vett. edd. *monstriferum*. Ceterum non simul scilicet omnia haec Hercules optavit: quare legendum *Vel* mont. T. p., Rabidaevo.

1215. sanum non est, quod conspicitur in libris: *Si* tua causa est miseranda *necis*. Flor.: *Sed* t. c. e. m. *majus*. Ocius reponamus:

> Sed tua causa est miseranda magis,
> Quod nulla fera est etc.

sententiâ praeclarâ, quam non assecutus (quod mirere) Gron. frustra turbat. 1217. male idem codex, errore tralaticio: *Nam* quis etc. Sequente versu melius haud dubie Ascensii *tua* quam vulgatum *tui*, quod ne latinum quidem est. Simili errore infra 1243. Fern. et Caj.: haec moles *mei* est. 1222 seqq. ineptissima est vulgata leotio, nec juvat Florentini *Tumidi decus pulmonis;* sed ipsa res clamat reponendum esse:

> —— Sanguinis quondam capax
> Tumidi *ecce! cor* pulmonis arentes fibras
> *Destituit;* ardet felle siccato jecur,
> Totumque lentus sanguinem *adfecit* vapor.

Pulmonis distentionem sentire Hercules non poterat; poterat pulsum debilitatum, a quo recte conjicit arentes destitui pulmonis fibras. Ergo rectum est *Destituit*. Nec me explet Gronovii *excoxit*. Celsus 4, 7: pulmo totus *adficitur* etc. Scriptum *afecit*, *avecit*, *avexit*. Statim *aditum* Flor., non *aditus*. 1238. Flor. Lips.: *depulit*, Mog. *retulit*, Eguian. *abstulit*. Sed recte Gron. comparat illud Statii Theb. 10.:

> Nullaque tectorum subit ad fastigia, quae non
> Deferat hasta virum.

1241. itidem recte vir praestantissimus *emisit*, ubi vulgo legitur *elisit*. „Imo," inquit, fretum elisit Calpen, et per eam sibi pervium fecit juvante Hercule." 1245. etiam Flor., ut editum a nobis est; nam vulgo: *C. r.? cujus o custos manu* etc. Sequente versu libri triviales: *o vires prius in me sepultae*, Lipsian. et Flor.: *ubi* vires etc. Sed quo pertinet istud *prius?* Gron.: *ubi vires prius Memet sepultae?* Non persuadet. Reliquisse poëtam censeo: ubi vires *patris* in me sepultae? Hinc addit: Quid *patrem* adpello Jovem? nam nimis remotus 1235. Ceterum conf. annotata infra ad 1514.

1256. recte Ascens. *es*, ubi vulgo *est*. 1263. libri fere *direpta*, non *dirupta*. Correxit Gron. 1272. nobis non valde placet lectio *primo* vel *prima* propterea, quod quae unica sunt, etiam prima esse consentaneum est: atqui dixit: tibi cessit *uni*. Nam quod verbis *ante omnes* offenditur Gronovius, fugit eum ratio. Et

is quidem: *prima in aerumnis meis Fletum abstulisse;* nobis fuisse videtur in autographo: *praemium* ante omnes etc., *praemium*, praedam, ut passim apud optimos auctores; *ante omnes*, palam, seu coram omnibus, quod maxime urit Herculem. Infra, hujus dicti oblitus, 1516:

Hanc tamen ad imos perferam laudem inclitam,
*Quod nulla pestis fudit Alciden palam,*
Omnesque pestes vicit Alcides palam.

1275. non ita malum est, quod alicubi Delrius invenit, *extudit.* Sed bene etiam Flor.: *expulit.* Vulgatum *extulit* cum ferri non posse ipse intelligeret Gron., tamen, ut sexcenta alia ejusmodi, non removit. Quanquam dubitabat, an non reponendum esset *exspuit*, quod quidem Comicis relinquendum censeo. Nec eidem obtemperaverim tentanti Rictus *suos* infregit, cum significanter dictum videatur *meos*, Herculis, gigantum comparandos. Conf. 1169, 1303, 1769, Oct. 641. Infra de se ipsa Alcmene 1410: Vel scelere *pereat*, antequam letum *mihi* Ignavus aliquis mandet.

1296. Legendum: Nec *te* invocavi, ne quis Fatum intelligat. Mox codd.: *propter me*, deteriore numero: nam vitatur caesura in pede quinto iambi senarii, ut aequabiliter decurrat versus, nec prope finem fracta ejus vis imminuatur. Quam legem si quando migrant poëtae, necessitate compulsi faciunt; hoc autem loco eleganter rescripseris *me propter*, ut *te propter* apud Virgilium. Vidd. grammatici. 1307. Flor. *Properante* morte, unde feceris:

Properante morte hanc occupa laudem tibi.

1322. conjunctio vim habet nullam. Recte, ut opinor, Gruterus: Hei, nulla tellus. Saepe *et* pro *ei*, et contra scriptum, ut facillime quidem potuit. 1323. Flor. *irata pater.* Sed compellatio Jovis ali na, nec satis latinum, quod suadet vir summus, *parum.* An fuit *palam?* Similia verborum *palam* et *pater* compendia (*palā, pat'* vel *patz*) in MSS. Mox Flor.: *O terra*, ceteri: *O terrae.* 1330. rectissime idem liber: si qua *nascentur mala*, ubi vulgati: si q. *nascetur fera*, quod parum est. Sequente versu legitur, Nascatur *alius.* „Alius," inquiunt, „Hercules vindex." Sed talia si subaudienda sunt, truncemus licet scriptores, dimidiosque salvis sententiis exhibeamus. Flor.: *Nascetur odium undique.* Ex quo elicio: Nascantur *otio*, id est tarde vel sero. Phaedrus fab. 1, 25: Lambe *otio.* Plautus Epid. 614: *Otio* isse admiror: nam sic ibi legendum clamant MSS. Vel potius sic interpretaberis: Si fieri debet, ut aliqua in posterum quoque nascantur mala, opto ut nascantur ipso otio, id est pace, quam orbi paravi; cujusmodi mala et serius accidere solent, et fere sunt talia, quibus sine magno peri-

culo mediceris. Quod Gronovio in mentem venit, *Nascantur hodie*, ab ipsâ sententiâ ac conditione Herculis abhorret. Mox libri: *Tempus hoc vobis datur: Pensate merita*, ubi, non distinguens, Etruscus, usurpato hellenismo: *Pensare*. 1341. codd. vitiose: Membra complecti *ultima*, O gnate, liceat. Altero post versu bene Grotius: brachia *amplexu* cape, ubi legitur *ἀμέτρως* in Flor.: brachia et amplexus, in reliquis: b. in amplexus.

1347. sequendos nobis vidimus codd. Lips. et Flor., quorum lectio gravior vulgatâ hâc: sed umbrae simile nescio etc. Bene etiam 1349. Flor.: Vultumque *mergis*, non: *moerens*, ut *lamina mergere* est apud patrem Senecam Declam. 19, 4., et 1356. *Et* pro At, quemadmodum, Gronovio monente, Maro:

Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?

Statim codd. non recte: Ubinam *ipsa* palla est? Haec vocabula quâvis paginâ confunduntur. Nec 1360. probum est vulgatum *Lernâ*, sed legendum *Lernae*, ferâ Lernae, hydrâ. 1362. Florentini *secat* fuisse initio videtur *siccat*, quod glossema vulgati *bibit*. 1368. male Scriverius, Gronovius, Schroederus denique: *Frangit* vapores. Legendum *Franget*, ut *Deficiet*, *arescet*, neque aliter vett. edd. et Delrii. 1375. parum placent simul illata *doma* et *indomitum;* sed quid faciendum? An fuit *domi*, tecum, quemadmodum *Domi aliquid habere* et similia dicuntur *μεταφορικῶς*? Vidd. P. Pareï lexic. Plautin. et paroemiographi. 1377. Flor.: *Mortemque differ*, quod debilius vulgato. 1378.:

Si me catenis horridus vinctum suis
Praeberet avidae Caucasus volucri dapem etc.

Quid hoc est, aut quaenam eae sunt catenae, quas *suas* appellet, si loquendi facultas adsit, mons Caucasus? Legendum puto *senis*, Promethei: nam senem, et grandaevum quidem, Prometheum viderat liberator Hercules, utpote Iûs, aequalis Iapetionidae, *τρίτος γένναν πρὸς δέκα*, ut dicit Aeschylus Prom. vinct. 763. nostrae edit.; qualis conspicitur etiam in artis antiquae monumentis: vid. Montefalc. Antiqu. explic. t. 1. tab. 131. Vel reponendum *feris*, quae vocabula saepe mixta docent interpp. ad Ovidii Metamorphoses. Ceterum Flor.: Praeberet *aliquae*, (unde Gron.: *aquilae*), et 1385. non *excipiens*, ut vulgo, sed *excutiens*, „quod est," inquit Gron., „exceptum repellens, repercutiens. Bene itidem ille liber statim pro *rogos* vulgato habet *toros*, quod longe exquisitius, et id, cujus alterum glossema esse intelligatur.

1388. Non) *degener mentem Herculis Clamor domaret.* Facile credo: nam quomodo id potest? Legendum, si quid sentio, *notaret.* Scriptum fuerit *tonaret*, *donaret*, *domaret*. Vid. supra

ad 826 etc. Mox Ascens. quoque *fuit*, non *furit*. Sequente versu Flor.: S. q. *magis urgent hinc et illinc nemus*, in quo verum Gron. deprehendit, quem secuti sumus. Jam malim: *emittat*, jaculetur, quod fecisse fertur iste pityocamptes: nam *immittere* seorsim ita dici non memini. 1400. Vulgo:

HERC. Ubi mors? ubi illa? testis est aliquis mali?
Intendat arcus. nuda sufficiet manus.
In orbe mecum veniat huc aliquis mihi.

Scopae dissolutae. Flor.: *Ubi morbus? ubinam est desine adhuc aliquid mali In orbe*. Aliquot Delriani et Ascens.: *In orbe veniat, veniat huc*. *Tò mecum* abest etiam vett. edd., cum ab Ald. discesseris. Hinc Gron.: *Ubi morbus, ubinam est? estne adh. al. m. In o.? veniat, veniat huc. aliquis mihi En tradat arcus. nuda sufficiet manus. Procedat, agedum, huc*. Vel: *Ubi morbus? ubinam pestis? estne aliquid m. Adhuc in orbe? veniat huc* etc. „Ne quis," inquit, „putet nudam manum dici cum arcu, sciendum, primo quidem poscere illum arcus, dein quasi mutato consilio, et ne expectato quidem, dum tradantur, dicere: *nuda sufficiet manus*." Verum hoc postremum, et convenit talis inconstantia viro sui non compoti. Ceterum apparet, nolle sibi ipsum manus adferre Herculem, ne ad id quidem satis virium habentem, sed a morbo vel peste vel monstro (nam id *malum* est), certe ab alienâ manu expectare mortem. *Tò adhuc*, quod forte aberraverat, suo loco reposuit vir summus. *Huc*, in me, δεικτικῶς.

1420. Ita Flor., quod conjecturâ assecutus erat Raphelengius. Plerique omnes libri: *proh capax scelerum dolor*, quod et ipsum habet quo se tueatur, si interpreteris cum Grutero ζηλοτυπίαν Dejanirae. 1425. etiam Fern. Caj.: *eripuit*, quod efficacius vulgato *eripiet*. 1432. Flor.: *luctum*. Mox inepte libri:

Quid hoc? rigenti cernitur Trachin jugo.
Et inter astra positus evasi genus
Mortale tandem?

Aliquanto melius Lovaniensis: — *jugo? At* inter etc. *At* etiam Ald., *Aut* reliquae edd. vetustae, et scriptorum Mog. et Eguian. Cujusvis erat reponere: — jugo, *An* inter etc. Dubitat, Trachinemne videat, an in coelum evectus sit. 1441. recte Flor.: *tenebrae vocant*, ubi vulgo: *tenebras vocat*. Ejusdem codicis scripturam dedi 1446, ubi ceteri: *Modo nempe me infra* etc. Obversantur Herculis animo mons Oeta, in quo ipse, et urbs Trachin, in quâ Dejanira. 1448. *Cogis fateri*. . . . „Nempe," inquit Gron., „o dolor, me victum et imparem tibi. Hinc reversus ad se, *parce*, inquit, o miser, et tolerantiâ tuâ tam turpem confessionem anteverte: priusquam talis vox excidat tibi, te comprime. Inde Hyl-

lum alloquitur: ut vaga subjicit dolor. *Parce*, ut *parcere verbis*. Apulejus lib. 1. Miles.: *Parce, inquit, in foeminam divinam, ne quam tibi linguae intemperantiâ noxam contrahas.*"
1453. Vulgo: *O clara* Megare. Sed nihil ad rem Megarae claritas. Caram olim sibi uxorem opponit ei, quam merito odit, Dejanirae. Haec vocabula non raro mixta. Cf. 1499, 1876, Phoen. 334. 1460. *Coeci dolores*. Vitiosus locus. Grotius: *Cassi* dolores. Cruser. et Cantabrig.: *Coeci doloris*. Flor.: *Recte dolores*. Legendum: *Recte dolori est*. Justâ de causâ se dolere sit, quod manibus suis elapsa sit venefica. 1485. legitur *Suscipiat ignis*, sed in Florentino *Concipiat*, et in edd. vetustissimis *ignem*, quod in *ignes* mutandum recte Gruterus censuit, minus recte faciente Gronovio *Concipiat ignis*, hypallage affectatâ, vel *Corripiat*, quo nihil opus. Cf. Ovidii Met. 1, 256, 271, 337, 777 etc. 1486. *Sed* ante mortem. Vid. ad Med. 954. 1490. Non improbo, sed antiquissimae edd. cum habeant *incultum*, Aldus *incultas g. Regumque*, probabiliter emendasse puto Scaligerum, reponentem, per ἓν διὰ δυοῖν:

> Est clara captas inter Oechalias, genus
> Regemque referens.

1499. Male item libri: *O clara genitrix*. Si per se *clara* est Alcmene, cur gloriâ suâ (nam eo pertinet τὸ *vivit*) consolatur eam Hercules? Imo hic quoque rescribendum *cara*, ut supra 1453. *Chara* transiit in *Clara*.

1501. *Sive nascente Hercule Nox illa certa est*. Quaenam, quaeso, nox? Nonne illa, quâ cum Alcmene rem habuit Jupiter? Quid in eo incerti? Lovaniensis, melius pejus omnia interpretari solitus: „Duplicata," inquit, „ad me gignendum." Tu si sapis, repones: Nox *bina* certa est. Agam. 803, ubi vidd. interpretes:

> Tuus ille bisseno meruit labore
> Adlegi coelo magnus Alcides,
> Cui lege mundi Jupiter ruptâ
> Roscidae noctis geminavit horas.

Simili vitio *bigis* habetur in Attii loco apud Varronem de L. L. lib. 6., cum legendum haud dubie sit:

> —— Pervade polum,
> Splendida mundi sidera binis
> Apti signis sex continuis.

Quae descriptio est zodiaci, ut haec ad fabulam aliquam de Phaëthonte non inepte retuleris. 1510. Minus commode vulgatae ab interpunctione: Q. t. J. genuit, ae. g. Scept., et T. nupta? mort. t. Coel. t. invidit? A. s. Dici esse voluit. *Dici*, *esse*: Dici *et* esse. Amat Hic asyndeton, quod efficacissimum hoc loco. Aberrat vir optimus, tentans *patri* pro *tamen* et Dici *ipse* voluit, cum agatur

de Junone. 1514. Cur *vester* comes, qui unius dicitur, Titanis sive Solis? Hoc si voluisset Tragicus, dedisset *tuus*, quod legitur apud Ascensium, sed numero non ferendo. Reponendum censeo: *dexter* comes, id est propitius et boni ominis, utpote ἀλεξίκακος et ipsi par Jovi. Cf. 1545, 1838, 1848. 1516. *imos. Manes* subaudiendum ex superioribus. 1517. vulgo: *vicit*, ut sequente versu. Expressi Florentinum; nec tamen ibi probo obtrudentem cum aliis *Omnemque pestem*, frequentiore quidem litterâ mugiente, cum in vett. edd. sit *Omnesque pestes*. 1537. vulgo: *populi vetusti*. Gron.: „Flor.: *si quis populis vetustis*, ut illud Virgilii:

Nescio quis teneros oculis *mihi* fascinat agnos."

Eidem assentior reponenti *Pascet* 1541, ubi libri *Sparget*, quod modo legimus. Lapsus proclivis. 1548. itidem magis placuit Florentina lectio quam vulgata haec *Femina e. feriat*. 1554. Haec interrogari, secus ac vulgo fit, ex sequentibus apparet, ubi dubitat Chorus, annon diis potius accensendus sit Hercules. Interpretandum *Vadis — triumphum?* tanquam esset *Si vadis* etc., cui respondet *Sin* locum etc. 1565: nam ita haud dubie legendum cum Hugone Grotio, non *Sed*, ut vulgo, quod eodem nomine reprehendendum, quo vulgata ista superiorum interpunctio. 1561. mendosum est *o dites*. Flor.: *o duces*, unde Jac. Gron. in schedis Dietz., quas penes me habeo, *audaces*, tyranni; rectissime; nec quidquam aliud quaerendum, cum au et o, a et u, passim inter se permutari in MSS. constet. 1563. libri vulgati: *minimum cruentis l. t. u. l. fatis*. At Etruscus: *minus in procellis*. „Latet aliquid," inquit vir summus. Fateor, sed non difficulter eruatur. Legamus:

Dumque regnabas, minimum procellis
In tuas urbes licuisse Fati.

Gaudet Hic eâ imagine. Agam. 593:

Nullus hunc terror, nec impotens
*Procella* Fortunae movet.

Plura vide in indice Schroederiano sub v. Procella. 1593. major pars librorum: Semper *impensum*. „Id est," inquit Gron., „*occupatum*, evaginatum et vibratum, *nunquam otiosum. Imago a pecuniâ*." At, o bone, quis ita locutus unquam est? Non adeo affectatum novi Nostrum. Recte Avantii lectionem *intensum* tuetur Scaliger, quemadmodum, ipso monente, *intendere alicui* et *intentare ferrum* dicitur. Noster alibi *intendere spiculum, arcus, tela, dextram, manus rigidas*, ut videre licet in indice Schroederi. 1597. potior nobis visa editionum Fern. et Caj. et plerorumque Palat. codicum lectio *Alciden*, quam vulgata *Alcidae*, quae neque Grutero satis placuit. 1600. rectissime Dan. Heinsius: „*Lassus*" (nam sic vulgati libri) „*pondus* pro *de pondere*, vel *pondere de-*

*fatigatus*, est plus quam σολοικίζειν. Qui enim menses aliquot Hellenismo operam dedit, vel etiam in Latinis usum habet, novit ista, *lassus cervicem*, *humeros*, *collum*, quae tam crebro occurrunt, dici de toto, cujus sunt partes; quae vero extra sunt, locum in iis habere non posse. Quis ergo dicat, aliquem esse lassum *pondus*, aut *onus*, aut *sarcinam*, quam gestat? Mediocriter, inquam, docti sciunt, intelligi in istis voculam, quae hoc non admittit, et ad totum refert, quod de parte dicitur." Quae nollem impugnanda sibi proposuisse Isacium Pontanum, et tacito quidem suffragatore ipso Gronovio. Nam Delrius verbo tantum probat τὸ *lassus*, dicique existimat *lassus pondus*, ut *captus mentem*, ἀρχαϊκῶς scilicet. Nec tamen propterea in jus vocandus ipse Tragicus, qui vapulat hoc loco, ut aliis non paucis, eruditissimo Danieli; sed recipiendum ex editione Caroli Fernandi *Passus*, quod vel interpretaberis ἀορίστως, quomodo perfecta usurpari nonnunquam Latinis docet Vechnerus Hellenolex. 1, 2, 14, 3, quicum cf. supra 673, Agam. 84, Gron. ad Hipp. 985, nos ad Troad. 567. et Plauti Stich. 717.; vel dictum putabis pro *Patiens* per enallagen, quâ in his *Magnum si pectore posset Excussisse deum*, id est Excutere, usum Virgilium monet Servius. Contra Praesens pro Perfecto usurpatum infra est 1885, ubi *nascente* valet *natâ*, qui item hellenismus. Vid. ad H. f. 1182.

1613. Haec vulgata ante Gronovium scriptura, quam non erat quod depravatae codicis sui lectioni et conjecturae posthaberet vir doctissimus. Et Flor. quidem: *sub hoc mundo Hercules Immune vinci liquit en domita omnia*, in quibus nihil probum praeter verba *hoc mundo*, quorum loco quod ante vulgabatur, *occasu* ineptum est. Ceterum *uirtute* in *imune*, *docuit* in *liquit*, degenerare olim potuisse norunt, qui scriptos libros. Apage igitur hiulcum Gronovii commentum hoc: *qui sub hoc mundo Hercules Immane nil reliquit. en domita omnia.* Ceterum in Florentino pro personis ponuntur *Nuntius* et *Chorus*; bene de Choro, quem collocutorem saepe agere in fabulis scimus ex Aristotele, Horatio, ipsis denique utriusque linguae poëtis dramaticis et Nostro. Nam Nuntium illum satius est appellari suo nomine Philocteten. Nutrici, quae Chori partes sustinet in vulgatis libris, nihil hic negotii. 1623. Flor. *cautem*, et paulo post *incussus chalybs*, ubi vulgo *excussus*. Idem 1629. non *patitur*, *et truncum fugit*, quale dictum in superioribus, sed *patitur frigidus parum*, in quo reperire Gron. sibi videbatur *ut rigidum parum*. 1633. pro *diem* libri fere *domus*, et sequ. versu *pennis nemus*; unde legendum conjecit Delrius:

Volucres pererrant nemore succiso nemus,
Quaeruntque lassis garrulae pennis domos.

Recte Gron.: „*Diem* non est ita nuperum, ut ille" (Gruterus) „velit." (Legitur autem cum in Delrii libris praeter Mog. Herbip. et Venetos antiquiores, tum in Aldinâ.) „Sed et elegans est propriumque auctoris pro aëre, ut in Phoenissis *atrâ nube subtexens diem Stymphalis*, et in Herc. fur. *pennis condere obductis diem.* At in altero versu, praesertim cum toties in paucis versibus finem faciat *τὸ nemus*, adsentior prorsus Delrio scripsisse Poëtam: Q. l. g. p. *domos.* hoc est, desiderant suos nidos. Inde vel temeraria vel errans librarii manus in praecedentem versum transtulit, et hunc supplevit adjecto *τῷ nemus.*" 1637. *luco.* Bene hoc Gron. commendavit, cum in Florentino offendisset *luco*, in ceteris *ligno.* Ceterum frustra tentat, notante etiam Schroedero, Nullique *priscus* profuit luco *deus.* *Priscum nemus*, vetustas nemoris, ob quam parci arboribus decebat. 1639. Flor. *anguste.* Ald.: *augustus.* Sed cf. 1648, 1667. *Φρύαγμα* et *ὄγκος*, sed ita solet Noster, praesertim in hâc tragoediâ. 1641. vulgo: — *ilex silva. contexit pyram Popul.* etc. Flor.: *silva se complet rogo Pop.*, unde Gron.: *s. se confert rogo.* Sed potius legendum: *silva sed complet rogos Populea salva, frondis* etc. Complesse rogum dicitur silva populea propterea, quod in summo rogo exstructa est, ut in ejus umbrâ Hercules requiesceret; quam silvam fuisse narrat Philoctetes *salvam* sive incolumem neque succisam, ut ceterae arbores, ob reverentiam Herculis, cui erat sacra. 1646. *erat* Flor., reliqui *erant.* Idem liber frustra *Arcusque* 1649, qui nec juvat sequente versu, ubi habet *dona et munus*, plane ut Fern. et Caj.: nam ceteri libri ignorant conjunctionem. Sed quae (malum!) est haec *ταυτολεξία*? Aliquid infuscatum arbitror, nec nolim legi:

—— „Accipe *hunc*," inquit, „sate
Poeante, *clarum*, et munus Alcidae cape."

Saepissime cl in d mutatum; u quoque et a, item que r et n litterae perquam similes in scriptis. Inde de probabilitate hujus conjecturae existimari potest. Possis etiam: — *Poeante; clarum munus Alcidae cape*, et hoc malim.

1662. Flor. *cepit*, et statim *ignem*, quatuor unius versûs vocabulis m litterâ finitis. *Ignes* vett. edd. 1671. Gron.: „Flor.: *vasto verbere in planctus furit.* Sed statim *in luctum furens.* Videtur alterutro loco fuisse sive *ruens*, sive *ruit.*" Octav. 366: *Ruit in miserae fata parentis.* 1686. *quanta pax obitus tulit.* Referendum ad superiora, tanquam esset Quis *sic* triumphavit, *sic* gentibus leges dedit, ut Hic obiit? Minus enim concinna est librorum interpunctio haec: *Quis sic — Victor*? *quis — tyrannus? quanta — tulit?* Nec fero Florentini lectionem q. *pax habitam t.*

1706. *conturbant* legitur in Mog., quod lectius sonantiusque vulgato *conterrent*. 1715. Hunc locum ita ordinandum vidit Gron. secundum Florentinum, qui: *haec postquam edidit, Flammas poposcit*. Sed male medius ibi versus desiderabatur, quem suo loco reposuit criticus Lugdunensis. Vulgo: *hoc postque addidit: Noverca* c., q. f. f. *modo. Flammas — comes, Non segnis* etc. 1720. Si ipse impiam putat caedem suam Hercules, quid miratur abhorrere a scelere Philocteten? Reponendum ipsâ sententiâ duce: num manus *pavidae pium* Scelus *refugiunt? Pium* propter obsequium in amicum. *Pium furtum* habes Agam. 923. 1729. Cf. similem locum, qui est Thyest. 768. 1739. Flor. Nunc *est* p. Unde Gron. in praefat.: Nunc (es p. H.) sic etc. 1743. *torquens*. Hoc suasit Gron., cum in Florentino legisset *torrens*. Vulgo: *flectens*. Mox idem secundum Lipsium correxit vulgatam lectionem *nimia quas flamma occupat*. Statim Flor.: *quas pluribus Exundat ignis repedit*, et sequente versu *Tunc ora*. Gronovio placebat: *minima quas flamma occupat, Totas in ignem vertit, et queis plurimus Exundat ignis, recipit*. Mihi parum placet frequentius illatum *ignis*, malimque propemodum: et quâ plurimus Exundat, *ictus* recipit intrepidus *feros*, ut *ictus* accipiamus *ignis*, ut *fulminis* Hippol. 1133, et *ictus flammeos* Med. 948, si vera est ibi vulgata lectio. Quod eo quoque non inepte firmes, quod refertur ad *Exundat*, igne comparato cum fluctibus commotis, quorum recte dicuntur *ictus*. Ovidius Metam. 11, 556:

> (Unda) Praecipitata ruit, pariterque et pondere et *ictu*
> Mergit in ima ratem.

Et sic passim. Vid. et ad H. f. 703. C et g litteras saepe sibi officere in scriptis, tam notum est, quam quod notissimum. Pacuvius Duloreste apud Non. v. itiner, secundum plerosque omnes libros: Delphos venum pecus secundae abstabula ad itiner contuli, cum legendum sit, partim juxta meliores codd.:

> Delphos venum pecus egi, unde ad stabulad itiner contuli.

1758. *Cineremque jactans*. Recte, qui hoc ferendum negant. Corruptum *jactans*, et sufficiendum haud dubie in ejus locum *tractans*. Nec pejus sit Cinerem *retractans*, ut iterum iterumque tractasse cinerem filii intelligamus matrem, et oculorum aciem eo defigentem, et mentem totam. Thyest. 757: At ille fibras *tractat*, ac fata inspicit. Troad. 1070: gaudet magnus aerumnas dolor *Tractare* totas.

1762. Ita Flor.: nam vulgo: *cepit* Alc. s. Idem 1773. recte: *aut* quas etc., non *ah*, ut vulgo. Quaerit Alcmene, quando et ad quas fauces Orci expectandus sibi sit Hercules, ut ei obviam eat, ab Inferis iterum redituro. 1774. Vadis ad Manes, *iter Habiturus*

*unum*. Vidd. de hoc devovendi modo P. Victorius Var. Lect. 1, 1, Rittershus. et Gruter. ad fabulae, quae inscripta Querulus, verba *Nec dii sinant* etc. Turpilius Comicus Thrasyleonte apud Nonium, laudante Rittershusio:

Age, age, egredere, atque utinam istuc perpetuum itiner
sit tibi.

1778. vulgo: *Quis me* parentem, quod emendavit Gron.: nam aut *me* erat dicendum, aut *Alcmenen;* utrumque simul ponere inepti est. 1790. recte Flor.: *Ismarius*, ubi ceteri: *Ismarios*. 1793. *Totus uretur dolor*. Gron.: „Corruptum," inquit, „omnino, et corrigendum, priusquam explicandum. Forte: *notus* uretur dolor, nempe Junonis." Mihi non sic videtur, sed, usurpatâ figurâ minime insolitâ, *dolorem totum* interpretor *doloris causam totam*, Herculem et universum ejus genus, inprimis Alcmenen, quam excruciabit dea iratissima. Sic *pudorem* Ovidius Minotaurum Met. 8, 157. et similia passim alii dixerunt, in his Statius Theb. 1, 47. 1795.

Pellex superum, *supplicia* de quâ exigat.

Versus peccans in accentu vocabuli *supplicia;* qualem versum in toto Senecâ non invenias: nam qui similis adhuc legebatur Med. 267., probabiliter, ut opinor, emendatus a nobis est. Fern. et Cajet.: P. s., *de qua supp*. e. Flor. *expetat*. Legendum censeo: *Pellex superum: digna supplicia expetat*, digna uxore, digna pellice. Similia *digna* et *dequa*. Sequente versu recte Gron.: *Si parere possem*. 1798. nemini placeat *locus*, ubi *loca* est in proximis. Reponam: Quis me *focus*. Horatius Epist. 1, 14:

Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque *focis* etc.

ubi vetus Scholiastes: *Focis*, *domibus*. Et sic passim *lares*, quorum sedes in focis. Cf. vel 1801. Est gradatio. 1802.

Orbata Thebes regnum et Ismenum petam.

Sic vulgus librorum. At Flor.: *Marita Thebe regnat Ismenon*. Ocius repone: *Marita Thebes regna et Ismenon*, id est, quod obtrudit Gron. glossatore illud quidem quam poëta dignius, *Theben mariti regnum et* I. p. „Vix enim," inquit, „ausim: *Marita Thebas regna*." Hocne est delicias facere? 1807. bene vir doctissimus legendum conjicit *Exemtus*, ubi *Exceptus* Flor., ceteri *Exsectus*. „*Exemtus*," inquit, „ut Bacchus Semeles: nam ad hujus nativitatem alludit." Idem codex: *Nunc datum est tempus, datum*, quod fuit haud dubie *Nunc datum in* (vel *ad*) *tempus*. Mox idem: *Ut et hoc* daretur, cum vulgatum *Et* hoc d. mutatum a Grutero esset in *Ut* hoc d. Recte etiam suasit *quid* fatum pro *quod*

librorum. *Genus* Huic saepius esse genus humanum, cui et deos opponit, monuit major Heinsius. Ceterum Pall. et vett. edd., in his Fern. Caj.: *omne nam.* 1812. vulgo: *Arcadum an pop.* Sequimur Florentinum. 1813. Dan. Heinsius malebat M. *Lernam* nobilem, ut 1555 etc. Sed generatim de factis filii loquitur Alcmene. 1818. *Defendat.* Ῥύσαιτ' ἄν. Fortius est, quod vult Gron., *Defendet;* sed subtimet Alcmene.

1820. adjuvem *ut* immisso, et legendo *Huic* (regno) pax etc. Hoc profecto verum. 1828. vulgo legitur continue: *Hic totus orbis.* Eriges sententiam, si sic interpunges: Hic (tumulus), totus orbis, δειματικῶς καὶ ἀπροσδοκήτως. 1830. et sequ. correxit Gron. Vulgo: *Complectere — Erunt satis praes.* 1835. *fatis*, morti; quisquis viam ad se mortis virtute intercluisit. 1837. Florentina est scriptura: nam vulgo: *vetat, jubet;* nec placet Gronovii *veta, jube.* Statim codex Etruscus: *vindice amisso p. Terra atque pelagus quaeque*, dein *Oceano.* De *parente* nugae, siquidem hic mortalis in genere personam fert Alcmene, vicémque orbis terrarum deflet, quem malis monstrisque liberavit, et diei, id est solis et siderum ipsiusque coeli, quod pro Atlante sustinuit. Vide supra ad 1514, infra 1906 seqq. Parentis partes mulier demum agit in sequentibus. Hic igitur legendum puto:

Vindicem amisit patens  
Terra atque pelagus, quique purpureus dies  
Utrumque clarâ spectat Oceanum rotâ.

1850. *Deflevit* aliqua mater. Recte hoc latine dici negat Gron., nec male conjicit legendum esse *Diriguit aliqua mater, ut toto.* Malim tamen minore mutatione: *Deflevit aliquid mater, ut* etc. *aliquid*, rem non contemnendam, quomodo haec et similia *aliquid esse, aliquid dicere* usurpantur Graecorum more. Τὸ *aliqua* vehementer friget. 1859. Gron. suadet *An* una etc. Mihi probabilius videtur *At*, quae voculae saepe confunduntur. Sed altero post versu reponam cum Gronovio *Anquiret orbis*, cum praegresso *brevi* locum *jam* non videatur habere posse. 1863. offendor verbis *in planctum* propterea quod altero abhinc versu legitur simile *in planctus.* An fuit *advoca implicitum* genus, id est implicitum *lugendo*, quod praecedit, conjunctum cum Alcmenâ ad lugendum Herculem humanum genus? Sic existimo. Facile autem *ĩplicitũ* degeneraverit in *ĩplãctũ.*

1876. Ita Flor., nec quidquam melius desidero. Vulgo: *magno tellus clara Tonante.* Vid. supra ad 1453. 1885. Pessime adhuc edd. *Phoebo*, quod dudum est cum emendavit Dan. Heinsius. „Τοὺς προσελήνους enim," inquit, „Arcadas intelligit. Cujus nominis ve-

ram causam atque originem in Tegeatum Rep. Aristoteles reddebat, qui Graecularum nugarum severus castigator fuit." Cf. Hippol. 786. *Nascente*, natâ. Nihil hoc hellenismo frequentius in poëtis Latii. Cf., quae supra ad 1600. 1888. Sic itidem Flor., non *Poscite magno Alc. gem.*, ut vulgo, quod minus παθητικόν. De numeris vid. ad Herc. fur. 1064. 1891.

Totum pennis velata diem.

Vir summus, additus poëtae: „Saepe," inquit, „nullo judicio archaïsmos affectavit, quos non intellexit. Virgilius dixerat *bellantur*, mutatâ solâ terminatione κατὰ τὸ ἀρχαϊκώτερον, sicut *affector, lacrimor, assentior*. Ille *velor* putavit eâdem ratione ferri posse. Dicam *velari noctem* more Graecorum, sed non isto sensu, ut κεκαλυμμένος νύκτα. Sed *velari diem*, καλύπτειν τὴν ἡμέραν, quis ferat?" Fateor; sed hanc manum Senecae esse nego, legamque potius levi mutatione:

Cujus pennâ est velata dies.

Statim Flor.: Date *Bistoniae*. 1910. idem liber *stravit*. Quod reponendum videbatur Gronovio, *strigavit*, legitur etiam alibi apud Nostrum epist. 31; sed libentius ferrem in jumento. 1929. Pall. et Ascens.: sub *undas* T. mersit. 1935. parum placent simul posita *contecta* et *operit*. An fuit *contacta?* Ceterum versus hos anapaesticos passim aliter digessi atque in vulgatis edd. leguntur; quâ de vid. ad Herc. fur. 173.

1946. Dictum de hoc metri genere ad Oedip. 448. 1951. Flor. *Mortis*. Dedi *rursum* pro *rursus*, frequentiore sibilo offensus. 1957. *Sibi* si metuit Pluto, cur *regni pavidus* sui dicitur? Tentabam: *Et pavidum regnum* (ejus) *metuit sibi?* pavidum, quod semper pavet, ut explicat Servius. Pavidi Manes. Herc. fur. 765:

*Pavidosque Manes* squalidus gestat senex.

Oedip. 608.:

*Pavidae* latebras nemoris umbrosi petunt
*Animae* trementes.

1961. vulgo legitur: *Arsisti certe: verum ultima*, sed in Flor.: *A. cur te cur ultima*. Inde Gron.: A. . *cur te*, *cur ult.* Sed *certe* non contemnendum. 1964. recte vir doctissimus *es*, ubi vulgo *est*. 1969. vulgo: ignis *injectus*. Flor. i. *evictus*, quod publicavit Gron. Sed rectius procul dubio Hugo Grotius: ignis *invitus* tulit. Supra 1729:

*Refugit* ignis, et *reluctantur faces*,
Et membra vitant etc.

1980. libri nullo sensu: *Fallor, an vultus putat Vidisse natum?* Imo: an vultus *puto* V. *nati? Puto*, putabo. Vid. ad Troad. 979.

Lovaniensis ad 1998: „Vale," inquit, „Hercules: magno me sane taedio affecisti." Facile credo; sed poëta noster, si conspexerit forte apud Inferos Delrium, par pari videtur mihi relaturus.

# ANNOTATIONES

## IN INCERTI TRAGICI OCTAVIAM.

Argumenti metrici inter versus 12. et 13. hos inculcavit Hieronymus Balbus, quos tanquam inutiles recidimus:

> Regius *interea* populo lugente satelles
> Immeritas claro sumit de sanguine poenas.

Vers. 14. Mirum ni *suâ*, non altus nescio cujus, manu. Quaenam haec est intemperies librariorum, istud *suus* ubique obtrudentium; velut et Metamorphoseon Ovidianarum 1, 555. fecere:

> Complexusque *suis* ramos, ut membra, lacertis,

cum aliud quiddam haud dubie efficacius placuisset poëtae Salmonensi, ut ostendere studui in Vindiciis Ovidianis. Hoc loco, ut tot aliis, mutatum videtur *fera* in *sua*, de quâ mutatione vid. ad Phoen. 23. Hippol. 126. Herc. Oet. 1378.

19. Vulgo:

> Tempore ab illo lux est tenebris
> Invisa magis.

Sed compellat lucem Octavia. Ergo, quod primum est, reponendum *es*. Deinde τὸ *lux* causa non est cur repetatur. Editio Fernandi prima, quam e tenebris protraxisse mihi videor: Tempore ab illo *mox* est etc., Cajetani: T. ab i. *mox* et; MS. Ultraject., cujus penes me habeo lectiones:

> *Nox* tenebris invisa magis
> Tempore ab illo.

Quid dubitamus legere: *Nox es tenebris invisa magis*, id est turpior verâ nocte? Sane haec manus scriptoris, neque obtemperandum Gronovio tentanti: *Tempore ab illo lux o tenebris I. m.* Mox hodie vulgatae edd.:

Ultra Oceanum, cuique Britanni
Terga dedere.

Gruterus ad verba *Terga dedere:* „Et helo," inquit, „esto finis versûs, distinguente Melisso; aut potius antè *cuique Britanni*, ut est in Pall. omnibus." Etiam edd. vett.;

Ultra Oceanum,
Cuique Britanni terga dedere.

Sic passim in hoc aliisque et Hujus et Senecae tragoediarum canticis male digesti versus anapaestici, de quibus vide quae monuimus ad Herc. fur. 173.

41. *Britannis.* Egregia emendatio Josephi Scaligeri in Castigationibus Triumvirorum. Quam probans Delrius: „quis enim," inquit, „non intelligit, minimo negotio, exesâ superiore parte litterae B (imo: b), et secundo n inferius clauso, natam depravationem *oratanais?*" Recte; et miror, fruge repertâ ad glandem redire Nicolaum Heinsium in Sylloges Epist. a P. Burmanno editarum tom. 2, pag. 826., ubi legendum conjicit: *En qui arta Tamesi primus imposuit juga*, cum olim Lipsio placuisset *ora Tamesis*. Ceterum Ultraj.: En q. ora tanais p. i. *jugum;* sed vett. edd.: E. q. o. thanais (vel tanais) p. i. *jugo*, ut non inepte suspiceris legendum esse per hypallagen: *En, qui Britannos primus imposuit jugo.* 50. Libri: *mariti.* Gron.: *atque odio pari Ardet maritus; mutuâ flagrant face.* Sed id quoque ταυτολογικόν. Videtur ἕλκος ὕπουλον, legendumque *mutuam extinguit facem.* (*mutuestīguit* — *mutuaflagrat.* Vid. Gron. ad Herc. Oet. 1182.) Facem, amoris conjugalis. Quae conjectura firmari potest lectione codicis Ultraj. hâc: *Amens* mar., quâ simul receptâ recte procedit oratio: *atque odio pari Amens maritus mutuam extinguit facem.* Amens, si quis alius, Nero. Cf. 263. Ceterum in superioribus idem liber et Fern.: *Quam secreta* refugit, Cajet.: *Quem* s. r. Latet aliquid: nam patuisse Octaviam Neroni, e versu 109. intelligas. Num fuit: *Crudelem virum, Quasi certa, ref.?* Vel: *Linquendi viri Quasi certa, ref.* Med. 53: Quo virum linquis modo? Vel denique: *tegere, crudelis viri Quae* (ira) *scelera refugit semper?* Hoc postremum maxime probo. 52. Quid hoc est, quod consilia nutricis *mutare* dicitur Octavia? Mogunt. *inmittit*, Ald. et Lugd. et aliquot Pall. *mittit.* Reliquerat fortasse Tragicus: *admittit immitis dolor Consilia noxae.* Parum placent vicina *nostra* fides, Consilia *nostra*, *noster* timor.

58. *Licet repetam luctus, Electra, tuos.* Licet. Quidni enim? Sed aliud vult Octavia: nam Electrae sortem sibi exoptat, tanquam minus gravem. Legendum igitur: *Libens repetam etc.* Saepe con-

fusa haec vocabula: vid. ad Oed. 673. 69. *meros*. Recte sic Gron. „Erat," inquit, „superstite fratre aliquod intervallum luctûs; nunc unus et perpetuus est." Vulgo *meos*. 99. Vulgo: *Toleranda quamvis*. Dudum Lipsius correxerat. Ovidius Met. 1, 190:

> Cuncta prius tentanda; sed immedicabile vulnus
> Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Nam eam lectionem restituendam puto. 106. *Absit crimen a fatis meis, Mori juvabit.* Crimen Neronis. Modo non violentâ morte peream, libens e vitâ excedam. Conf. superiora et 661, 903 seqq. Aberrant Delrius et Farnabius. 113. Lipsius: „Malim Et *sorte*: ut partem sortemque Britannici dicat abisse ad parricidam." 117. *Modo facibus*. Frustra Gron.: *Nunc* facibus, et mox *Nunc* trepidus. Vid. ad Troad. 417. 121. *rapit*. „Celeriter agit." Ascens. 123. Fort.: *Renovantque*, intellecto *se*, quomodo *mutare* pro *mutari* et similia dicuntur, de quibus vidd. Palmerius Spicil. Lamp. Gruter. 4. pag. 865, Lividejus ad Catull. 22, 11. *Adice*. Ultraj. *Adde*, quae est interpretatio. Vid. ad Phoen. 426. 132. *captat*. Minime legendum *poscit*. *Maritum* est adjectivum. Herc. Oet. 1802: *Marita* Thebes *regna*. Vid. et Gron. ad Agam. 258. Idem sequente versu, τῷ *undis* merito offensus: *Emerge ab Umbris*. Sed verisimilius mihi videtur *Emergito* Umbris. Quod *fer* sequitur, nihil obstat, quominus sic legatur, siquidem hae personae imperativorum promiscue usurpari solent. Ultraject.: *hei fer* aux. 140. Recte Gron. *fratre*. Alterum (pace Gruteri dixerim) ne latinum quidem est; nec placet Delrii *Gnatamque* in scriptore recentiore. Commelinus: „*Captus*," inquit, „id est, ut Suetonius ait, in amorem pellectus. Sic Terentius *Captus* est, habet." Imo jungenda *captus toris nefandis*, nec quidquam praeterea mutandum. 152. Fern. Caj.: *faces*. 155. *Orbis imperio sacri*. Gron.: „Non orbis est augustus, sed imperium orbis. Scribe igitur: *orbis imperio sacro*." Sed explicanda vulgata per hypallagen. 158. vulgo *gradum*. Sequor unum Pal., cujus scriptura potior etiam Grutero videbatur; et merito. Quod et sequente versu legitur τὸ *gradus*, nihil ad rem: nam aliâ ibi potestate usurpatum est. 164. Fort.: cecidit *ast* eadem. Quanquam frequentat Hic τὸ *atque*: cf. 109, 195, 252, 338, 427, 430, 476 etc. 172. Ultraj. *fervida*. Fort. *fervida flamma abstulit*, productâ extremâ syllabâ in *fervida* propter duplicem consonam, quae sequitur; numero autem longe probiore. Vid. ad Herc. Oet. 1299. 174. Fern. et Caj.: *Natura non tantas dedit vires tibi*. Volebant *tantas non*.

183. *relevat*. Sanat, medicatur iis. Ovidius Epist. ex Ponto 3, 17:

> Non est in medico semper, *relevetur ut aeger*.

Frustra argutantur. Ceterum vett. edd. praeter Ald.: *lèvat.* 194. *metuit.* Ita Fern., ut legendum esse vidit Grut.: nam vulgo *metuet.* Recte vir doctissimus: „Capiunt (!) omnes de Poppaeâ, sed falso. Acten concubinam (haec) notant, de quâ Tacitus bis meminit lib. 13. (capp. 12 et 46; sed etiam 14, 2.) et Dio Cassius lib. 41, affirmantque Neroni potiorem fuisse Octaviâ." Male quoque in libris vulgatis nutrici tribuuntur verba *Nempe praelatam — testatur suum*, cum appareat esse Octaviae, sic respondentis εἰρωνικῶς, quasi Acte liberta secum minime comparari debeat, neque mirum sit, ei aliam praeferri, utpote subjectae et humili, cum ipsa sit sanguinis Caesareï. Quod monumenta extruxisse dicit Acten, quibus timorem suum testetur, fortasse aram Graecula aedificari jussit, vel sacellum consecravit in honorem Ἀφροδίτης φοβούσης, quemadmodum Phaedra, Theseï uxor, templum dedicavit Ἀφροδίτῃ τῇ Κατασκοπιάδι in arce Athenarum, teste Pausaniâ Corinth. cap. 32. Quo offensa videtur Octavia, tanquam manifesto servilis libidinis documento. Fern. et Caj.: monum. *extrahit.* Mox Ultraj.: *At hanc levis.*

200 seqq. Male vulgatae edd.:

Passa est similes ipsa dolores,
Regina —— formas
Vertit —— coeli
Divûmque pater:
—— ——
—— ——
Aureus idem
Fluxit in imbri. fulgent coelo
Sidera Ledae etc.

cum non in vetustis modo editionibus, sed apud ipsum Delrium, recte haec descripta essent omnia. Primus autem sic turbavit Ascensius, quem secuti Lugdunenses aliique, cum praesertim inventae membranae essent pariter depravatae. Vid. ad Herc. fur. 173. 233. confidenter Isacius Pontanus: „*Frigido Arctoo* posuit pro *frigidâ Arcto*, sive *frigore Arctoo.*" Vellem id probasset vir festinans. Quod dum aliquis faciat, interim legamus suadeo, quod latinum sit, *frigore Arctoo.* 244. *tela cur frustra jacis Invicta toties temere regali manu?* Ain *frustra*, et simul *temere*? idque etiam ἀσυνδέτως? Quaenam ista est garrulitas? Legendum censeo: t. c. frustra *facis* I. t. *tremere* r. m.? Phoeniss. 467:

Accede propius; clude vaginâ impium
Ensem, et *trementem* jamque cupientem excuti
*Hastam* solo defige.

Ovidius Met. 8, 374: ambo vibrata per auras Hastarum *tremulo* quatiebant spicula *motu*. Et sic passim. 248. Etiam Ultraj. et Fern. abest *ipse*, cujus loco *iste* legitur in Ascensiana. Glossatoris haud dubie τὸ *Nero*. Legendum, ut jussit Gron.: luat *Iste insitivus*, Domitio g. p. Jacobus Gron. in schedis Dietz.: „*Nero ipse divo*] Spanhem. Dissert. pag. 651. Quasi vero hic locus sit, quo Octavia divi (?) Domitii consecrationem (?) approbet. Puto ex MSS. (sed quibusnam?): Ebrio insitivus Dom. Vid. Sueton. Ner. cap. 5, Med. 69: gradu marcidus ebrio. Seneca epist. 18: ebrio ac vomitante populo. Curt. 5, 7: ebrio scorto. Florus de Antonio: ebrium imperatorem." Nic. Heinsius Epist. ad Ezech. Spanhem. Syllog. Epist. tom. 3. pag. 843.: *luat Nero insitivus*, *D. g. lare*. 257. mire Fern.: quam *foecit* Venus. 261. malim *Illi*, Messalinae, *Illi ad toros Stygios*, id est *illius* etc. 268. *prodidit*. Lipsius ex libro suo *perdidit*. Praefert alterum Gruterus, collato infra 290 etc.

287. Aberat hic versus a MS. Orteliano, cujus libri auctoritate inductus Raphelengius omittendum eum existimabat, cum praesertim inepte laudari videretur virginitas in maritatâ. A quo recte ceteri dissentiunt. Apulejus Apolog., laudante Gron.: *Ipsa virginitatis commendatio jure merito omnibus maritis acceptissima est; nam quodcunque aliud in dotem accepisti, potes, cum libuit, ne sis beneficio obstrictus, omne, ut acceperas, retribuere, pecuniam renumerare, mancipia restituere, domo demigrare, praediis cedere; sola virginitas reddi nequitur, sola apud maritum ex rebus dotalibus permanet.* 290. pessime legitur secundum Scriverium:

Post fata ducis, cujus prodimus
Stirpem saevo suadente metu.

Cur, quaeso, *saevus* dicatur iste metus? Et creticum (*prodimus*) ubi tandem invenerat in anapaesto vir doctissimus? Nam quod elidi jubent τὸ s in *prodimus*, Ennium vel Plautum legere se putarunt, non Tragicum recentiorem. MSS. Pall. et Cajet.: P. f. d., *cujus stirpem Prodimus*, *aevo s. m.* Ceterae edd. vetustae et Delrii, itemque MS. Ultraj.: *cuj. stirp. Pr. saevo.* Legendum: c. st. Pr. *aevi* suadente metu. *Aevi*, vitae. Vitae amor proprium servorum. Agam. 587:

Heu quam dulce malum mortalibus additum
*Vitae dirus amor*, cum pateat malis
Effugium, et miseros *libera* mors vocet etc.

Minus recte pro *aevo* Gron. reponebat *acri*, Grotius *atro*. 297. Vulgo:

Caesa parentis, ne servitium
Paterere grave, aut improba ferret
Praemia victrix dira libido.

Sed Pall. et vett. edd.: grave, *et* improba etc. Τὸ *aut* substituerunt, qui versui prospicerent, nec viderent, ob ipsam sententiarum et metri rationem haec ita ordinanda esse:

—— caesa parentis,
Ne servitium paterere grave etc.

quo facto sponte intelligitur, neque *et* neque *aut* ferri posse, ut quod ne iambo quidem extremo facile admittas, multo minus cultiori anapaesto. Legendum *Nec proba*, id est, quod illi reposuerunt, *et improba*. 304. *saebi.* Jacobus Gron. in schedis Dietz. legendum conjicit *Sexti.* „Cur enim," inquit, „*tum* saevus?" Respondeo: quia saevi omni tempore tyranni. 308. *Egit saevos.* Ita vett. edd. Haec quoque transposuere propter non perspectam metri rationem anapaestici. 310. Recte sic Gron. ex fide scriptorum et vett. editionum, cum ab Aldi discesseris, qui primus invexit vulgatum istud *Hoc quoque nostra videre nefas.* Sequente versu nos cum illo auscultandum intelleximus Grotio reponenti *majus* pro *magnum*, quae librorum scriptura. 352. *tacitis.* Grotius: *famulis.*

379. Assentior Grutero, legendum conjicienti: fallaci *nimis*, idemque remedium adhibeo versui hujus tragoediae 647. 689. Similes *nimium* vultus dominae. Thyest. 299.: si *nimis* durus preces Spernet Thyestes, etc. *Me* et *mihi* simul posita non placent. 383. Membranae Burdeg.: *jacebam.* Mox Gron. malit *studia* recolenti *pia*, quemadmodum de Cicerone Cornelius Severus: *sacris exacta* quid *artibus* aetas? Sed *mea* interpretari licet mihi propria, et quibus prae ceteris maximo studio incumbebam. Herc. Oet. 1273 ipse de se Alcides;

Durior saxo horrido
Et chalybe vultus et vagâ Symplegade
Rictus *meos* infregit, et lacrimam expulit.

390. Vulgo: M. *motus*, *solis alternas vices.* Sed de sole dictum in superioribus, quae non erat quod fraudis insimularent Delrius et Gruterus. Legendum: *salis et* alternas vices, accessum et recessum maris. Copula passim excidit, velut etiam infra 425, praeterquam in codice Schroederi et Ascensianâ. Gronovio placebat: *noctis* alternas vices, sed longius abit a scripturâ codicum. 394. Male Grotius et Gron.: *ades*, cum sequantur *premat*, *generet*, *tulit.* Recte Tragicus: Si verum est, quod dicitur, mundum senescere et aliquando periturum: nunc profecto is dies illi supremus adest,

quia, ut infra legitur, *seculo premimur gravi, Quo scelera regnant* etc. 400. Vulgo:

— Fide,
*Terras* regebat mitis. humanum genus
Non bella *norat;* non tubae fremitus truces;
Non arma gentes etc.

Sed Ultraj. et vett. edd., cum ab Aldi discesseris, *Terra*, et sequente versu idem scriptus et quidquid est antiquitus cusorum: Non bella *norant*. Reponendum sine controversia:

Justitia, coelo missa cum sanctâ Fide
Terris (vel *Terrae*, sed illud potius), regebat mitis humanum genus.
Non bella norant, non tubae fremitus truces,
Non arma gentes.

*Terris*, in terras, quemadmodum Virg. Aen. 5, 451: It clamor coelo, Ovid. Met. 3, 695: Corpora tormentis *Stygiae demittite nocti*, alii alia similia. Vicina *terra* et *terris* in MSS. 412 — 415. Sic plane codex Ultrajectinus, cujus penes me sunt variae lectiones. Pro *vulnere*, quae est vulgata scriptura, etiam Mog. *vovere*, in quo *vomere* agnovit Delrius, quod ipsum habet margo editionis Lugd. *Immanem* absolute dictum, ut apud Horatium. Ceterum vulgus scriptorum et veterum editionum: *Decipere volucres crate, aut levi Tenere laqueo: subjectos premere jugo* etc. Ascensius primus infersisse post *crate* videtur *cervos*, cujus verbi nec vola nec vestigium in antiquis exemplaribus *), nisi quod omnes id libros suos exhibere Delrius affirmat, ut etiam *aut leves Tenere laqueo, premere* etc. Verum suspectus mihi Lovaniensis, ubicunque generatim loquitur, nec cujusque codicis ipsas commemorat scripturas; velut hoc loco unius tantummodo Moguntinensis ponit hanc:

— reti vel calamo levi:
Decipere volucres crate, calamos queant levi
Tenere laqueo.

quâ si alicubi similiorem suae ipsius lectioni invenisset in MSS., eam potius, ut opinor, perscripsisset, quo commentum tantopere exagitati Fabricii refelleretur. Nam Moguntiaci istud *calamos queant levi* quis non videt in superioribus sublectum esse (*calamoque aut levi*)? Et Fabricius quidem in Regiomontani codice prorsus idem

*) Ne Aldus quidem habet, in cujus libro, pessime hic hallucinati, ita legitur: — *rete, vel calamo levi* Decip. *vol. crate, vel calamo, aut levi Ten. laqueo.*

reperisse mihi videtur, quod nos in Trajectino; alioqui monuisset. Habemus igitur duo exploratae fideï libros, quos ceteris nugatoriis opponamus. Nam nugae procul dubio istae sunt, verbis *vel calamo levi Decipere volucres* appingentium *vel crate, aut laqueo*, quae inveniens quidam inter lineas perscripta vocabulis quibusdam vel supra repertis, vel de suo additis, explevit, ut versus, si diis placet, novus concinnaretur. Qui versus ab ipsâ mente scriptoris penitus abhorret: nam sive legamus cum Ascensio et Delrio: *Decipere volucres crate: cervos aut leves* (Ascens. *levis*) *Tenere laqueo: premere* etc., sive laterem lavemus cum Gronovio reponente *fluctibus tectos gravi Extrahere pisces rete, vel calamo aut brevi Decip. vol. crate, cervos aut leves Ten. laq.*, in quibus τὸ *gravi* quidem non male explicat μιστόν, sed nove *cratem brevem* opponit amplioribus cratibus, in opere rustico militiâque usitatis: quis non sentit, poëtam, si de cervis dicere voluisset, alibi id in hoc orbe orationis facturum fuisse, circa verba *quod sequi cursu feras Auderet acres?* Abjiciendus igitur cum Fabricio et Grutero totus iste pannus, neque amplius in eo assuendo ludenda opera doctorum. 416. rectius puto *frugem suam*. Paulus ICtus lege 77. D. de verborum signific.: „*Frugem* pro *reditu* appellari, non solum quod frumentis aut leguminibus, verum et quod ex vino, silvis caeduis, *cretifodinis, lapidicinis* capitur, Julianus scribit.“ Vide plura apud Basil. Fabrum in Thes. erudit. scholast. h. v. In sequentibus aut *Interius condidit*, aut dicendum erat *alte condidit*; utrumque ponere ineptum est. Legendum puto *altam*, vel *alitam*, frugem. Pall. et vett. edd. praeter Aldi: *Interior*. Probum esset *Inferiorem*, sed id versus respuit. 425. Hominum, *et* cruenta. Sic Ultraj. et Ascens. Gron. tentabat *pollutae manûs*, quod ad praecedens hemistichium referebat. Sed illud praestat. 431. Fern. Caj.: Recollecta vitia etc.

457. *Invisum opprimit*. Sic Ultraj. et vett. edd. ad unam omnes, ut convenit sententiae generali. Impudentis est, quod recentiores habent, *opprimet*, ut quod nimis aperte in ipsum Neronem vibretur. 461. Ultraj. *Juste*. 463. Vulgo: *Despectus ensis faciet*. Quod cum non intelligerent, Lipsius tentabat *Detectus* ensis, sive *Conspectus*, Raphel. *Destrictus*; Gruterus perperam declarat: „Ille ensis, quem nunc modò cives mei despiciunt.“ Legendum, mutatâ interpunctione: Despectus? Ensis faciet. Despectusne consensus iste patrum, quem tu jactas? Imo ensis rata faciet, quaecunque statuero. Infra Nero de Augusto, quem sibi proponit exemplar ad imitandum, 526:

Condidit tandem suos
Jam fessus enses victor, hebetatos feris

Vulneribus, *et continuit imperium metu.*
*Armis fideque militis tutus fuit* etc.

ubi ne verbo quidem commemorantur patres contemtissimi. 465. *Inultus.* Ita legendum vidit Raphel., Grutero non improbante. Edd. fere *Invictus*, sed Ald. *Inuitus.* 484. Vett. edd. *summisit*, Ultraj. *suppressit.* Sequente versu malim *Ut* dedit, ne praesens et praeterita tempora conjungantur (*submittit*, *dedit*, *subjecit*). Fortunam se submittere Neroni incruentam dicit, ex quo habenas ei imperii facili man dederit, orbemque terrarum ejus nutui subjecerit. Saepe hae particulae confusae. 487 — 491. Locus depravatus. Lipsius curis posterioribus (nam priores exprobrare invidiosum): — *Cessit: Senatus, Equitis, accensus favor: Plebisque votis atque judicio patrum Tu pacis auctor* etc. Graevius Epist. ad Nic. Heinsium N. 135. Sylloges Epist. tom. 4.: *Invidia castris victa consensu pio Cessit: secutus equitis accensus favor, Plebisque votis atque judicio patrum* etc. Quarum emendationum neutra probanda est; Lipsii, quod nescio quo modo nunc equitem senatui, nunc plebem patribus adjungit, cum universi populi consensum indicare procul dubio voluerit Tragicus; Graevii propter violentas et pro arbitrio factas mutationes lectionis vulgatae, quae lenioribus remediis videtur sanari posse. Quid igitur Gronovius? At is, miratus, patrum bis fieri mentionem, militum, quorum potissima vis in Imperatore designando, nullam, „hoc," inquit, „voluit dicere auctor: *Invidia tristis victa consensu pio cessit. Cohortibus equitum accessit favor Plebisque vota, idemque judicium Patrum est.* Praetorianis scil., qui primi Caesarem Neronem agnoverunt, traxeruntque facile caeteros exercitus. — *Consensus*, ut ipse Nero, in primâ oratione ad Senatum Tacit. lib. 13. *de auctoritate Patrum*, consensu *militum praefatus.* — Eum consensum vocat *pium*, ut Otho ad milites L. 1. Histor.: *Tumultus proximi initium nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitavit.* (Cf. infra 847.) Quod sequitur, *Tu pacis auctor*, respicit Vitellio jactam vocem, *ipsum esse concordiam.* Sueton. cap. 15. Nisi enim utrobique admissus esset, bellum civile trahendum erat, ut postea, quum constitit alibi Principem quam Romae posse fieri." Ita vir praestantissimus. Qui quod militum hoc loco desiderat mentionem, fallitur, ut quorum *consensum* dicat, ipso monente, Tragicus. Illud mirandum, ne verbo quidem commemorari imperatorem, per quem maxime stetit, ut capesseret rem publicam Nero, qui non adoptatus a Claudio, neque praelatus, ut fuit, filio privignus, profecto nunquam in summum fastigium provectus esset. Significandus igitur ante omnia Claudius, totusque locus ita, ni fallor, legendus est:

Invidia tristis victa consensu pio
Cessit; senatûs, equitis, accensus favor
Plebisque votum est; adque judicium patris
Tu pacis auctor, generis humani arbiter,
Electus orbem jam sacrâ specie regis etc.

*Invidiam tristem* dicit Britannici, quem favere potius necessitudine conjuncto Neroni consentaneum erat, nec lamentabile bellum civile excitare, quo res spectabat, nisi praeventus Agrippinae dolis esset infelix puer. Ejus, inquam, invidiam vicit consensus militum *pius*, ut quo sese obedientes imperatori defuncto ostenderent, et metu turbarum liberarent patriam. Militibus autem in partes Neronis tractis, etiam senatûs, equitum et plebis, id est totius populi Rom., studia accensa sunt; itaque secundum patris per adoptionem Claudii judicium de Nerone, ipsâ adoptione et testamento significatum, electus hic est pacis auctor etc. Eam vexatissimi loci sententiam, ea verba, esse arbitror. Quae quidem verba fere intacta reliquimus: nam quod *adque* scripsi pro *atque* et *patris* pro *patrum*, proclives librariorum lapsus correxisse mihi videor; *votum* autem legitur in Ultrajectino codice MS., et *votum est* in Ald. et Fabric., ne Delrii libros aliquot commemorem, in quibus conspiciebatur *votis est*, quod item fuisse censeo *votū est*, in quo intelligendum ἀπὸ κοινοῦ *accensum* ex superioribus. Denique vulgatum illud *tu* post *orbem* in multis Delrii, omnibus Gruteri, libris non habitum, recidi, semel posito in superioribus pronomine contentus, in ejusque locum suffeci *jam*, quod et convenit orationi, et raptum videtur a praegressae vocis litteris finalibus. De *sacrâ* istâ *specie* recte Gron.: „Significat, illum esse quasi deum in terris, atque ita Lucanus lib. 7.: *Subiere pericula clari Sponte viri sacrâque antiquus imagine miles.* Tacitus 16. Ann.: *Simul ipsius Thraseae venerabilis species obversabatur.*" Ceterum lenis hoc loco Seneca et obnoxius, ut adversus tyrannum implacabilem, *cessit* dixit, cum intelligeret Britannici crudelem necem, et *favorem* pro turpi obsequio; *judicium* autem ejus Principis, „cui (cum Tacito ut loquar Ann. 12, 3) non judicium, non odium erant, nisi indita et jussa;" quomodo et providentiam Claudii sapientiamque praedicare Neronem fecit, omnibus ridentibus, in laudatione funebri, ut idem historicus prodidit Ann. 13, 3. Sed haec hactenus.

499. *sibi.* Malit Gron. *mihi.* Sed legendum potius *Cui liceat* etc. Quae dementia est ejusmodi cives servari ab eo, cui liceat interficere suspectos sibi? 501. *A quo salutem tulerat.* In pugnâ Pharsalicâ. Vid. Gron. 505. *tunc.* Pall. et Ascens.: *non*, quod fortasse *nunc* fuit. Cf. Ovidii Met. 6, 666; 9, 759; 12, 244, 505, etc.

517 seqq. *Etiam* haec male habuere viros doctos. Quorum Gron., hiatu offensus, reponi jubet *mersit et Siculum mare*. Sed satius est legere cum Ascensio *exhausit*. Pompejum ejusque filios dicit et Pompejanos, qui terrâ marique, neque unâ acie, cesserunt, id est victi fuerunt, quorumque classes virosque proelium tandem ad Siciliam *exhausit* illud, in quo fusus Sextus Pompejus in Asiam aufugit, ibique interfectus est. Sequente versu MSS. et vett. edd. praeter Ald., item Delrius: cedentes *suos*, unde Gron.: ced. *furor*. Imo *feros*, quae vocabula permisceri solent. Vid. index v. ferus. *Feri* profecto Pompejani, praesertim judice Nerone, qui *nefando civium scelere* occidisse dicit Julium Caesarem supra 504. 520. plane sic, ut jubet Gron., legitur in vetustis edd., quas recte Delrius sequitur, Scriverius aliique temere contemserunt. Mox haud dubie rescribendum *iste*, periturus brevi. Etiam haec pronomina saepius confundi tam notum est, quam quod notissimum. *Ipse* autem prorsus alienum est, *iste* convenit, dictum illud quidem per contemtum et ad reprehensionem, quomodo usurpari monet Donatus ad Terentii Andr. prol. 15 et Adelph. 18. 546. vulgo: *invenit*, minus concinnâ oratione. Ascens. et Lugd.: *invenit*. „Scilicet dolor," inquit Delrius. 547. Ultraj. *cedit*, quod fortius vulgato, nec fortasse ineptum in confidentissimo Nerone. Fern. et Caj. *cederet*. 555. Malim *Recedet*. Debile vulgatum. 561. Ultraj. et vett. edd. *instruit* pro *miscuit*, quod ridens Lovaniensis: „Quomodo?" inquit. „An facem arcu jaculatur? Miror non exuri nervum." Ad quae Gron.: „Immo, dedit ei arcum et facem." Sed quis ita locutus unquam? Sane legendum secundum istos libros: *Arcuque sacro et instruit saevâ face*. 570. Vett. edd., cum ab Aldi discesseris, *procreatur*, et mox *Jungatque*, quod habetur etiam in aliquot Delrii libris et Trajectino, vulgato quidem eo magis praeferendum, quod modo legimus *jugales*. 574. Gron. malit: Vix sustineret *justus* hos etc. Et est sane paulo languidior vulgata. 583. Haec dum affirmari putant, cum rogentur, inanes turbas faciunt viri docti. 584. *Negare durum est*. Recte Gruterus: „Cum sciam raro Principes aliquid negasse populo agminatim petenti, putârim Senecam instillare Neroni, ne se heic opponat multitudini, quam sententiam plane approbat versus sequens *Remittat ipse*" etc. 586. *Sit licet*. Ita codd. duo Schroederi, Ultraj. et vett. edd., quod recte explicat vir clar., „levem quidem et vanam esse famam, sed nihilominus eam multos infamiâ notare." Vulgo *Si licet*. 592. Fort. *Et ipsa populi vota* etc.: nam τοῦ *ipse* hic pondus nullum. 593. *Cum portet utero pignus et partem mei*. Quaenam portat? nam hoc per se non intelligatur. Legendum videtur:

Cum portet utero *dignior* partem mei.

*Dignior* quam Octavia, de quâ dictum in proximis. Tu d forte verso exstitit, opinor, *pignior*, *pignier*, *pignus* et. Possis etiam: C. p. u. *digna sic* p. m., *sic*, nondum mihi nupta. Vidd. Interpres ad Terent. And. 1, 2, 4, nos ad Plauti Menaechm. 564. Sed alterum praestat. Ultraj.: *Dum* portet, et sequente versu non *proximam*, ut vulgo, sed *proximum*, quod variandi soni gratiâ recipiendum in ordinem esse existimavimus.

596. Ultraj.: *deferens.* 611. Fieri non potest, ut negatio tam longe ab initio removeatur orationis. Miscuerunt nonnunquam librarii duorum versuum continuorum hemistichia, ita ut quod prioris versûs esset, ad posteriorem referrent, et posterioris ad priorem; quam oscitantiam castigavit Acidalius in Divinationibus Plautinis. Sic Ovidii Metam. 8, 701. cum in plerisque omnibus exemplaribus legeretur:

Stramina flavescunt, aurataque tecta videntur,
Caelataeque fores, adopertaque marmora tellus,

ecce alii libri, qui sic:

Stramina flavescunt, adopertaque marmore tellus,
Caelataeque fores, aurataque t. v.

Eâdem labe hic affectus locus, quem ita se habuisse puto in poëtae autographo:

—— —— gravem.
Nec odia nati sanguine extinxi meo,
Erepta pelago: saevit in nomen ferus
Matris tyrannus.

613. Ne mihi quidem emendatus videtur hic versus, neque improbo Grotii commentum hoc *titulos destruit memores mei*, nisi quod longius recedit a receptâ scripturâ. Possis: *Mortis metus*, ut simulacris titulisque terreri dicatur Mors, tanquam rebus, quibus obviam itur morti sive oblivioni. Sed affectatum videtur. Quare malim *more improbo*, vel *more impio*. Saepius m et p mixta in codd. 619. *Tumulumque nati.* Non sic Tacitus Ann. 13, 16, quem alias sequitur hic scriptor. Mog. et Ultraj.: Tum. *ulcisci*; vett. edd. praeter Aldi: Tum. *nasci* possit (Ascens. tamen *poscit*). An fuit Tum. *miserae*? Sequente versu Ultraj.: T. h. l. *puto*, et 633: *ac* cunctis egens; mox vero: Genit. ira, *cadat ut in* tantis malis, et 641. cum Moguntinensi *Mecum.* Notum Persii: *Ira cadat naso.* Ait Agrippina, tantis vitiorum et infortuniorum malis obsessum Neronem esse, ut se ipsam ejus miserescat, iraque cedat aliquantum matris, ab ipso interemtae. Quod quidam non sunt assecuti. Τὸ *Mecum* apertam habet sententiam; sed *Meus* tenerius est, nec

male explicatur a Grutero: „quem non puderet agnoscere vel apud Inferos, ubi *nunc me pudor luctusque perpetuus manet Ex te, nefande*, ut mox loquitur.“ Vid. ad Herc. Oet. 1275. 647. mendosum est *meis*. Legendum puto *nimis*. Conf. supra 579. 663. Quamvis bella haec videantur critico Lugdunensi, nos vidisse hic aliquid Gruterum contendimus, negamusque ferri posse tria epitheta sic conjuncta. Fuitne fortasse: Potes hoc clemens sperare? *hoc clemens*, hanc clementiam, ut *fallax serenum* et similia, de quibus vidd. G. J. Vossius Syntax. lat. pag. 4. et grammatici. Non raro confundi cl et d, supra monuimus, secundum Paulum Leopardum Emend. 10, 25. 684. *clausit*. Ita vett. edd., ut fere ubique in his tragoediis, neque opus semper est τῷ *cludere*, quod obtrudunt. Vid. ad Thyest. 491. 691. optime Grotius *infectis*, ubi libri *infelix*: nam quis vel Marmitam audiat, sic interpretatum: „infelix, ferens infelicitatem principi,“ vel Badium Ascensium, qui sic: „ipsa manus infelix, quod talia illi facere expediat“?

799.

— quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecae; tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris, maximum numen, Venus.

Taedet ineptiarum Delrii, corrupta interpretantis. Nec tamen Gronovio assentior, qui, expuncto nomine Senecae, legendum putat: *Et culpa nuptae*. Reposuerim potius: *Nec culta* Senecae tradidit etc. id est: Et non culta Senecae etc., quemadmodum hae particulae saepe confunduntur, *sagiptis* autem pro *sagittis* legitur Ovidii Met. 8, 31 in MS. Berolin., et nullis *superata* pro nullis *iterata* ibidem 172 in plerisque codd. vetustis. Non inepte abhorrere a Veneris cultu dicit Senecam, qui deum esse Amorem supra negaverit 559, nec nutrice Phaedrae (Hippol. 196 seqq.) religiosiorem se ostendat. Eum sui contemtum ulta Venus vinctum tradidisse Poppaeae dicitur Neronem. 714. vett. edd., in his Fern., *Quis* pallor. 718. *Sideribus atris*. Improbam scripturam! nec tamen hiscunt editores, et, quod ille ait, *faciunt intelligendo, ut nihil intelligant*. Quaenam, quaeso, sunt *atra* sidera? Legendum videtur Sideribus *actis*, motis, latis vel lapsis per coelum. Ovidius Metam. 2, 71:

Adde, quod adsidua rapitur vertigine coelum,
*Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.*

728. Mog. Eguian. Ultraj.: *Subducta* subito. 735. recte Ultraj. vett. edd. et Delrius secundum suos libros: *Irrupit*: nam sequitur *condidit*. 739. genuinum esse non potest *timor*, quod altero abhinc versu positum. Non male reponas *stupor*. 743. satis probabiliter

Gron.: *intentas* vigor. 784. Ultraj.: Pulsata *manibus*, quód ex interpretatione videtur irrepsisse. 763 sequ. Gron.: *Tu* vota pro me s., et p. p. S. adora, *monuit* ut p. m. Illud plane probo; sed pro *manet* cum in Mog. Ultraj. Herbipol. Fern. et Venetis legatur *maneat*, haud nolim rescribi potius *adorato*, *abeat*. Mixtae non semel b p et n litterae, quem locum induxi nuper in Vindiciis Ovid. ad Metam. 5, 99.

783. *exsultat*. Rectissime Raphelengius: *excubat*. Numerorum causâ legendum trajectis verbis:

Quicunque tectis excubat miles ducis.

Taedet frigidarum explicationum. 788. Ita Ultraj. et Ascens. Vulgo: *attonitus*. 789. *favore* pro vulgato *furore* bene Gron. reposuit. Sed hoc defungi non licet: nam *perculsum favore* quis dixit unquam? id quod animadvertit etiam Clar. Schroederus. Ultraj. sequente versu *Nunc* efferata, ubi ceteri libri *Et* efferata, quod ab aliquo correctore male feriato intrusum puto, postquam obtinuisset *perculsa*. Tu lege:

Octaviae favore perculsae agmina
Nunc efferata per nefas ingens ruunt.

*Perculsae* absolute, ut apud Nepotem, Tacitum, alios. *Nunc* significanter, post celebratas Neronis cum Poppaeâ nuptias. Hâctenus se populus continuerat; nunc efferatus favore Octaviae tumultuatur. 792. Gron.: „Claudiae *Divi parant.*] *Octaviae Neronis*, inquit Delrius. Sed scripsit auctor: *Reddere penates Claudiae domini parant.* Nisi forte: *Augusti.*" Imo neutrum horum probandum, sed legendum est:

Reddere penates Claudiae (dî!) vi parant.

Ovidius Met. 12, 545: *Ille quidem majora fide* (*dî*) *gessit*, ad quem locum vidd. interpretes. Thyest. 1071: Quocunque *diffugistis*, ubi similiter Gron.: *Q.*, *dî*, *fugistis*. 803. Verum vidisse censeo Delrium, suadentem *reticet*, quod et Gronovio arrisit. Mox recte Grotius: conjugem *dedat* novam, ubi vulgo *reddat*. 814. *Laesi*. Commelinus: „Id est: ob laesum Cupidinem dabitis poenas, ut sit hellenismus, ἕνεκα." 827. Tres Delr., unus Raphel., Cruser. et Ultraj.: *Funesta*. 830. male libri: *Et* illa etc. Populum morte se puniturum negat, sed eâ solam Octaviam affecturum. Saepe hae voculae confusae. 832. Parum placent cumulata in finibus versuum *mihi*, *meo*, *suo*, *meis*. Fortasse Tragicus dederat Suspecta c. et a. semper *nimis*, et altero post versu: sanguine extinguat *fero*, id est immiti. Cf. supra 545, infra 876. De *nimis* a nobis tentato vid. ad 579. 846. Ultraj. *discat*. 851. Ald. *Et hoc satis est*.

Fort.: *Et satis hoc est?* correpto pronomine, numeris autem valentioribus. Vid. ad Herc. fur. 1138. 852. *Compescis?* Quid hoc sibi vult? Nonne reponendum *Cur parcis?* quo referatur, quod dicit Praefectus 863:

Quam poscat, ede: *nostra ne parcat manus.*

Similia r, n, m denique in MSS. Vid. ad Thyest. 49. Pacuvius apud Non. v. frons:

Voce suppressâ, iratâ fronte, voltu turbido.

ubi codd.: V. suppressa, innata f., v. t. Attius, ut opinor, apud Cic. de Divinat. 1, 21: Quo facto pater Rex ipse Priamus somnio, mortis metu Perculsus etc., ubi vulgo: mentis metu. 856. *caram.* Lipsii codex: *tantam.* Sed neque id placet, neque quod Delrio in mentem reponi posse, modo ne illud admittatur, *sanctam.* Bene habet vulgata. 861. Ira Neronis, quâ commotum non decet graviora in quenquam decernere. 863. *parcat.* Ascens. et Lugd.: *peccet.* 865. *Vinctum* requiri a verbo *adstrinxit* putabat Raph. 866. *Parere dubitas.* Ita Caj. Non esse hanc interrogationem, ut est in vulgatis, ex responsione praefecti intelligitur. 870. *potuit.* Sustinuit, ausus est. Infra 898: cernere *possunt* etc. 875. *quae tam sera.* Sic libri frequentissimo errore. Legendum *jam*, nunc, nunc demum. 902. rectius fuerit *Atque* evertit. Mox libri:

— jubet;<br>
Si mihi vitam fracta remittit<br>
Tot jam nostris evicta malis;<br>
Si caede etc.

Correxit Gron. 920. malim *Reddat*, ἀντιφωνοῖ ἄν, ut deflere *potest.* 924. Frustra Gron. *sedemque.* 929. Albert. Eibius, scriptos secutus in Margaritâ poëticâ, et Veneti: Nec sibi *quisquam* etc. pro *Per quae* autem plerique libri, in his Aldinus, *Perquam.* „Latet aliquid mendi," inquit Delrius. Imo hoc, ni fallor:

Regitur fatis mortale genus,<br>
Nec sibi quisquam spondere potest<br>
Firmam et stabilem Parcam; casus<br>
Volvit varios<br>
Semper nobis metuenda dies.

Saepissime c et qu confusa. *Parcam*, ut apud Horatium Od. 2, 16, 39. 935. *Quid* non convenit, ut quod significet *Cur saevior est F. t.?* Malim *Qui*, quomodo, quâ in re. 938. Agrippina, uxor Germanici, quae itidem relegata a Tiberio fuit in insulam Pandatariam. 944. Quid? *Funera*, deinde luctus, tum *letum?* Apage ineptias, et mecum lege: *Vulnera*, quae vocabula etiam alibi confusa. Vid. ad

Troad. 720. Suetonius Tiber. cap. 53.: „Novissime calumniatus, modo ad statuam Augusti, modo ad exercitus, confugere velle, Pandatariam relegavit, *conviciantique oculum per centurionem verberibus excussit.* Rursus mori inediâ destinanti, *per vim ore diducto*, inferciri cibum jussit." 945. Ita Ascens. Vulgo: secuta *est*. 963. *mittit.* Sic vett. edd. praeter Aldi, quod efficacius vulgato *mittet*. 967. *Quibus in nos jus.* Ita MS. Ultraject., quâ lectione numeri eriguntur. Vulgo: *queis jus in nos*. 977. *Pandatariae.* Palmaria Lipsii emendatio. Cogitat Octavia de hâc potissimum insulâ propterea, quod Agrippina, Germanici uxor, relegata in eam fuerat; nam certi de hâc re nihil scire infelicem mulierem, ex 903. et sequente intelligitur. Scripti *tandem variae*, *tandem phare*, edd. primae *tandem phariae*, quod frustra tuetur febriculosus interpres *). Supra monuimus, p et t litteras nonnunquam permisceri; quod et hic factum.

## EXPLICATIO SIGNORUM METRICORUM.

*a.*, anapaesticus. *ad.* vel *adon.*, adoneus. *Aeol.*, Aeolius. *alc.*, alcaicus. *anacr.*, anacreonteus. *archil.*, archilocheus. *as.*, asynartetus. *asclep.*, asclepiadeus.

*br.* vel *brach.*, brachycatalecticus.

*c.* vel *cat.*, catalecticus. *chor.*, choriambus vel choriambicus. *cl.*, clodus.

*d.*, dimeter. *dact.*, dactylicus. *do.* vel *dochm.*, dochmius vel dochmiacus.

*galliamb.*, galliambus. *glyc.* vel *glycon.*, glyconeus.

*h.* vel *hyp.*, hypercatalecticus. *hendecas.*, hendecasyllabus. *her.*, heroicus. *hexam.*, hexameter.

*i.*, iambicus. *inv.*, inversus.

*log.*, logaoedicus.

*m.*, monometer.

*pent.*, pentameter. *pher.*, pherecrateus. *pol.*, polyschematistus.

*s.* vel *sen.*, senarius. *sapph.*, sapphicus.

*t.* vel *tr.*, trochaicus. *tetr.*, tetrameter. *tr.*, trimeter. *t. t.*, trochaicus tetrameter.

*) Delrius in fine Commentarii: „Vale, Lector, quisquis es, et his fruere, quae tibi conscripsi, grassante anno 1586. saevissimâ peste, Burdigalae, quando per *quartanae febris* molestias licebat, *quae me anno tunc integro tenuit*, et a gravioribus Theologiae philosophiaeque studiis ad leviora haec avocavit."

# INDEX

## RERUM MEMORABILIUM.


A domo, ante domum H. f. 1143.
a flatu tremit Agam. 431.
accentus pravi verborum Med. 267.
Achillis Statii locus singularis de lunâ H. f. 83.
ac, ad, at, et, an, aut, haud, confusa, H. f. 622, Th. 138, 196, Ph. 339, 651, Agam. 269, Hipp. 1050, H. O. 1434.
ad pro in, et contra, Ph. 207.
adice et similia Ph. 426. Sic et *obicias* Plaut. Asin. 790, et *obicis* Lucan 8, 796.
adligare nove dictum Med. 98.
aetherius, non aethereus, Ph. 420.
aevi metus Oct. 291.
Agamemno et similia. Ag. 512. Sed cf. quae ad Th. 783.
agere op s Med. 485.
agnominatio H. O. 1202.
*αἰ, αἰ* Med. 786 apud Gron.
Alcmanis locus constitutus Ag. 594.
alia nox H. O. 1116.
aliquid, res non contemnenda, H. O. 1850.
altus. vetustus, antiquus. Herc. f. 339. cf. Nic. Heins. ad Ovid. Fast. 4, 305. Broukhus. ad Propert. 2, 1, 26.
anastrophe Th. 227.
animus compellatus Hipp. 719. ira H. O. 31.
apex inscriptus pro signo delendi Med. 998.
aptare, parare, Oed. 96.
Apulejus tentatus Florid. 2. sub initium ad Ph. 542.
at occupantis Hipp. 265.
*atque* et *que* mixta Th. 913.
Attius emend. Decio H. f. 498, Oedip. 1038, not. Antig. ibid. 448. Armorum jud. H. f. 523 not. Astyan. Hipp. 853. Bacch. Ag. 594 not. Eurys. H. O. 102 not. Phaëthonte, ut videtur, H. O. 1501. Tro., si forte, Oct. 852.
auctrix in MS. Eguian. Med. 968.
audet, potest, H. O. 1289.
aura? spiritus, Oed. 734.
Aurora pudoricolor Hipp. 652.
aut et haud confundi, Ag. 269.
Baccheus Oed. 113.
Hieron. Balbi argumenta harum fabularum metrica nonnunquam corr. cta ab editore, ad argum. Troadum.
basis quae dicatur in re metricâ apud vett. grammaticos, Ag. 587.
Batrachomyomach. 284. emendata H. f. 763.
bis ponenda semel perscripta Th. 416, Med. 693, Ag. 860.
Captus toris nefandis Oct. 140.
Centauri feri, *ἄγριοι*, H. O. 513.
Cicero de finn. 1, 16. emend. ad Ag. 877.
cingere, terminare, claudere, Ph. 375.
Cithaeron, deus montis cognominis, Ph. 31.
citius, cito vel statim, Ag. 957.
claudere et cludere Th. 491, Oct. 684.
clausulae versuum Tro. 405.

clemens hoc, Oct. 664.
clepere se Med. 156.
coelum adspicere, vivere, Th. 5.
colus, colos, H. O. 779.
commodare scelera Med. 896.
compendia verborum fons corruptionis Med. 308.
comprecari sacrum sive aram Med. 681.
conjunctio excidit H. f. 763, Oct. 590. intrusa Oed. 1038, Med. 850. simplex pro adversante Med. 330.
cornu, tibia Phrygia, Tro. 785.
cunctim? Ph. 342.
cupere et petere Ph. 196.
cum et tum permixta H. O. 518.

Da, dic, H. f. 614.
dativus pro accusativo cum praepositione Oct. 400.
defectus frequens in libris, etiam antiquissimis sincerissimisque, Oed. 34.
doi, dei superi, Th. 3. mundum administrantes ex sententiâ Stoicorum ibid. 604. cf. Stat. Theb. 8, 76. 120.
dejicere et disjicere Ph. 343.
Mart. Anton. Delrii, editoris harum tragoediarum, mira quaedam oscitantia Hipp. 1198.
diaeresis Med. 606. (sacro—sancta.)
dies, acta diei, H. O. 424. aër, ibidem 1633.
Dira? H. O. 1008, ut valva? H. f. 999.
dirae fictae ut plurimum ex factis Ph. 358.
dissors H. f. 711.
διττογραφίαις plenae hae tragoediae, H. f. 12, Tro. 197 etc.
dolor, causa doloris, H. O. 1793.
domi, tecum, H. O. 1575.
donare, gratiam facere, Ph. 233, Med. 1004.
δραματικόν τι orationum Hipp. 859, Oed. 397, Ag. 412.
dudum Ag. 1001.

Eat, pereat, Oed. 700. eatur, ibo, Th. 330, ut non perferetur, non perferam, H. O. 306.
edomitor, si forte, H. f. 619.
ei et et confusa H. O. 1322.
Alberti Eib, „qui," ut ait Delrius, „Pii II. cubicularius fuit, et videtur MSS. tantum libris usus, nonnullis etiam, qui nobis perierunt," Margarita poëtica, in quâ Excerpta ex his X tragoediis, H. f. 353 et passim.
ellipsis nominis repetendi Tro. 46.
E pro ae in scriptis H. f. 592.
ἓν διὰ δυοῖν Oed. 545 etc.
enicare Hipp. 455.
Ennius emend. Cresph. Tro. 417. Eumenid. H. O. 116. Hectoris Lytr. Oed. 13. Phoenice Th. 138.
Epicharmus emend. Med. 850 in not.
equestri pede Ph. 396.
equidem de qualibet persona in usu fuit: hoc si forte in notis me fugerit, vulgarem usum spectantem, retractes videasque Horat. Tursellin. de partic. lat. orat., Basil. Fabri Thes. erud. schol. h. v., et, cuius hic locum ponit, Servium ad Virg. Aen. 1, 576. Lucanus quoque 8, 824: Haud equidem immerito Cumanae carmine vatis *Cautum* etc. Cf. Schelleri Lexic. L. L. h. v.
Eridanus, Atticae fluvius, Oed. 285.
errat, versatur, H. f. 1193.
*et* et *est* confusa Hipp. 658. *et* et *ut* Ph. 450.
*et* pro *at* H. O. 1356. *et* vel *quae*, ubi *sed* expectes, Ph. 243.
etiam iratorum Ag. 975.
excutiens, exceptum repellens, H. O. 1385.
execrabilis, expectare etc. scribendum esse potius quam exsecrabilis etc. H. O. 243.
exigere, examinare, probare, experiri, Ag. 926.
extremum littus Med. 620.
exul et exulans Med. 852.

Facere, facere velle seu paratum esse, Med. 976.
famuli, administri, H. O. 365.
ferat, auferat, Med. 197.
ferus et suus confusa Ph. 23, Hipp. 126, H. O. 1378, Oct. 519.

flammifer et flammiger similiaque confusa, H. f. 977, Hipp. 909.
focus, domus, H. O. 1798.
frigit Oed. 39.
frugem, reditum, Oct. 416.
fuga, itio velox; fugere, ire, Th. 1043, Med. 190, H. O. 140. Cf. etiam vet. schol. Horat. ad Od. 2, 1, 19.
fugitivus et profugus Med. 115.
fuit, esse desiit, H. O. 105.
futurum pro imperativo Th. 333. pro praesenti Med. 410.

Genus, genus humanum, H. O. 63, 761, 1811, 1863.
glossatorum aliqua facinora, in his metrica quae dicas, Hipp. 687, 783, 1140.
J. F. Gronovii judicium de MSS. veteribus Ph. 402.

Hac, qua: hic, ubi, Ph. 22, 614.
Hecabe Tro. 863.
Dan. Heinsii prudens oratio de J. Lipsio et magnis viris H. O. 357.
hiatu Seneca abstinet, Ag. 758, 830.
hic, adverb, non heic, Hipp. 508. pron. in dicendis Th. 752. correptum H. f. 1138, Oct. 851. hôc, propter hoc, eo signo, Tro. 619.
Horatius vindicatus ab imperitiâ Metricorum Od. 1, 23, 4 ad Oed. 712.
hypallage Ag. 38, 406, H. O. 381, Oct. 41, 155.

I litterae duae continuae in unam syllabam contractae H. f. 49.
*jaceo*: jacet barba, i. e. squalore foedata horret. Th. 507. Hipp. 804. Transfertur etiam ad alia. Ag. 236. 903. cf. Broukh. ad Prop. 2, 7, 22.
iam et nam mixta H. f. 614. iam et tam Oct. 875.
Illyria, Illyrica, H. f. 393.
immunis absolute Oct. 415.
imperat. pro nominat. H. O. 3.
*in* et *ad* confusa Med. 13.
*in* finem actionis significans Med. 19. etiam Lucan. 6, 682.: Dum vivunt vultus, atque os *in* murmura pulsant Singultus animae.
infelix, malus, Th. 1047.
initiales versuum litterae omissae H. O. 116.
inquit iteratum quo saepe pertineat, H. O. 795.
interpunctione laborant Ph. 82, Hipp. 1195, Tro. 619, Med. 201, 535, Ag. 591 seqq. 724, H. O. 446, Oct. 400, 463 etc. J. Lipsius in epistolâ ad Raphelengium, animadversionibus in has tragoedias praefixâ: „Illud te moneo, interpunctiones et discrimina valde vitiata esse. quorum cum in ejusmodi subtilioribus scriptoribus grande momentum sit, tu vide ut corrigas."
interrogatio in re certa. H. f. 577.
intra et infra confusa Med. 521, H. O. 45.
*is* syllaba extrema pers. sec. sing. perfecti subjunct. porrecta ante vocalem Th. 1106.
iste et ipse confusa Med. 982, Ag. 656, H. O. 739. iste per contemtum Oct. 522.
iter unum habere H. O. 1774.
junctim Ph. 342.
justa dextra sinuare arcum H. f. 1198.

Lauru Ag. 770.
libet et licet confusa Oed. 673. Oct. 58.
Antonin. Liberalis emend. Hipp. 671.
Librarios emendata adscribere rejectis, neque haec expungere solere, docetur ad H. f. 683, 1064, Ph. 47, *Hipp*. 261. ut et ipsos scriptores, Hipp. 280. librariorum in digerendis versibus poëtarum nulla auctoritas, Ag. 314.
ligare in re magicâ Med. 743.
littera altera alteri adhaerens H. f. 161, 498. litterae duae altera alterius loco posita, ut in τῷ *civisatque* pro *civitasque*, H. f. 268. Vide etiam ibidem ad 571, 741, Oed. 45, H. O. 229, 826. eaedem et syllabae frequentius illatae fugiuntur, H. f. 212, 225, 383, 683, 726. extremae vocabulorum, praesertim eae, quae

per compendia scribi solent, non raro depravatae, Hipp. 671, Oedip. 162, Tro. 1039. ob similitudinem omissae vel earundem vocum mediae, vel diversarum primae et ultimae, Ph. 504, Med. 749, H. O. 400. versae H O. 633, Oct. 593 et passim. Litterarum ductus vel numero tantum similes inter se confundi significatur ad Ag. 877 et H. O. 1613.
Lucanus emend. 1, 92 ad H. f. 498. 1, 231 Ph. 450, not. 2, 567 H. O. 449, not. 3, 357 Hipp. 658 not.
luci Hipp. 679.
lurent H. f. 767.
lusus Hipp. 450.
Lygdamus, elegiarum scriptor, quae inter Tibulli leguntur, servus Propertii, Ag. 12.

Male, cum damno vel in poenam, Th. 3, Ag. 494.
malum, pestis, monstrum, H. O. 1400.
manus nobiles regum Med. 456.
marita pellex Ag. 258. marita Thebes regna H. O. 1802. maritum caput Oct. 132.
Martialis emend. 11, 41 ad Med. 913.
mea ἐμφατικῶς Oct. 386.
meliora, bona, Ag. 404.
Paul. Melissus, metrorum intelligens, Ag. 314.
mensum, mensium, Ph. 536.
mergere vultum, H. O. 1549.
merus tumulus, Tro. 814.
miis, meis, secundum Velium Longum, Tro. 182, ubi μονοσύλλαβον.
Minos, Theseum amans, auctore Teneo Chio, Hipp. 656.
mobiles loci versuum, Oed. 712, Ag. 587. solutis spondeis Oed. 728, Ag. 589, 633.
Mopsi duo confusi Med. 654.
mortis metus, terricula mortis, Oct. 613.
mundus animans ex sententiâ Stoicorum Th. 885.

Naevius emend. Lycurgo ad Oed. 1038 not. Ag. 906 not. incert. trag. H. O. 1204.
ne, ne quidem, Oed. 138. ne veniat Med. 511.
nempe in interrogatione Hipp. 645.
*nimis* varie corruptum Oct. 647.
novare veneres Tro. 308.
numerus pluralis per elegantiam H. f. 615, Tro. 537. pro singulari, quod ἐνεργέστερον Ph. 368, Med. 278. singularis pro plurali usurpatus H. f. 497.
nunc pro tunc Oct. 505.

O coalescens cum sequente vocali Med. 466.
Oceanus inferus H. O. 744.
oculi „amoris inlices,“ Med. 954.
Oïleus, Oïlei filius, Med. 662.
omne, τὸ πᾶν, H. O. 48. omnes, ceteros omnes, H. f. 995.
ὁμοιοτέλευτον. Vid. Similia.
oratio varianda, H. f. 474.
orbis conseptus, H. O. 416.
otii mala H. O. 1331. otio, sero, ibidem.
Ovidius emendatus Met. 4, 283 Tro. 594. interpunctione Met. 8, 28 ad H. f. 577.

Pacuvius emend. Chryse H. O. 273. Duloreste ibid. 48, 1752. incert. fab. Oct. 852.
παραλογίζεσθαι concessum poëtis Med. 623.
Parnes, Parnethis, Hipp. 4.
παρόμοιον Med. 508.
participia in rus voluntatem rei faciendae nonnunquam significantia Hipp. 831. praesentis et praeteriti promiscue usurpata per necessitatem H. f. 1182.
patere, valere, esse, H. O. 165.
pati, καρτερεῖν, H. f. 353, Th. 470.
pax alta, mors, Ag. 594.
Pelopeus, Pelopius, et similia, Th. 22 et 641.
Penthesilea versa Tro. 247.
perculsae absolute Oct. 789.
perfecta ἀορίστως Hipp. 88.
perfectorum primae et tertiae personae sing. confusae Th. 1041. Cf. plusquamperfecta.
perferre, nuntiare, Hipp. 733.

pergracilis Maeander Hipp. 13.
persequi et prosequi Th. 149.
persona dicta pro re Ag. 250. personae interloquentes male perscriptae Phoen. 347, 651, Med. 1014, Ag. 962.
pes, ἐπίπεδον, H. f. 161.
pietas militum, Oct. 487.
piger, pigre, raro, Med. 330.
plusquamperfecta et perfecta confusa Hipp. 540.
Poëtae cujusdam Graeci ex dramaticis vel gnomicis versus restitutus Oed. 831.
polyptoton Ag. 220.
pondus, corpus, Oed. 138.
posse, sustinere, audere, Th. 442, Med. 976, Oct. 870. valere, H. O. 165. potest, fieri potest, Med. 568.
possedit ἀοϱίστως Troad. 567.
praecipitare παθητικῶς Hipp. 767.
praesens tempus in re fieri solitâ Hipp. 225. pro futuro Th. 9, Oed. 1019, Tro. 979, Med. 938 et inprimis Hipp. 225. pro perfecto Oed. 786, H. O. 1885.
praestare, exhibere, Ph. 779.
prima fabula et similia Oed. 312.
pro fato H. O. 165. pro vindice Hipp. 261.
Probalinthos Tro. 846.
Propertius tentatus eleg. 3, 17, 14 ad Med. 557 in notâ.
Pyriphlegethon Ph. 145.

*Quà* pro qua parte vel quo loco: Horat. Sat. 1, 8, 15. (secundum Bentl. et Cuningham.): Aggere in aprico spatiari, *quà* modo tristes Albis informem spectabant ossibus agrum. Lucan. 8, 211: orbis, *Quà* Romanus erat. Et ibid. 227 *Quà* rapidus Ganges et quà Nysaeus Hydaspes Accedunt pelago. Vid. Hac.
quatuor δισύλλαβον? H. O. 1096.
*que* et *re* mixta Hipp. 909, Med. 661. *que* et *ve* Ph. 438, Med. 409. *que* in repetendis ἀπὸ κοινοῦ Ph. 455.
*qui* et *quis*, *quid* et *quis*, *quid* et *quod*, confusa H. O. 1125, Ag. 146, Hipp. 185. quid? τί δαί; H. f. 1194, Th. 1104. quid hoc est? Th. 421. quid ille? et similia H. f. 1194 et Hipp. 151. quid moror? Ph. 30.

Radii, radii solis, Oed. 339.
rapit, celeriter agit, Oct. 121.
reddere, edere, ostendere, Oed. 877. Med. 246.
res dicta pro personâ H. O. 424.
resoluta pro soluta Oed. 138.
rutilare οὐδετέϱως H. f. 948.

S et t litterae similes scripturâ Longobardicâ, H. f. 268.
Salamis vera Tro. 848.
*sanguis* posteriore syllabâ longâ ante vocalem Med. 776.
scriptura continua inducens in fraudem H. f. 341, Hipp. 972.
scyphus vilis Hipp. 209.
Scythica, septemtrionalia, H. O. 40.
secundus panis et similia Hipp. 142.
*sed* conjungens Th. 934. *sed*, et quidem, Med. 951. set Hipp. 758, 972. set vel sed et si confusa Hipp. 775.
sedeat, maneat, Med. 557.
L. A. Seneca asyndeto frequentius utitur, H. f. 238, 649, Th. 320, H. O. 1125, 1512. a vetusto sermone non abhorrens, H. f. 999, Oed. 412, Tro. 182, Ag. 512. e Graecis feré pendens, praesertim in metris, Oed. 404, Th. 785. Cf. tamen annotata ad Ag. 512. nova et insolita captans, H. f. 767, 999. similia Hipp. 302. Ejus tragoediarum codices scripti adhuc cogniti non magni pretii, cum a Delrii Moguntiaco, Lipsii Melissaeo, et Gronovii Florentino discesseris. De Moguntiaco id tantum Delrius, integrum esse, sed prorsus recentem, et in collegio Societatis Jesu Moguntiaco asservari. De codice suo, quem veterem vocat, Lipsius, quae paucissima ad H. O. 357. posuimus in

notâ. De altero, quo usus est, deteriore ibidem dictum. De Florentino libro J. F. Gronovius in praefatione: „Quum Florentiae," inquit, „Magni Ducis bibliothecam perlustrarem, advertit oculos meos volumen Tragoediarum Senecae in membranis spectatissimae manus ac fidei, ut statim intuenti primum mihi videbatur, et postea certis argumentis cognovi. Praeter ipsam literarum formam," (sed qualem tandem?) „loca quaedam, quorum in labem manifestam et desperatam aut incassum tentatam omnes alii chirographi conjurarant, mirifice ac supra spem restituta reperiebam. — Illa quoque non levis videbatur commendatio Florentini codicis, quod affirmaret, quicquid utiliter ad vulgatos emendandos ex antiquitus scriptis alii produxerant; prae caeteris Lipsius e lectione suorum. — Mirabar etiam in Etrusco libro ut primae bonitatis notam, *Troadas* semper, non *Troada*, et *Phoenissas* semper, *Thebaïda* nusquam appellari; quorum neutrum ullis in superiorum sive membranis sive chartis observatum, etsi prius jam disputando viri docti collegerint. Sed et ultimam Tragoediarum deesse accipiebam pro argumento, transscriptum de exemplari, cui Octavia, quam satis constat Senecae non esse, nondum accrecreverat" etc. Qui codex praestantissimus ex nostris demum annotationibus penitus cognoscetur, cum satis multas ejus, in iisque perbonas, lectiones silentio Gronovius praeterierit, quas fugitivas retraximus ope schedarum Dietzianarum, de quibus in praefatione monitum, ut et de chirographo minime malae notae, quod item adhibuimus, Ultrajectino. Jam de MSS. Commelinianis novemque Palatinis, quos Gruterus excussit, inspectos illos quidem cum aliis etiam a Commelino, item de exemplari illo Johannis Regiomontani, mathematici, manu descripto, quod usurpavit G. Fabricius, paucis dictum ad Phoen. 402. De ceteris, in his Eguiano et schediorum simili Burdegalensi, quos libros scriptos praeter Moguntiacum Delrius usurpavit cum tertio proprio, paucis foliis ab initio et in fine destituto, et quarto collegii Winckeliani, quod Lovanii tum erat, aliisque aliorum, inprimis Torkilli Badenii, passim in annotationibus est commemoratum. Editionum vetustarum Ascensiana et Aldina neglectae fuerunt a Delrio, Grutero atque ipso Gronovio; ut videre est in animadversionibus nostris ad Hipp. 231, 417, Phoen. 42, Med. 658. Editionem Caroli Fernandi Parisiensem e tenebris nos protraximus; de quo libro antiquissimo plura in praefatione. Sed haec hactenus. Senecae laudes vide ad Oed. 412 et H. O. 272. Tragoediam, quae inscripta Phoenissae, prodigiose corruptam Gron. pronunciavit ad ejus fabulae 450; sed et ceterae male habitae a librariis atque editoribus, ut mirer cum aliis satis jam pridem visas emendatas esse sagacissimo Lipsio. Vide vel infra in hoc indice catalogum vocabulorum depravatorum. Senecae editores fere metrorum ignari, Ag. 830.

*Serus*, ultimus, H. f. 672. Vid. Broukh. ad Prop. 1, 15, 21. cf. vers. 728, 732.

si, etsi, H. O. 7.

similia sibi invicem officere, H. f. 763, Oed. 34. negligi, H. f. 523, Th. 917. in omni genere vitanda, H. f. 898, 993, Th. 97, 449, Phoen. 271, Hipp. 829.

sinistra manus deorum inferorum aris imposita a precantibus, Med. 681.

species, dignitas, Ph. 184. species sacra Oct. 491.
squalidum, quicquid pertinet ad Inferos, Hipp. 1201.
squamei ictus? Med. 948.
Statius emend. Theb. 1, 104 ad H. O. 102 not. Th. 1, 231 H. f. 753. Th. 1, 460 H. O. 1073 not. Th. 2, 11 Med. 747 seqq. not. Th. 2, 131 Tro. 690 not.
stridit H. f. 993.
strigavit? H. O. 1910.
Styx Sidonia Oed. 162.
suapte διασύλλαβον? Ag. 250.
subjunctivus potentialis Tro. 277.
superbus, nobilis seu magnificus, H. f. 390.
suus. vide ferus. sui nimium venti, nimis secundi, Ag. 91.
syllabae breves frequentius ab Hoc illatae, Hipp. 831.
synaeresis H. f. 40, Tro. 182.
synthesis Tro. 1181.

Taygetus Th. 130.
telum mortis H. O. 1201. tela ventorum Ag. 475.
tempus pensare merita H. O. 1336.
Terentiani Mauri locus de metro Aeolico leviter affectus Ag. 587.
Terentius emendatus Phorm. 2, 1, 36 ad H f. 577.
tesqua Ag. 756.
Tibulli eleg. 1, 7, 7. emendatus Med. 749 in notâ. vetus lectio in epist. Sulpiciae 9. asserta Med. 535.
timere et tremere mixta Tro. 321.
tonare H f. 522. tonare et sonare confusa, ibid.
toti, cuncti, Th. 1019.
transpositi versus casu, ut videtur, Med. 747 seqq. propter principia similia Ag. 314. non intellecti H. f. 577. Non abutendum eo remedio, ut H. O. 1095.
tum et tunc H. O. 789.
tumidus, iratus, Hipp. 943.
*tumidus* et *timidus* confusa, ut etiam Stat. Theb. 9, 216. ubi Hippomedon equum Tydei perempti alloquens inducitur: exterrem neu tu quoque laeseris Umbram Captivus, *timidumque* equitem post Tydea portes; ubi libri perperam *tumidumque*.
turpi scriptum videtur pro tarde Oed. 427.

Ulixes Tro. 526.
ultima. vide prima fabula.
unus compellatus pro omnibus H. f. 1199.
urere bello Ph. 560.
ut subaudiendum Oed. 72.
utique H. f. 793.

Valva? secundum Tork. Badenii MSS. H. f. 999. Cf. Dira.
vasta, ingens, H. O. 804.
verborum ordo immutatus a librariis H. f. 898, H. O. 231.
versus Aeolicus Ag. 587. alcaïcus inversus Oed. 406. anacreonteus formae antispasticae Oed. 484. anapaest. et lyrici male digesti H. f. 173. Oed. 723. anapaesticorum regulae quaedam H. f. 1064, 1134, Th. 832, Tro. 135. paroemiaco Seneca et Octaviae scriptor abstinent, Tro. 404. asclep., in quo contractus choriambus in molossum, Oed. 712. inversus Oed. 406, mobili cujus loco dactylus, Ag. 589. asynartetus constans ex adonio et dochmio Oed. 475. e basi iambicâ et adonio Oed. 475. e basi troch. et adon. Oed. 475. e simili et glyc. ib. 490. e basi troch. hypercat. clodâ et ithyphallico Oed. 488. e duobus anacreonteis Med. 852, e duplice penthemimeri iambicâ Oed. 471. e glyconio et penthem. iamb. Oed. 410. ex iamb. hypercat. et archilochio Oed. 413. e penthemim. iamb. et dochmio; aliusque huic ex alterâ parte respondens, Oed. 717. e pherecrateo et glyconio Ag. 841. e troch. dim. catal. et basi troch. hypercatalecticâ clodâ, Oed. 405, 473. e trochaeo hypercat. clodo et glyc. Oed. 410. e troch. et iamb., et contra Ag. 594. versus clodi tam iambici quam trochaici Oed. 483. dactylici, qui ab Alcmane et Archilocho appellantur, Oed.

448. dochmiaci Ag. 596, Oed. 717. encomiologicus sive elegiambus Oed. 406. glycon. contracto choriambo Oed. 712. iambici senarii, praesertim tragici, quaedam proprietates H. f. 390, 592, 1005, Th. 289 (proceleusmat.), 322, 674, H. O. 1299. iambici trim. brachycat. clodi Ag. 594. iambicus monometer hypercat., seu penthemim. iamb., pro clausulâ Ag. 807, 816. versus imperfecti Th. 101, Hipp. 605. λημνίθιοι, H. f. 898, Ph. 47. per deminutionem facti Oed. 410. sapph. soluto spondeo Oed. 412. versuum hemistichia transposita Oct. 611.
verum scelus H. O. 1031.
Mar. Victorinus emend. Ag. 877.
virere et viridis significantia vigorem Oed. 309.
Virgilius emend. Aen. 6, 33. ad H. O. 48.
virginitatis pretium Oct. 287.
Virtus, quem, H. f. 1157.
vis, malum, in re magicâ, H. O. 569.
vivae domus? Th. 3.
vivit, floret gloriâ, immortalis est, H. O. 1499.
vocabula alia pro aliis scripta, ut videtur, per errorem plurima sunt in his tragoediis, quorum majorem partem hic perscribendam existimavimus simul cum emendatis, ad acuendum criticum in hoc genere judicium. ab illis, a bellis, H. O. 982. abluere, adluere, H. f. 753. anus, opus Hipp. 881. ara, ora H. O. 102. a. é. arae Med. 786. Arcadias, Argolicas H. O. 16. atris, actis, Oct. 718. avexit, adfecit H. O. 1224. Chalcedona, Chalcodona Ag. 564. civis atque, civitasque H. f. 268. clara, cara H. O. 1453. comam, sonat H. O. 728. compescis, cur parcis Oct. 852. cornibus, orbibus, oribus Hipp. 1040. cremat, tremat Oed. 50. cum, cui et qui Oct. 499, H. O. 114. demens, clemens Oct. 664. deos, dies, et fulgerat, fulserat Tibull. 1, 2, 62, ad Ag. 56. de qua, digna H. O. 1795. discussi fores, discussi inferas H. O. 459. divi, di, vi Oct. 792. dona, clarum H. O. 1660. ecce diras carceris, en reclusas Tartari H. O. 1009. et culpa, nec culta Oct. 800. et tela, et illa H. O. 822. exultat, excubat Oct. 783. ferae victae o ferae, feri victi et ferae H. O. 1202. ferebas, furebas H. O. 1191. ferox, feros H. O. 1752. fletuque, planctuque Oed. 56. fonte, ponte H. O. 590. fugio, fugo Ag. 4. funera, vulnera Oct. 944. furabor, tutabor Ag. 906. gestavit, cessavit, Phoen. 364. graviorum, gravior horum Med. 749. hoc, hunc H. O. 449. hospitia, auspicia Hipp. 853. jacis, facis Oct. 244. jactans, tractans H. O. 1758. ignis, ictus H. O. 1752. illa, bina H. O. 1501. immune, virtute H. O. 1613. infelix, infestis Oct. 691. in planctum, implicitum H. O. 1863. in se, ipsi (ipse) H. O. 1113. lapsae, lassae H. f. 1250, Th. 616, Hipp. 365. lassus, passus H. O. 1600. latet, scatet, Ph. 126. laxabat, lassabat H. O. 624. locus, focus H. O. 1798. lucent, lurent Hipp. 767. lux, nox Oct. 19. malae, male Ag. 494. manus, minus H. O. 273. mater, pariter Tro. 690. mens, amans H. O. 400. navita, nablio H. O. 1073. nubesque, rupesque Med. 345. oculis vel osculis, occulis Med. 938. o duces, audaces H. O. 1561. Ophionius, Amphionis (āphionis) H. f. 268. oritannis, Britannis Oct. 41. pallidus, squalidus Hipp. 1201. parare, patrare, Med. 913. parvis, patriis, Hipp. 899. parum, parvum Med. 293. patens, parens H. O. 1838. patiens, sapiens H. O. 229. patrem, parum Ph. 3. patris, fratris Ph. 2. pellicis, pellices H. O. 448. perquam, Parcam Oct. 930. Phoebo, Phoebe H. O. 1885. pignus et, dignior vel di-

gna sic Oct. 595. Pirithoo, perituro Hipp. 831. pontus, Ionius Hipp. 1013. prima vel primo et, praemium, H. O. 1272. prius, patris H. O. 1246. prius, pius, Ag. 890. propius, prope jus H. O. 446. rapite, capite Hipp. 1201. recipit, reticet Oct. 803. reduxit, retraxit H. O. 1204. salva, silva, H. O. 1641. sequi, sui H. O. 1039. solis, salis Oct. 390. suis, senis H. O. 1378. superis, superest H. O. 1126. tactus imas, tectissimas H. O. 538. tandem phariae, Pandatariae Oct. 977. tactum, tractum Th. 406. telis, taedis H. f. 1236. te maria, te amara Ph. 604. temere, tremere Oct. 245. timensque tacita, timens quid ista H. O. 739. tumidi decus pulmonis, tum. ecce cor pulm. H. O. 1222. vagans, vacans Oed. 15. vester, dexter H. O. 1514. vis, jus Ag. 877. viva, fulva H. O. 411. umbrae stetistis, umbras et estis H. O. 460. undis, ulnis H. O. 513. voces, vices H. O. 804. vulnere, pulvere et vomere Hipp. 1097, Oct. 425. vultus, cultus H. O. 393.

Vocalis producta propter sequentem duplicem consonam H. f. 950, Hipp. 1027, Oed. 404, Oct. 172.

Xiphilinus emend. Oed. 519.

---

## ADDENDA ET ERRATA.

Praefat. p. IX. v. 6. l.: quandoquidem. p. XXIV. v. 28. l.: Idque. p. XXXVII. v. 9. l.: discernendis. p. XXXVIII. v. 5. adde signum **).

*Vol. I.* p. 21. v. 549. l.: Siculae. p. 24. v. 629. l.: Lycus; Gnatos — p. 28 v. 773. l.: moras, Proprio — p. 32. v. 896. l.: cecidit, et similiter p. 36. v. 1037. cecidi. p. 42. v. 1214. l.: utrimque. p. 49. v. 8. l.: simulat, et oblatâ — p. 55. v. 147. l.: tuâ. p. 59. v. 259. l.: irâ. p. 61. v. 353. l.: quidquid. p. 67. v. 520. l.: est, virt. p. 104. v. 509. l.: socer. p. 113. v. 31. adde: Lucret. 4, 642: Ut quod alis, (nam sic legendum, non *aliis*) cibus est —, et 6, 1225: Nam quod alis dederat —. Martialis 1, 63, 6.: — Penelope venit, abit Helene. ibid. v. ult. adde: Vid. ad Hipp. 170. p. 120. v. 16. l.: pretante. p. 138. v. 26. l.: Ed. ibid. v. 43. dele verba: spument ahena. p. 144. v. antepenult. adde: Ceterum displicet *Mobiles* praegresso *moventes*, malimque sane *Nobiles*, insignes in malam partem; quae vocabula saepius confusa. p. 160. v. 21. l.: cupio. p. 163. v. 2. l.: tene. p. 164. v. 30. l.: dormitare. Ib. v. 40. l.: saepe.

*Vol. II.* p. 12. v. 181. l.: sana. p. 16. v. 325. l.: Fila. p. 31. v. 806. seqq. ita digerendi:

—— corporis
(Aequas Herc. —
—— —— latior):
Si dorso — vehi,
Frenis etc.

Ibid. v. 818. ita distinguendum: Descendent; tep. visc. condita, Praedam etc. p. 34. v. 900. l.: C. r. gentis Actaeae d.: nam statim sequitur *generis infandi.* p. 37. v. 985 et 987. scribe Virtus, Paupertas, siquidem hae sunt personae. Ib. v. 992. ita interpungito: — dura! Famulatus etc. p. 44. v. 1208. l.: facili. p. 45. v. 1236. l.: membra. Ib. v. 1241. delenda lineola. p. 58. v. 223. notae metricae adde

vocabulum *catal.* Ib. v. 289. adscribe: i. s. p. 61. v. 324. l.: permutat. Ib. v. 326. pone semicolon vel comma post *caput.* Ib. adde hanc notam ad v. 334.: Fort.: propera. p. 62. v. 384. l.: Quid. p. 63. v. 405. notae metr. adde: cl., ut et versibus 473. sequ. Ibid. v. 413. adde: vel: as.: i. h. et alc. decasyllabus. p. 64. v. 433. extremo pone comma. Ibid. v. 453. l.: Garrula. p. 65. v. 454. l.: Vivaces. Ib. v. 475. l.: t. h. cl. et ad. Ib. v. 481. dele comma, et sequ. versiculo adde hanc notam metr.: t. h. cl. p. 66. v. 490. l.: t. h. cl. p. 72. v. 717. l.: i. tr. br. cl. p. 73. v. 723. l.: t. h. cl., et similiter v. 736. Ib. v. 737. l.: tenent; p. 74. v. 767. l.: Redit. p. 76. v. 837.: scrib.: Ecce. p. 78. v. 877. l.: animos. Ib. v. 6. l.: navis. Ib. ad v. 881. adscribe: t. d. cat.: nam glyconei et ejusmodi alia metra choriambica loco mobili spondeum habere solent apud seriores, raroque Seneca usurpat versus, qualis est Ag. 841. Dactyli autem usitati in sedibus paribus trochaicorum. Vid. notata ad Oedip. 713. cum Addendis. p. 81. v. 991. scribe: Mobilis, ordo. p. 82. v. ult. l.: parce aur. p. 91. v. 69. l.: tetigit. p. 93. v. ult. l.: seu duo. p. 94. v. 181. l.: Achillem. p. 103. v. 448. dele comma. p. 104. v. 505. l.: furtum. p. 108. v. 615. extremo appone lineolam, ut intelligatur, sequentia diverso affectu pronuntiari. Ib. v. 643. l.: Ac. p. 109. v. 655. sic interpung.: — neci, Videre poteris celsa etc. p. 110. v. 684. l.: Peragite. In fine lineolam appinge. p. 116. v. 865. l.: illaetabilis. p. 118. dele notam. p. 119. v. 976. l.: tuam. p. 120. v. 996. linea apponenda est in fine. p. 123. v. 1102. l.: superne. p. 130. v. 35. l.: Asopum. p. 131. v. 18. l.: variavit. p. 132. v. 14. l.: digesti. p. 135. v. 3. dele verba Herc. fur. 58. p. 136. v. 27. l.: Sperare. p. 137. v. 23. l.: obstinatam. Ib. v. penult. l.: quae. p. 146. v. 8. dele comma post 281. p. 142. v. 8. l.: ferunt. p. 148. v. 22. l.: Ulysses. p. 151. v. 28. l.: — versu non *jam*, ut vulgo, sed Hercul. etc. In fine notae haec add.: Hoc autem chorus dicit: Etsi viribus corporisque vastitate Herculem Martemque ipsum Hippolytus superet, eundem tamen (id quod rarum) agilem quoque mobilemque esse, ut qui equitandi jaculandique peritus sit, et in venatione avem sub nube trajiciat. p. 157. v. 21. l.: 413., ibique claudenda parenthesis. p. 158. v. 2. l.: lib. 11. p. 163 v. 19. l.: Ennii. p. 164. v. 15. l.: quocum. p. 165. v. 2. l.: ὡσεί τε. p. 167. v. 18. post verbum *Flor.* adde: Cf. Tro. 433, 602, Agam. 953, Virg. Ecl. 1, 27, etc. p. 168. v. 8. l.: — *quid etc.* 275. *vett. edd.*, deleto *Mox.* p. 170. v. penult. dele prius *cum.* p. 171. v. 32. l.: Recte sic etc. p. 180. v. 8. l.: glyconeorum (nisi trochaicus potius hic versus existimandus sit, ut sane existimo: cf. Ag. 609 et monita in Addendis ad p. 78. v. 881.) p. 182. v. 3. l.: repetendum. Ib. v. 20. l.: Vid. ad 786. p. 183. v. 19. post *Troadibus* adde: *Lugendo* H. O. 1863. p. 185. v. 19. l.: Troadibus (268.) etc. p. 190. v. 27. l.: impulsa. p. 193. v. 5. l.: corrupto. p. 198. v. 11. pro 649. l. 438. p. 199. post v. 18. haec insere: 716. Persius 5, 92:

Dum veteres avias tibi de pulmone revello.

Ib. haec adde: 732. Invenustum ὁμοιοτέλευτον: fide meliore tene. An fuit, quod haud paulo elegantius, *meliora?* p. 200. v. 1. l.: Concinnius. p. 201. v. antepenult. post 417. adde: Sed tum legendum etiam *laeta inaudierit*, vel quiddam simile. 956. *Felicem.* Morte. p. 203. v. 7. dele τὸ *at.*

*Vol. III.* p. 15. v. 264. l.: abfuit. p. 27. v. 645. l.: Meleagre. p. 35. v. 910. lineolam adscribe post *haberet.* p. 41. v. 3. l.: injurias. p. 44. v. 35. l.: proh. p. 46. v. 108. l.: tuta. p. 52. v. 297. l.: pro-

bro, et v. 304.: nil. p. 54. v. 569. semicolo distingu. post *ventis*. p. 62. v. 5. pro glyc. h. lege: t. d. Vid. ad Oedip. 881. in Add. Ibid. v. 623. l.: molis. p. 66. v. penult. et ad eum pertinens aunotatio delenda. p. 72. v. 930. l.: palma. p. 74. dele notam et de hoc loco dicta p. 222. Donum est illa vestis, de quâ 874. sequ. Comma ponendum post *feminae*. p. 78. v. 8. l.: verique. p. 82. v. 16. l.: Iole. p. 84. v. 167. pro *Gyges* l. *Gyas*, quia *Gyges* priorem syllabam porrectam habet, cum brevi opus sit h. l.; quae nomina etiam apud Hesiodum, Horatium aliosque mixta. Ib. v. 169. l.: insereret. p. 92. adde: 418. Lege: pellices. p. 101. v. 726. l.: claram. p. 102. notâ priore sic l.: Fort.: Timasque tacita etc. Reliqua inducenda. Timas nomen nutricis, heram ad thalamum comitatae; quod nomen cum alibi legitur, tum in Sapphus carmine ἐπιτυμβίῳ, cujus initium est *Τιμάδος ἅδε κόνις*. Vid. Antholog. Palat. 1. p. 456. Posteriore notâ sic interpung.: H. nisi patent, d. p. o. p. 107. v. 903. l.: Quicunque. p. 108. v. 943. l.: Sisyphia. p. 113. v. antepen. l.: J. I. ab ratis, id est propter leges ratas. p. 116. adde: 1200. Fort.: L. r., Ditis ev. m. Cf. H. f. 760. — (773) 827; infra 1682. Non semel d et l, ut et i, t et c, confusa. p. 121. v. 1355. l.: Quicunque, et ib. 1366. l.: M diosve in amnes. p. 124. pro tunc l. tune. p. 132. v. 1710. dele comma. p. 133. v. 1740. l.: sic decet. p. 135. v. antepen. pro *expetat* l.: *exigat*. p. 136. v. 1828. dele comma. p. 137. v. 1878. ita distingu.: Nunc, Cur., n.; Cor., etc. p. 153. v. 195. verba *atque — suum* rectius nutrici adscribentur, quam interpellat domina subirata. p. 159. adde: 386. mea. Leg. mera, id est nihil quam studia recolenti. Ibid. v. 399. l: numinis. p. 160. v. 412. l.: acres, et v. 432. pone semicol. post *redundant*. p. 175. v. 868. l.: coepit. p. 184. v. 1. dele verba *Intell. — expetat*. Abrumpit orationem Medea perturbata in verbo *matri*, quo dicto meminit, liberos jam se habere, quibus pessime ab se educandis (nam de interficiendis nondum cogitat) in manu suâ sit ulcisci patrem; ut precibus supersedere possit. Tollendum igitur punctum post *matri*, pro eoque adscribenda lineola illa, quâ interruptae orationes indicari solent. Ceterum intelligendum potius *habeat*. p. 185. v. 36. l.: Pall. p. 187. v. 11. l.: longinquo. p. 192. v. 5. l.: erat. p. 194. v. 6. l.: puret, et v. ult.: Tammulta. p. 196. v. 14. post *intelligat* add.: Conf. 811. p. 198. v. 6. l.: vocabula. p. 199. v. 9. l.: quocum. p. 201. v. 18. l.: Saepissime. p. 206. v. 8. l.: maculatum. p. 209. v. 5. l.: viro. p. 215. v. 36. l.: pentametro. p. 216. v. 28. adde: 642. Naso dixerat μεταφορικῶς:

Unus erat toto Naturae vultus in orbe.

p. 220. v. 36. l.: abhinc. p. 225. v. 40. adde: Ceterum *unde* ad *inde* referendum est. p. 226. post v. 14. adde: vel: quanta *adhuc* f. m. Ibid. v. 25. l.: Flor. Infra l.: qui et alibi. p. 228. v. 31. dele punctum post *magnis*. p. 232. v. 18. dele *Troad*. 217. p. 234. v. 20. l.: mythol. 1, 27, et v. antepenult. l.: quam. p. 235. v. 30. l.: Verum non est ita etc. p. 238. v. 35. verba *Gemmiferi — Austri* referenda sunt ad v. 625. p. 239. v. 23. l.: versui. p 240. v. 25. l.: 769. p. 241. v. 826. pro *labentem* l.: *latentem*. p. 242. v. 868. l. *conjicite*. p. 243. v. 982. l. continuâ. p. 244. v. 1007. l. carceris. p. 246. v. 1073. pro *porre* l.: *porro*. p. 247. v. 1118. post *voluptatem* pone comma. p. 248. v. 1200. pro *qnin* l.: *quin*. p. 254. v. 1561. l.: *est*. p. 260. v. 1935. post *qua de* pone: *re*. p. 263. v. 41. pro: *oratanais* l.: *oritanais*. p. 265. v. 200. pro: *eum* l.: *cum*. p. 265. v. 233. l.: *ain'*. p. 267. v. 390. l.: *Vulgo*. p. 270. v. 481. l. *facili manu*.

---